BX1759
B44x
Vol.3

DUQUESNE UNIVERSITY LIBRARY

HOLY GHOST FATHERS
SCHOLASTICATE
FERNDALE, CONN.

241
B

Digitized by the Internet Archive
in 2010 with funding from
Lyrasis Members and Sloan Foundation

http://www.archive.org/details/examenconfessari03aemi

255
B

EXAMEN
CONFESSARII ET PAROCHI

SEU

COMPENDIUM
THEOLOGIAE MORALIS ET PASTORALIS

AUCTORE

AEMILIO BERARDI

CANONICO PRAEP. CATHEDRALIS FAV.

PRO-VICARIO GENERALI EXAMINATORE PRO-SYNODALI

ET IN S. THEOLOGIA DOCTORE

VOL. III.

HOLY GHOST FATHERS
SCHOLASTICATE
FERNDALE, CONN.

FAVENTIAE

EX TYPOGRAPHIA NOVELLI

ANNO MDCCCXCVII.

ROMAE
TYP. DE PROPAGANDA FIDE.

NEW YORK
BENZIGER BROS. P. O. BOX 2677.

Cum permissu auctoritatis ecclesiasticae.

BX 1759
B44x
v. 13

Iura quae a lege sunt Auctor sibi vindicat.

SECTIO II.

DE CONTRACTIBUS.

ARTICULUS I.

DE CONTRACTIBUS IN GENERE.

PUNCTUM I.

Datur definitio contractus et praecipuae contractuum distinctiones indicantur.

3273. *Quid est contractus?* Est duorum vel plurium conventio obligatoria circa res dandas vel faciendas vel non faciendas.

3274. *Quaenam sunt praecipuae contractuum distinctiones?* Contractus potest esse 1° *onerosus* vel *gratuitus* secundum quod onus rependendi aequivalens inducat (ut emptio, permutatio etc.). vel non inducat (ut, donatio, commodatum etc.). 2° *Realis* vel *personalis*, secundum quod respiciat rem (ut venditio, donatio, mutuum etc.), vel solam personam (ut mandatum, locatio operarum etc.). Primus ad haeredes transit, sed non secundus. 3° *Expressus* vel *tacitus* secundum quod conventio sit explicita, vel in aliquo facto (v. g., acceptatione officii) compraehendatur, quo postremo casu *quasi-contractus* dicitur. 4° *Privatus* vel *solemnis* (seu *stipulatus*), secundum quod privata conventione, vel solemnitatibus a lege statutis exprimatur. 5° *Nominatus* vel *innominatus*, secundum quod speciale nomen habeat (ut emptio, donatio etc.), vel non habeat, qui indicari solet phrasibus: do ut des (alteri); facio ut facias etc. 6° *Firmus* vel *rescindibilis*. Rescindibilis est quando ad nutum unius contrahentis aut aliarum personarum (non obstante alterius contrahentis reluctantia) rescindi potest. 7° *Principalis*, vel *accessorius* (seu *subsidiarius*) ut fideiussio, poena conventionalis vel harra, pignus et hypotheca. 8° *Aleatorius.* Talis dicitur, quando sorti est obnoxius, ut ludus, sponsio (it. *scommessa*), assecuratio, sortitio (it. *lotto*). 9° *Absolutus* vel *conditionatus.* 10° *Validus* vel *invalidus.* Adsunt etiam aliae distinctiones, quae hic praetermittuntur.

MAY 10 1981

PUNCTUM II.

De validitate vel invaliditate vel rescindibilitate contractuum.

3275. *Quid exigitur ut contractus sit validus?* Tria exiguntur: 1° ut res, actio vel omissio possit esse obiectum contractus: 2° ut personae sint capaces contractum faciendi: 3° ut ipsae consensum validum praestent.

3276. *Quid exigitur ut res, actio vel omissio possit esse obiectum contractus?* 1° Ut sit possibilis (physice et moraliter). 2° Ut leges positivae contractum de re illa sub poena nullitatis non interdixerint. 3° Ut, si pretium exigatur, res sit pretio aestimabilis. Hinc contractus simoniaci sunt invalidi. 4° Ut sit iusta et licita, quatenus nec ius ad iniustitiam (v. g., ad usuras), nec obligatio ad illicitum dari potest; non vero quatenus omnis contractus illicitus sit etiam invalidus (*multa enim facta tenent quae fieri prohibentur*). Sic valet matrimonium invitis rationabiliter parentibus celebratum. Sponsalia de illo non valent, sed illud valet.

3277. *Quid exigitur ut persona sit contractus faciendi capax?* Exigitur ut usum rationis habeat; atque ut nulla lex positiva inhabilitatem induxerit. Recolendum tamen quod inhabilitas quoad minores, interdictos, mulieres coniugatas etc. non iam invaliditatem absolutam, sed infirmitatem tantummodo (scilicet rescindibilitatem) favore ipsorum inducit, ut vidimus *n.* 3076, 3078, 3081.

3278. *Quid exigitur ut consensus adsit et sit validus?* Exigitur 1° Ut sit *expressus legitime,* scilicet externe significatus, et quidem (quatenus sub poena invaliditatis exigatur) cum debitis solemnitatibus: 2° Ut sit *directus a contrahente ad compartem* (Praxis n. 1715). 3° Ut sit *absolutus*, vel *pendens a conditione quae de facto verificetur*; 4° Ut sit *verus et internus.* Qui tamen ficte contrahit teneri potest ad consensum verum praestandum si alter id exigat, vel ad damna reparanda: 5° Ut sit *mutuus*; aut saltem (ut in contractibus gratuitis) acceptatus; 6° Ut sit *liber*, quatenus nempe metus, error, et dolus validitati aut firmitati obstare possunt.

3279. *An invaliditas, quando sola lege positiva inducitur, urgeat etiam in conscientia?* Post iudicis sententiam, affirmative. Ante iudicis sententiam quoad leges Ecclesiasticas (ut in impedimentis matrimonium dirimentibus) pariter affirmative; quoad autem leges civiles, ordinarie negative; quatenus scilicet unus-

quisque, prout sibi interest, pro validitate vel invaliditate stare potest. Exemplum habes in venditione domus sine solemnitatibus, et in testamento informi, nisi haeredes quibus lex civilis favet possessionem coeperint.

3280. *Quid de contractu inito ex metu?* R. Metus, dummodo sit iniustus, incussus ad hoc, et gravis, efficit ut quilibet contractus sit rescindibilis ad nutum metum passi; idque iure naturae et perpetuo si incussus fuerit ab alio contrahente: si vero fuisset incussus a tertia persona, tunc esset quidem rescindibilis, sed solum (apud nos) iure civili et intra quinquennium. Matrimonium autem (iure canonico) esset ipso facto invalidum, et idem dic de promissione vel traditione rerum ecclesiae et de renuntiatione beneficii ecclesiastici. Denique contractus gratuiti probabiliter sunt invalidi, quamvis metus dans causam contractui a comparte inique incussus levis fuisset.

3281. *Quid de contractu inito ex errore?* Si error versaretur circa substantiam (v. g., si quis emeret vitrum pro gemma, aut contraheret matrimonium cum errore personae), vel circa ea quae in substantiam redundant (prout contingeret 1° si quis ex errore crederet se habere obligationem pecuniae summam solvendi: 2° si unus vendere et alter dono accipere intenderet: 3° si error versaretur circa circumstantiam intentam ad modum conditionis sine qua non); tunc contractus esset invalidus (ita tamen ut dicenti se ex errore contraxisse alter credere non teneatur, nisi id probet). Error autem simplicis qualitatis non intentae ad modum conditionis, contractum non invalidaret, quamvis contractui ipsi causam dedisset, ita ut quis, errore secluso, non contraxisset (aliud enim est quod fecit, et aliud quod fecisset, et aliunde cum nimia commercii turbatione contractus innumeri invalidi forent). Excipe ordinarie nisi error dans causam contractui in contractu gratuito intervenisset.

3282. *Quid de contractu inito ex dolo?* R. Dolus, quamvis non produxisset errorem substantialem, redderet contractum rescindibilem si duo concurrerent; nempe si ex una parte dedisset causam contractui, et ex alia provenisset a comparte (supponendo semper quod agatur de vero dolo, non vero de illis consuetis mercatorum mendaciis, quibus nulla fides praeberi solet). Excipe matrimonium quod (non obstante quocumque dolo circa solas qualitates) rescindibile minime esset. Dolus autem, quì a tertia persona provenisset, simplici errori aequiparatur.

3283. *Quotuplici ex capite contractus potest esse rescindibi-*

lis? 1° Si metus aut dolus intervenisset (ut supra): 2° si conditio resolutiva subintelligeretur aut expresse apposita fuisset (ut statim explicabitur); 3° si lex positiva rescindibilitatem induxisset.

3284. *Si contractus sit lege civili rescindibilis, potestne contrahens, in cuius favorem rescindidilitas militat, huic iuri valide renuntiare, ita ut postea in conscientia rescissionem petere nequeat?* In aliquibus casibus affirmative et in aliquibus aliis negative: videndum scilicet an bonum commune (attentis circumstantiis) patiatur, ut huiusmodi renuntiationes valeant. Agitur, v. g., de muliere coniugata, quae necessitate pressa aliquid vendit, et venditionis ipsius firmitatem (quantum potest a parte sua) promittit. Agitur e contra de promittente summam pecuniae latroni minis illam exigenti, vel de minore qui, sive ab alio contrahente circumventus, sive ad insumendam pecuniam in vitiis, contractum facit. Utique in casu dictae mulieris, non vero in aliis casibus renuntiatio valebit. Praxis (*n.* 1722).

PUNCTUM III.

De contractibus sub conditione celebratis.

3285. *Quid est conditio?* Est circumstantia incerta, a cuius eventu vel existentia dependere volumus in toto vel in parte obligationem contractus.

Potest esse *de futuro* (v. g., si vincam ludo); vel *de praeterito* (v. g., si Titius mortuus fuerit), vel *de praesenti* (v. g., si hoc vinum non sit mixtum aqua).

3286. *An semper oporteat ut conditio sit expressa?* Negative; multae enim conditiones (v. g., *si pretium solvas,* vel *nisi causâ legitimâ excuser etc.*) subintelligi solent.

3287. *Quinam sunt effectus conditionum?* Aliquae efficiunt ut contractus vim non habeat antequam conditio verificetur, et dicuntur *suspensivae.* Aliquae dant ius rescindendi contractum, et dicuntur *resolutivae.* Aliquae dant ius modificandi contractum, et dicuntur *modificativae.* Aliquae contractum reddunt invalidum, et dicuntur *invalidantes.* Aliquae denique invalide apponuntur, et considerantur *tamquam non appositae.* Haec sunt explicanda.

3288. *Quid de conditionibus suspensivis?*

1. Hae (ut dixi) efficiunt ut contractus in substantia vim non habeat antequam conditio verificetur.

II. Sunt semper conditiones *de futuro.*

III. Apponi solent praecipue in promissione (v. g. promitto tibi dotem si nupseris Titio); in sponsalibus (v. g., te ducam si parentes consensuri sint); in mandato (v. g., eme villam si pro tali vel tali pretio tibi dabitur); in emptione et venditione, et quoad contractum istum notari debet quod venditio rei indeterminatae (v. g., vendo tibi decem oves de hoc grege), atque etiam venditio ad pondus vel mensuram vel numerum, vel degustationem, censetur conditionata; quod scilicet, antequam res determinetur, vel ponderetur, vel mensuretur, vel numeretur vel degustetur, dominium non transfertur.

IV. Qui sub conditione aliquid promittit, conditionis ipsius exitum expectare tenetur, nec prius de re promissa aliter pro lubitu suo disponere potest.

V. Conditio, si sit *casualis* (si nempe respiciat eventum qui per se a voluntate contrahentium non pendeat), tunc eiusdem verificatio impediri nequit a contrahente studiose et eo solo fine ut ab obligatione liberetur: et quatenus, seclusa hac malitiosa agendi ratione, conditio verificata fuisset, iam tamquam adimpleta considerari deberet Dixisti, v. g., *Dabo tibi centum aureos si navis intra hebdomadam adveniat;* et postea procurasti ut navis (caeteroquin certe adventura) non adveniret.

Dixi *si sit casualis*: aliud enim esset si *potestativa* fuisset; ut puta, si dixisses: *Dabo tibi meam domum si Romam ivero.*

VI. Si res promissa aut vendita pereat antequam conditio suspensiva verificetur, pro promittente aut venditore (quum illius dominium, ut dixi, adhuc non sit translatum) perit; res enim quae perit, domino suo perit. Sed, si interim (sine culpa debitoris) deteriorationem vel pretii imminutionem subiret, haec acciderent periculo creditoris, qui non ideo pretium imminuere posset. Hoc sensu dicitur quod, verificata conditione, contractus retrotrahitur ad tempus in quo celebratus fuit.

3289. *Quid de conditionibus resolutivis?*

I. Hae (ut dixi) dant ius rescindendi contractum, si verificentur: et possunt esse non solum de futuro, sed etiam de praesenti vel de praeterito.

II. Interdum ponuntur expressis verbis, ut puta, si quis emeret et acciperet torquem sub conditione quod vere sit aureus. Saepe autem subintelliguntur. Sic, v. g., emuntur belluae sub conditione tacita quod sint sanae et immunes a quibusdam morbis aut vitiis enormibus (ut puta, quod magna tussi non laborent, cornu non petant etc.); dum scilicet ex lege mercatus datur

locus actioni quae dicitur *redibitoria.* Alia exempla. In donationibus subintelligitur quod revocari possint ob supervenientiam filiorum, vel ob quosdam actus ingratitudinis donatarii (ut suo loco explicabitur). In usufructu subintelligitur qnod rescindi possit ex abusu usufructuarii (iuxta dicta *n.* 3056). In mandato subintelligitur quod revocari possit si mandanti aliquid occurrat, unde voluntatem mutaturus sit etc.

III. Quum conditiones resolutivae non suspendant executionem contractus, res quae sic vendantur transeunt statim in dominium emptoris; unde (ad differentiam conditionis suspensivae), si ante conditionis verificationem perirent, emptori perirent.

IV. Conditiones resolutivae in contractu nullatenus rescindibili, v. g., in matrimonio (ut per se patet) apponi nequeunt.

3290. *Quid de conditionibus modificativis?*

Hae efficiunt ut postea in contractu aliquid mutari possit. Casus accidit speciatim in iure (quod aliquando adest) imminuendi pretium: et conditiones huiusmodi subintelligi solent praecipue in dicto mercatu belluarum, quatenus ob quaedam vitia (quae postea intra certum tempus detegantur, denuntientur et probentur) pretium imminui potest, et proinde actio datur quae *aestimatoria*, seu *quanto minoris*, nuncupatur.

3291. *Quid de conditionibus invalidantibus?* Hae sunt duplicis generis: aliquae enim invalidant contractum totaliter, et aliae solum ante factum (non vero post factum) illum invalidant.

3292. *Quid de conditionibus quae invalidant contractum totaliter?* Conditio huiusmodi contingere posset quatuor modis: 1° si esset de re impossibili; 2° si esset contra substantiam contractus: 3° si esset tam mere potestativa ut nullum vinculum induceret. 4° si contractus ad declinandam iniuriam sic factus fuisset. Me explico.

I. *Conditio de re impossibili*, scilicet de re, quae primo intuitu cognoscitur non posse verificari. Haec invalidat statim contractum, quia praesumere facit, contrahentem ludicre contrahere (ut puta, si quis diceret; *dabo tibi centum aureos si coelum manu tetigeris*); idque verum est sive de praesenti, sive de praeterito, sive de futuro talis conditio sit, et sive absoluta sive relativa impossibilitas sit.

Excipe tamen testamentum (seu ultimas voluntates), et matrimonium, ut infra (*n.* 3294) explicabitur.

II. *Conditio contra substantiam contractus.* Casum habes

in matrimonio quod celebratum fuisset cum conditione implicante ius sive ad faciendum divortium quoad vinculum, sive ad rem habendam cum aliis, sive ad illud nunquam consummandum, sive ad utendum illo onanistice etc.

III. *Conditio ita potestativa ut nullum, vinculum inducat.* Dicis, v. g., dabo tibi centum aureos si voluero. Porro de contractu mere illusorio ageretur.

IV. *Si contractus ad declinandam iniuriam sub conditione celebratus fuisset.* Intellige si iniuriam ipsam alter contrahens minitatus fuisset. Casum habes si alicui ad iniuriam tibi inferendam parato aliquid promisisses sub conditione quod a malo proposito desisteret: ex tali enim promissione nullum ille ius acquirere potuisset. Secus esset si ad modum praemii aliquid alicui promisisses ut ab aliis malefactis cessaret. *Praxis* (*n.* 1740).

3293. *Quid de conditionibus, quae solum ante factum, non vero post factum, contractum invalidant?* Casum habes in contractibus de rebus illicitis, scilicet in promissione alicui facta dandi aliquid sub conditione quod talem vel talem rem iniquam, v. g., homicidium, fornicationem, aedificationem templi protestantici; impressionem libri obscoeni etc. faciat. Ante factum (uti patet) contractus non valet (excepto testamento et matrimonio, ut infra); quod vero post factum promissio servari debeat, in multis casibus certum, et in aliis probabile est. Cf. *Praxis* (*n.* 1739).

3294. *Quid de conditionibus, quae tamquam non appositae considerantur?* Hoc contingit in conditionibus impossibilibus aut turpibus quae in ultimis voluntatibus, aut in matrimonio apponantur.

Quoad ultimas voluntates lex civilis decernit ut testamenta et legata valeant, et conditio illa sive impossibilis sive turpis consideretur ut non apposita. Porro lex ipsa consensum supplet.

Quoad matrimonium autem lex canonica decernit quod conditio sive impossibilis sive turpis (dummodo non sit contra substantiam matrimonii, ut dixi) in foro externo habeatur tamquam non apposita; non equidem quia lex consensum suppleat (quod profecto facere nequit), sed quia oportet ut matrimonium in foro externo consideretur tamquam validum, nisi de illius invaliditate certissime constet. Sed in casu de tali invaliditate non constaret; si enim conditio fuisset de re impossibili, non intelligeretur cur in actu tam serio et sacro contrahens illam apposuisset; si autem fuisset de re turpi, bene contingere posset quod contrahens illam apposuisset credendo matrimonium sic

etiam esse validum, et cum intentione praedominante contrahendi valide, atque adeo cum intentione implicita recedendi ab illa conditione, quae, si firmiter exigeretur, illud invalidaret.

Dices: haec intentio praedominans potest intervenire etiam circa conditionem contra substantiam matrimonii. Respondeo: Utique; sed tunc sic distinguendum. Si talis conditio *sit expressa*, matrimonium est invalidum iure canonico, quamvis casu iure naturali (propter praedictam intentionem praedominantem) validum esset. Si vero talis conditio non esset expressa, sed quodammodo subintelligeretur (quia contrahentes essent in secta admittente divortium aut poligamiam etc.), utique tunc, quamvis conditio foret contra substantiam matrimonii, istud in foro externo tamquam validum haberetur.

3295. *Quaenam verba in sensu verae conditionis sine qua non intelligi debent?* Verba *si* et *dummodo* veram conditionem semper exprimunt. Ut plurimum, sed non semper, conditio indicatur etiam ablativo absoluto, aut verbis *ut* et *quia*. Titius, v. g., dicit nepoti suo: *Do tibi singulis mensibus decem aureos ut pensionem solvas, et alios duos ut honesta solatia capias.* Quoad pensionem, non vero quoad solatia, de vera conditione res erit.

3296. *Quo modo verificari debet conditio?* R. Ordinarie in forma specifica seu litteraliter; sed aliquando sufficit si in forma aequivalenti adimpleatur. Regula generalis erit ut stetur intentioni contrahentium. Titius, v. g., dicit Caiae: *Te ducam si pater consentiat,* vel *si soror mea nubat.* Pater moritur; soror autem Religionem profitetur. Conditio tamquam verificata haberi debebit.

PUNCTUM IV.

De die et termino in contractibus.

3297. *Quid si contractus celebratus fuerit absque designatione termini (seu temporis) quo executioni demandari debeat?* Perfici debet statim vel quamprimum, vel iuxta consuetudinem, quae a viris probis eo in casu servetur. Si creditor dixisset: *Solves quando volueris,* daretur maior dilatio, sed tunc quoque discretionis termini praeteriri non deberent.

3298. *Quid si ad determinandum tempus solutionis* (*it.* del pagamento), *aut restitutionis, terminus designatus fuerit?* Videndum an in gratiam debitoris, vel creditoris, vel utriusque designatus fuerit.

Si *in gratiam debitoris* (ut in venditione, in mutuo gratuito, in commodato etc.), tunc ante terminum debitor dare potest;

et si dederit (etsi ex ignorantia termini dedisset), rem datam repetere nequit. Creditor autem exigere non posset, nisi debitor bonis cessisset, aut cautionem promissam non praestitisset.

Si *in gratiam creditoris* (ut in deposito), tunc ante terminum creditor petere: sed, illo nolente, debitor dare nequit.

Si denique *in gratiam utriusque* (ut in mutuo ad interesse), tunc ante terminum nec creditor petere, nec debitor (creditore invito) reddere potest.

3299. *Verba* ex die *et* in diem *quid significant?* Significant quod obligatio (v. g., locationis) a tali vel tali die incipere, et usque ad talem vel talem diem durare debet.

PUNCTUM V.

De obligationibus alternativis.

3300. *Quid de obligationibus alternativis?*

I. Obligatio alternativa accidit quando quis se obligat ad dandum vel faciendum unum ex duobus vel tribus etc.

II. Electio spectat ad debitorem, nisi contrarium expresse cautum fuerit.

III. Obligatio alternativa evaderet simplex, si ex duabus rebus una periret, aut dari non posset, aut delictuosa esset. Aliquando tamen in contractibus gratuitis mens promittentis esse potest, ut, re destructa, superstitem dare non teneatur.

IV. Si electio (ob pactum speciale) spectaret ad creditorem; tunc, si ex culpa debitoris res una periisset, creditor pro libitu aut rem superstitem, aut pretium destructae, exigere posset. Praxis (*n.* 1751).

PUNCTUM VI.

De obligationibus in solidum.

3301. *Quot modis accidere possunt obligationes in solidum?* Duobus modis.

Primus est quando, dum unus est debitor erga plures creditores (v. g., erga tres fratres), quilibet ex his solutionem integram (scilicet pro se et pro aliis) ita recipere potest, ut, illâ peractâ debitor ad nihil amplius teneatur. Oportet tamen ut de vera solutione agatur; non enim sufficeret condonatio unius sine consensu aliorum. Ad debitorem autem spectat eligere cui solvat, nisi iudicialiter citatus fuisset.

Secundus modus est quando plures constituunt se ipsos debitores integrae solutionis erga aliquem; ita tamen ut, solutione facta ab uno, alii erga eundem communem creditorem nullum debitum remaneant. Ad creditorem spectat eligere quem excutiat (neque ius istud amitteret quamvis prius citationem iudicialem contra alium promovisset et dereliquisset). Debitor solidalis, qui integram solutionem fecerit, ius habet contra alios condebitores, sed solum pro parte uniuscuiusque. Debitum solidale transit ad haeredem; sed si haeredes essent plures, unusquisque ex istis solum pro parte sua solvere teneretur. Praxis (*n.* 1753).

3302. *Quomodo contrahi potest obligatio solidalis?* In quibusdam casibus a lege naturali vel civili oritur; sed ordinarie non exurgit nisi pacto expresso statuatur, et in dubio praesumendum est quod debitores solum pro parte sua se obligare intenderint.

PUNCTUM VII.

De effectibus contractuum.

3303 *Quinam sunt effectus contractuum?*

I. Contractus obligant ad eorundem executionem plenam et diligentem; quae si non praestaretur, damna emergentia et lucra cessantia esset reparanda. Si tamen ab initio harra data, vel poena conventionalis (pro defectu executionis) statuta fuisset, tunc illa (nec plus nec minus) solvi deberet, ut infra (*n.* 3307) explicabitur.

II. Si contractus ipso facto transferret rei dominium, quamvis res ipsa adhuc tradita non fuisset; tunc rei ipsius non adhuc traditae nedum deterioratio, sed etiam interitus, ad creditorem spectaret (*res enim quae perit domino suo perit*). Excipe nisi debitor in culpa vel in mora fuisset. Apud nos haec dominii (etiam ante traditionem) translatio, accidit in venditione, permutatione et donatione, dummodo tamen contractus circa rem determinatam et sine appositione conditionis suspensivae (ut supra *n.* 3287 *VI.* explicavi) celebratus fuisset.

III. Obligatio contractus transit ad haeredes (*qui enim paciscitur, sibi haeredique suo paciscitur*). Excipe nisi contractus executio esse debuisset mere personalis, et ex negligentia defuncti damna alteri contrahenti non obvenissent.

PUNCTUM VIII.

Principia quaedam circa contractus onerosos exponuntur.

§ I.

De aequitate servanda.

3304. *Quid de aequitate servanda in contractibas onerosis?*

I. Iustitia exigit ut (seclusa intentione immiscendi partialem et spontaneam donationem) inter datum et acceptum, omnibus perpensis, aequalitas servetur; secus qui plus accipit ad restitutionem obligatur. Idque verum esset quamvis non ex dolo, sed ex simplici errore vel ex cogente necessitate, plus datum quam acceptum fuisset (vendendo, v. g., pro quinquaginta quod valet centum). Patet 1° ex rei natura (supponimus enim excludi intentionem donandi): 2° ex sensu communi: 3° ex legibus positivis, quae, propter inaequalitatem magnam (scilicet, uti aiunt, includentem laesionem contractus) actionem dant.

II. Quum aequalitas absoluta vix unquam possibilis sit, sufficit aequalitas moralis, quae maiorem vel minorem latitudinem habere solet; unde pretium iustum potest esse summum, medium, et infimum, ut infra explicabitur.

III. Ad determinandam aequalitatem respicitur imprimis rei substantia, etsi qui illam dat casu nullum incommodum subiret. Exempla: 1° Iturus esses ad quemdam locum pedestris vel conducta vectura, et quis offert tibi mercedem ut eiusdem equum cum curru ad locum eundem ducas. 2° Quum sis baiulus vel medicus, convenisti cum Titio (mercede statuta) de re deferenda, vel de conferendo teipsum ad talem locum pro infirmo; sed ecce Caius quid simile a te petit, et tu (quamvis hoc secundum servitium fere nihil incommodi tibi afferat) aequalem ab illo ipso mercedem petis et accipis.

IV. Ad ipsam aequalitatem determinandam respici possunt etiam damna et incommoda specialia, quae in re vel opera tua praestanda, forte superaddantur; illa enim alteri contrahenti exponere pro iisque compensationem exigere posses.

§ II.

De antistando evictioni.

3305. *Quid est evictio?* Evictio contingit quando aliquis rem vel pecuniam in aliena manu existentem legitime sibi vindicat

tamquam suam, vel tamquam aliquo titulo (v. g. locationis, pignoris etc.) sibi obligatam.

Evictio (uti patet) contingere potest etiam in contractibus, quando scilicet aliquo contractu res vel pecunia alicui tradita fuerit, et postea compareat qui illam, ut supra, sibi vindicet.

Notandum quod occasione evictionis non solum amissio rei, sed etiam alia damna (v. g., expensae in lite) occurrere possunt.

3306. *Ad quid tenetur qui in contractu non gratuito tradidit rem, quae postea evictioni subiecta fuerit?*

I. Casus iste contingere potest non solum in venditione, sed etiam in permutatione, in constitutione dotis, in divisione inter haeredes vel socios, et uno verbo in quocumque contractu in quo aliquid ex iustitia dari debuisset.

II. Distinguendum an mala, an bona, an dubia fide res data fuerit; et, exempli gratia, supponamus venditionem.

III. Venditor malae fidei (qui nempe certe sciebat rem esse alienam) si vendidit emptori bonae fidei, tenetur ei non solum restituere pretium receptum, sed etiam reparare damna; idque verum esset quamvis dixisset se nolle antistare evictioni, quandoquidem hoc pactum dolosum fuisset Si autem vendidisset emptori malae fidei (scilicet scienti rem esse alienam), tunc (secluso pacto speciali) ad nihil teneretur erga illum, quia volenti et consentienti non fit iniuria. Dixi *erga illum*; quia ad aliquid teneri posset erga dominum, qui, non obstante rei suae recuperatione, damnum aliquod subiisset.

IV. Venditor bonae fidei (qui nempe certe credebat rem esse suam) in conscientia et ante iudicis sententiam non tenetur de damnis, sed debet restituere pretium; nec oportet ut expresse se obligaverit ad antistandum evictioni; hoc enim subintelligitur; secus ille pretium retineret, et alter nullum dominium acquisivisset nihilque haberet, dum habere debuisset. Oportet tamen ut certus sit quod evictio non solum secuta, sed etiam iusta et legitima fuerit. Cf. Aertnys (*L. III.* 309).

V. Venditor dubiae fidei (qui nempe dubitabat rem esse alienam), si emptori manifestasset periculum, et imminuendo pretium declarasset se nolle antistare evictioni forte secuturae; tunc, illâ secutâ, ad nihil teneretur (fecisset enim contractum sortis et vendidisset spem). Si vero dubitans rem esse alienam, de hoc emptori nihil dixisset, tunc, ad modum venditoris malae fidei, de pretio et de damnis teneretur.

VI. Quod autem dicitur de evictione dicendum est etiam de

casu, in quo emptor cognovisset rem esse alienam, illamque sponte domino restituisset.

3307. *Quid de casu evictionis in contractu gratuito?*

Qui gratuito dedit alteri rem alienam, si bona fide processerit, ordinarie ad nihil tenebitur; si vero mala fide ita se gessisset, damna (quae forte secuta fuissent) donatorio bonae fidei reparare teneretur. Cf. Praxis (*n.* 1825).

PUNCTUM IX.

De obligationibus praeparatoriis et subsidiariis.

Obligatio praeparatoria est promissio faciendi aliquem contractum, v. g., vendendi, permutandi etc., dum, v. g., ad illum perficiendum scriptura a publico tabellione exaranda exigitur, quae postea locum habebit. Huiusmodi promissio *compromisus* appellari solet.

Obligationes subsidiariae sunt quae aliquando contractibus adnectuntur, eisque maiorem vim addunt et circa contractus executionem et firmitatem maiorem contrahenti securitatem praebent. Huiusmodi sunt 1. Poena conventionalis et harra: 2. fideiussio: 3. pignus: 4. hypotheca: 5. antichresis: 6. iuramentum. Dicam aliquid de singulis.

§ I.

De poena conventionali et harra.

3308. *Quid de poena conventionali?*

I. Est contractus accessorius, quo contrahens, ut de executione suae obligationis alterum contrahentem magis tutum reddat, atque ut damna reparata evadant in casu omissionis futurae, ad aliquid (v. g., ad solvendam mulctam) se obligat, sive pro mora, sive pro omissione totali vel partiali.

II. Si contractus principalis esset invalidus, hic accessorius quoque (nisi de mente contrahentium aliter constaret) invalidus esset; sed non e contra.

III. Si poena conventionalis pro simplici et sola mora statuta fuisset (v. g., promitto solvere centum scutata intra mensem; et, si tardavero, talem vel talem mulctam praeterea solvam) tunc, morâ secutâ, creditor utrumque (scilicet tam poenam quam contractus executionem) exigere posset. Si vero in confuso statuta fuisset (v. g. dabo tibi mutuos intra mensem centum aureos sub poena etc.), tunc alterutrum tantummodo exigere poterit.

3309. *Quid de harra?*

I. Harra (it. *caparra*) est id quod, ipso actu contractus ab uno contrahente datur alteri, ut ex utraque parte de eius executione, aut saltem de damno non subeundo, maior securitas habeatur. Differentia inter poenam conventionalem et harram est quod poena promittitur, et harra datur.

II. Mora contingente, qui harram dedit, (si ex parte illius mora contigerit) illam perdit; et qui illam accepit (si ipse fuisset in mora) duplum solvere deberet.

III. Consuetudo est (apud nos) ut amissio harrae contrahentem ab obligatione (ante iudicis sententiam) liberet. Excipe 1° sponsalia. Excipe 2° si de mente contrahentium vel de diversa consuetudine quoad aliquos contractus aliter constaret.

IV. Harra erit restituenda, vel (si res ita ferat) in solutione computanda, si contractus fideliter adimpletus fuerit; aut si ex legitimo motivo (per se ad rescissionem sufficienti) executioni mandari non potuerit. Praxis (1759).

§ II.

De fideiussione.

3310. *Quid est fideiussio?* Fideiussio (it. *sicurtà*) est alienae obligationis in se susceptio; quatenus scilicet quis (ad creditorem magis tutum reddendum) se obligat ad solvendum, vel satisfaciendum, si non solverit vel non satisfecerit debitor (aut alius fideiussor; possunt enim plures esse fideiussores). Datur etiam fideiussio fideiussoris.

Aliud est tamen ita se obligare (et sic vere fideiubere), et aliud fidem facere de probitate vel statu alicuius, aut suadere ut alicui pecunia mutuetur aut aliquid ad creditum vendatur etc.

Fideiussio non solum obligationes quae ex contractibus, sed etiam illas quae ex alio capite (v. g. ex delicto, sententia iudicis etc.) provenerint, respicere potest.

3311. *Quotuplex esse potest fideiussio?* Potest esse 1° Simplex vel solidalis. *Simplex* est quando creditor debet prius experiri an creditum suum a debitore exigere possit. *Solidalis* est quando, debitore etiam non excusso, creditor a fideiussore solutionem petere potest. Potest esse 2° legalis vel iudicialis, aut voluntaria. *Legalis vel iudicialis* est quando a lege vel a iudice exigitur ut quis fideiussorem praebeat. *Voluntaria* est

quando, nec lege nec iudice cogente, privata voluntate intervenit. Potest 3° gratis, vel pretio recepto, praeberi.

3312. *Quid exigitur ut fideiussio sit valida?*

I° Ut contractus principalis (scilicet inter creditorem et debitorem) sit validus saltem naturaliter; unde, si ageretur de re iniqua vel iniusta (v. g., de usuris), fideiussio non teneret. 2° Ut persona sit capax se obligandi, unde uxor excluditur sine mariti auctorizatione, nisi agatur de mercatrice. Idem dic de Religiosis sine consensu Praelati. 3° Ut qui fideiubet sit idoneus, scilicet habeat media antistandi etc.; qua de re (et pro casibus gravioribus; maxime vero si de fideiussione legali aut iudiciali agatur) leges civiles plura exigunt, ut videre est *A*. 1905.

Notandum quod fideiussio valere potest etiam pro contractu futuro et non adhuc celebrato. Dicis v. g.: *Ex nunc fideiubeo pro Petro si talem vel talem contractum celebraturus erit:* vel etiam: *Fideiubeo pro quolibet contractu quem cum Petro celebraveris.*

3313. *Fideiussio estne contractus qui celebretur solum inter fideiussorem et creditorem?* Contractus fideiussionis semper inter creditorem et fideiussorem, et ordinarie etiam inter debitorem et fideiussorem initur. Dixi *ordinarie;* nihil enim vetat, quominus (prout aliquando fit), inscio quoque vel etiam invito debitore, quis soli creditori fideiussionem suam offerat, et cum illo solo se obliget.

3314. *Quomodo obligatur fideiussor erga creditorem?*

Ordinarie fideiussor (eiusque haeres; fideiussio enim transit ad haeredes) obligatur sicut debitor, nec plus nec minus: unde dicitur quod *obligatio fideiussoris sequitur naturam obligationis principalis.* Hinc fideiussor in defectu debitoris satisfacere tenetur non solum quoad substantiam contractus, sed etiam quoad circumstantias, consequentias, et damna, sicut debitor ipse principalis. Exemplum habes in fideiussore pro conductione fundi rustici, qui non solum solutioni pensionis, sed etiam omnibus pactis in ipso conductionis contractu sive expressis sive implicitis antistare debet. Non tamen tenetur ad plus; unde conditiones, quae in favorem debitoris appositae fuerint (v. g. si obligatio fuisset conditionalis, alternativa etc.), in fideiussione quoque et in favorem etiam fideiussoris subintelliguntur.

Dixi *ordinarie*, quandoquidem I. Fideiussor obligari potest ad minus, si nempe expresse cautum fuisset ut eiusdem obligatio esset magis restricta. Agebatur v. g., de locatione fundi ad no-

vennium, et fideiussor solum ad triennium vel solum quoad pensionem, non vero quoad alia pacta et damna, se obligavit.

II. Obligari potest cum vinculis maioribus et specialibus; quod contingeret 1° Si, dum debitor se obligavit simpliciter, ille cum iuramento, vel cum pignore, vel cum hypotheca, vel cum harra, vel ad mulctam se obligaverit: 2° Si, dum debitor se obligavit privata conventione, ipse cum publico instrumento obligationem contraxerit: 3° Si, dum obligatio debitoris fuisset infirma et subiecta rescissioni aut annullationi (eo quod, v. g. ageretur de minore, interdicto etc. sine consensu tutoris; vel de Religioso non adhuc obtento consensu Praelati); obligatio fideiussoris e contra civiliter valida et firma fuisset.

III. Si tamen fideiussio fuisset simplex et non solidalís, tunc fideiussor erga creditorem teneretur solum in casu extremo, si nempe debitor evasisset decoctus, aut media omnia (etiam iudicialia) fuissent tentata sed frustra.

3315. *Quid de effectibus fideiussionis inter debitorem et fideiussorem?*

Fideiussio non liberat debitorem; qui profecto debitum suum sicut antea solvere tenetur suo tempore. Si non solvat, et proinde fideiussor solvere cogatur; tunc, si fuerit in culpa, pro debito et damnis (fideiussori obventis); si autem ex impotentia solvere omiserit, tunc pro solo debito (si postea media habebit) erga fideiussorem tenebitur. S. Lig. (*n.* 912).

Notandum 1° quod fideiussor, qui solvit, regressum habet pro debito contra debitorem, quamvis eo inscio fideiussisset; facta enim solutione, fideiussor in omnia creditoris iura succedit. Sed quid si creditor tam a fideiussore quam a debitore solutionem fraudulenter petiisset et recepisset? Tunc fideiussor ius haberet contra creditorem, non vero contra debitorem, nisi ad solvendum iudicialiter coactus fuisset. Requisitus enim privatim de solutione, debitorem admonere debuisset.

Notandum 2° quod fideiussor contra debitorem, etiam antequam pro illo solutionem fecerit, agere potest in quibusdam casibus, et praecipue si res illius valde male vertant, ut scilicet tempestive decreto iudicis copiantur et vendantur bona illius, ex quorum pretio creditori satisfiat. Caeterum cf. *Praxis* (n. 1812).

3316. *Quomodo extinguitur fideiussio?* Hoc in puncto, praeter notissima (quod scilicet fideiussio extinguitur solutione et remissione debiti) notari possunt sequentia:

I. Fideiussor (etiam solidalis) a sua obligatione liberatur, si creditor hypothecas aut alia iura contra debitorem non con-

servaverit; unde fideiussor contra debitorem ipsum amplius se tueri nequeat.

II. Momento ipso solutionis quam debitor fecerit et creditor acceptaverit, liberatur fideiussor, etsi postea creditor evictionem patiatur; nisi ex circumstantiis pateret quod fideiussio etiam pro casu evictionis petita et praestita fuisset.

III. Per adventum termini, quo solutio a debitore fieri debet, non statim liberatur fideiussor, sed sic distinguendum. Si iam inde ab initio protestatus fuerit se nolle antistare ultra terminum statutum, tunc (post illum) durat solum usque ad tempus necessarium pro coactione iudiciali et dummodo causa intra duos menses incoepta et diligenter prosecuta fuerit. Si vero fideiussor (ut supra) protestatus non fuisset, tunc adhuc diutius in obligatione permanet; ita tamen ut iudicialiter cogere possit debitorem ad solvendum; et tunc, eo solvente, liberabitur; non solvente, ipse solvere debebit.

IV. In quovis casu liberabitur decursu decennii, nisi obligatio ipsa ex natura propria diutius durare debeat.

§ III.

De pignore.

3317. *Quid est pignus?* Est res *mobilis*, quam debitor (aut tertia persona pro eo) tradit creditori (aut deponit apud tertiam personam quae gaudeat fiducia utriusque) ad eiusdem crediti securitatem; ut scilicet res ipsa deservire possit ad extinguendum debitum casu quo a debitore non extinguatur. Pignus itaque est cautio non personalis (ut fideiussio), sed realis; quae tamen ab hypotheca et antichresi distinguitur, in quibus res immobilis traditur.

Qui dat pignus debet habere facultatem sic rem illam in pignus dandi, sive sit res sua de qua liberam habeat administrationem, sive sit res aliena de cuius oppigneratione dominus sit contentus.

3318. *Quaenam sunt iura creditoris pigneratitii* (*scilicet habentis pignus aut ius ad illud*)?

I. Si pignus habere debeat, ius habet ut illud sit idoneum.

II. Ius habet illud retinendi ex toto donec *ex toto* (sive a debitore sive ab eiusdem haeredibus) debiti solutionem receperit: unde, recepta solutione partiali, partem pignoris restituere non tenetur. Uno verbo, pignus *semper* consideratur ut indivisibile.

III. Ius habet pignus conservandi; idque expensis (si essent necessariae) sibi refundendis a debitore; quibus ex integro non refusis, pignus restituere non tenetur.

IV. Si pignus esset fructiferum, fructus tamquam partialem sortis restitutionem computare deberet, nisi etiam creditum suum esset fructiferum, et loco eiusdem fructuum fructus pignoris retineret.

V. Si pignus casu periret, non ideo creditum periret.

VI. Si debitor, elapso tempore praefixo, non solveret, creditor ius haberet sibi consulendi ex pignore, sed solum per quantum sufficeret ut indemnis redderetur. In foro tamen externo aestimatio peritorum et sententia iudicis (ad cavendum periculum hallucinationis) exigeretur.

VII. Si alii creditores debitorem, qui pignus tibi dedit, urgerent, atque eius bona sequestraturi essent, rem in pignus tibi *datam* (aliud esset si solum promissa fuisset) sequestrare nequirent; pignus enim privilegium et praelationem creditori confert. Si tamen valor pignoris 500 fr. excederet, ad gaudendum hoc privilegio, oppigneratio in scriptis et cum accurata descriptione obiecti celebrari debuisset.

3319. *Quaenam sunt iura debitoris pigneratitii?* Ius habet speciatim ad sequentia.

I. Ut creditor pignore non utatur sine eius consensu (saltem praesumpto).

II. Ut creditor damna ei reparet, si forte ex eiusdem negligentia pignus periret, vel deteriorationem pateretur.

III. Ut, debito plene extincto, pignus sibi absque mora restituatur.

IV. Ut, si creditor ad sibi consulendum (ut supra *n.* 3317. VI) pignus vendidisset, excessum pretii (si forte adfuerit) sibi restituat.

§ IV.

De Hypotheca

3320. *Quid est hypotheca?* Est veluti pignus bonorum immobilium, et consistit in hoc quod creditor, illam imponendo, acquirit ius non iam ex bonis hypothecatis percipiendi fructus, sed solum illa vendendi iudicialiter et sub hasta (si debitum suo tempore sibi non solvatur), ita ut praelationem habeat contra alios creditores; exceptis tamen creditoribus privilegiatis (*cf. n.*

3235 *III.*). Hoc autem verum est quamvis fundus hypothecae subiectus ad alios possessores transierit, aut mutationes subierit. Praxis (*n.* 2248).

3321. *Quaenam exiguntur ut hypotheca valide imponi possit?* Quatuor : I° iustus titulus; 2° obiectum capax; 3° determinatio debiti et fundi; 4° publicitas.

3322. *Quinam esse possunt iusti tituli?* Tres: 1° Conventio; 2° lex; 3° sententia iudicis. Hypotheca in primo casu *conventionalis*, in secundo *legalis*; in tertio *iudicialis* appellatur.

3323. *Quandonam locum habet hypotheca conventionalis?* Quando debitor (aut fideiussor) consentit ut proprius fundus hypothecae subiiciatur in favorem creditoris. Cf. Praxis (*n.* 2242).

3324. *Quandonam locum habet hypotheca legalis?* Quando, irrequisito quoque aut repugnante domino fundi, lex dat ius imponendi hypothecam, ut in casu venditoris, qui hypothecae subiicere potest fundum venditum si forte emptor pretium adhuc solvere aut aliis pro fundo empto obligationibus satisfacere debeat. Idem dic de illis cohaeredibus, aut legatariis, qui suam partem in dominium non habuerint etc. (*l. c. n.* 2243).

3325. *Quandonam locum habet hypotheca iudicialis?* Quando quis ad solvendam in posterum pecuniae summam, vel quid simile, a iudice damnatus fuerit.

3326. *Quaenam obiecta hypothecae subiici possunt?* Bona immobilia, scilicet fundi rustici et urbani, aut alia bona quae immobilibus aequiparantur, Vide *Praxis* (*n.* 2245).

3327. *In quo consistit determinatio debiti et fundi?* Oportet 1° ut debitum solvi possit et debeat praecise ope pecuniae in tali vel tali summa determinata: 2° ut fundus individualiter designetur iuxta sua confinia etc. Hodie hypothecae generales non amplius admittuntur.

3328. *In quo consistit hypothecae publicitas?* Oportet ut hypotheca, ope inscriptionis in publicis regestis (it. *all'ufficio delle ipoteche*), publica reddita fuerit.

3329. *Possessor fundi hypothecati ad quid obligatur ratione hypothecae?* Debet (sub poena refactionis damnorum) custodire fundum ipsum ne pereat, aut (cum damno creditoris hypothecarii) deterioretur.

3330. *Quid si creditores hypothecarii essent plures?* Si fundus ad satisfaciendum illis omnibus non sufficeret, primi, seu (ut aiunt) qui habent hypothecam in meliori sede, praeferuntur posterioribus, iuxta regulam, *qui potior est tempore potior est iure.*

3331. *Quid si fundus hypothecatus in plures partes postea divideretur?* Hypotheca habetur ut indivisibilis, et est tota in toto, et tota in qualibet parte.

3332. *Hypothecae quomodo extinguuntur?*

I. Si debitum ex integro (sive solutione, sive remissione, sive praescriptione etc.) iam extinctum evasisset; corruente enim principali, corruit etiam accessorium.

II. Si creditor hypothecae renuntiaverit eiusque *cancellationi* (seu *radiationi*) consenserit. Notari potest quod concellatio partialis dicitur *reductio*.

III. Si hypotheca intra triginta annos renovata non fuerit.

IV. Si fundus hypothecae subiectus interiisset. Sed hoc in puncto notanda sunt sequentia: 1° Remanente parte (v. g. areâ post domus ruinam) hypotheca in illa parte remanet: 2° Si quod superest ad tuendum creditum non sufficit, creditor ius habet contra debitorem ad aliam hypothecam in supplementum; quae si non praestetur, solutionem (termino quoque non adhuc advento) exigere potest. Cf. *Praxis* (*n.* 2248).

§ V.

De antichresi.

3333. *Quid est antichresis?* Illa quoque est quoddam pignoris genus: et contingit quando fundus immobilis et *fructiferus* datur creditori cum pacto, ut illum retineat usquedum debitum ei solvatur, atque interim (et in hoc distinguitur ab hypotheca et multo magis a pignore simplici) fructus sibi applicet cum obligatione illos computandi annuatim pro foenore (si foenus esset solvendum), aut pro sortis extinctione exequenda paulatim, atque (ut dici solet) *a scaletta.*

De hoc contractu vide explicationes in *Praxi* (*n.* 2265).

§ VI.

De iuramento contractibus adnexo.

3334. *Quot modis iuramentum adnecti potest contractui?* Adnecti potest 1° contractui valido et firmo: 2° contractui invalido: 3° contractui infirmo seu rescindibili.

3335. *Quid de iuramento adnexo contractui valido et firmo?*

I. Efficit ut contractus maiorem vim habeat, et servari debeat etiam virtute religionis.

II. *Sequitur naturam actus*, quatenus conditiones, limitationes et exceptiones, quae subintelliguntur in contractu, subintelliguntur etiam in iuramento.

3336. *Quid de iuramento adnexo contractui invalido?*

I. Non valet, praecipue in duobus casibus. Primus est si contractus respiciat rem illicitam, quia *iuramentum non potest esse vinculum iniquitatis*. Exemplum habes si quis promitteret et iuraret homicidium committere, vel sententiam iniustam ferre, vel non denuntiare confessarium sollicitantem, vel deficere proprio officio, vel non petere restitutionem rerum ecclesiae quae sibi administratori ablatae fuissent etc. Secundus casus est si lex positiva nedum contractum sed etiam iuramentum explicite irritasset. Exemplum habes in venditione vitalitia fructuum beneficii; vel in renuntiatione, quae a Novitio facta fuerit, suorum bonorum, sine licentia Episcopi, vel cum illâ quidem sed non adhuc incoeptis duobus mensibus professioni proximis, Idem dic si lex non explicite, sed implicite, iuramentum irritasset (eo quod, v. g., contractus nedum invalidetur sed etiam prohibeatur, vel secus lex ipsa nimis facile contra bonum publicum eluderetur etc.). Exemplum habes in matrimonio iurato, quod sine parocho et testibus, vel cum alio impedimento dirimente, celebraretur.

II. Valet iuramentum adnexum contractui de re licita et irritato quidem sed non prohibito, quod facile accidit in contractu sola lege civili (v. g., ob defectum solemnitatum) invalido; dummodo sententia iudicis illius executionem non interdicat, iuxta dicta *n.* 3279. Generatim enim leges civiles inducunt invaliditatem pro norma tribunalium; non vero quia ad illam obligare velint etiam in conscientia atque ante iudicis sententiam. Aliunde regula est quod *servandum est iuramentum quoties sine salutis aeternae dispendio et sine alicuius detrimento servari potest.*

3337. *Quid de iuramento adnexo contractui rescindibili, dum scilicet quis illum non esse rescissurum iurat?*

Si contractus sit de illis qui voluntate *spontanea* contrahentis potest reddi firmus, ita ut (iuxta dicta *n.* 3284) ex ipsa obligatione iustitiae naturalis in conscientia firmus evadat; tunc iuramentum tenet, nec dispensari potest. Hoc accidit, v. g, in casu mulieris coniugatae quae pressa necessitate aliquid vendit, et iuramento tutum reddit emptorem se non esse venditionem rescissuram. Si vero contractus voluntate contrahentis firmus reddi nequeat virtute iustitiae, eo quod alter contrahens

vim aut dolum adhibeat, vel utcumque iniuste procedat, et sic nullum ius acquirere possit (ut in casu usurae promissae usurario, aut pecuniae promissae latroni minis illam petenti); tunc iuramentum aut leviter tantummodo obligabit ex sola religione, aut (prout multi opinantur) nihil prorsus valebit; semperque facile dispensari poterit.

PUNCTUM X.

De modis quibus obligationes extinguuntur.

3338. *Quot modis obligationes extingui possunt?* Novem modis: 1° Solutione et satisfactione: 2° Remissione: 3° Rei debitae interitu: 4° Compensatione: 5° Confusione: 6° Rescissione legitima: 7° Verificatione conditionis resolutivae: 8° Praescriptione: 9° Novatione.

3339. *Quid de solutione et satisfactione?* Clarum est quod debita extinguuntur solutione (it. *col pagamento*), et satisfactione, scilicet praestando rem vel actionem debitam. Attamen notanda sunt sequentia:

I. *Quoad rem dandam*: 1° Res, quae in debiti extinctionem datur, debet dari ab eo qui illius dominium et liberam administrationem habeat; qui enim daret rem de qua disponere nequit, posset atque deberet illam repetere. Excipe casum rei mobilis (nec furtivae nec amissae) quae sic ad tertium bonae fidei transierit, iuxta dicta (*n.* 3033). 2° Non potest commutari in aliam, etsi meliorem, invito creditore; qui insuper cogi nequiret ad acceptandam partem, etsi de re divisibili (v. g. de summa pecuniae) ageretur. 3° Si res danda non esset determinata nisi quoad speciem, v. g., triticum, debitor non teneretur dare optimum, sed nequidem posset dare pessimum.

II. *Quoad personam solventem*: Debitum extingui potest etiam a tertia persona, imo invito quoque debitore, dummodo creditor in debiti extinctionem rem oblatam acceptet. Si debitum consistat in actione, haec ordinarie a debitore personaliter praestari debet.

III. *Quoad personam creditoris*: 1° Solutio fieri debet creditori, vel eius mandatario, vel eiusdem cessionario (illi scilicet cui a creditore ipso vel a iudice creditum translatum fuerit). Excipe nisi solutio alteri facta a creditore expresse aut tacite ratihabita fuerit. 2° Etsi regulariter non valeat solutio facta creditori, si ille rerum suarum administrationem non habeat (ut

puta, si esset minor, interdictus etc.); valeret tamen si probari posset, in illius veram utilitatem impensam fuisse. 3° Apud nos (lege civili ad bonum commercii sic disponente) valet solutio facta bona fide creditori putativo, dummodo ille in crediti pacifica possessione esset, quamvis postea detegeretur creditum ad alium spectare. Casum habes in illis qui adierunt haereditatem eamque pacifice possident atque ab omnibus legitimi haeredes reputantur.

IV. *Quoad locum*: Seclusa diversa conventione, solutio fieri debet in domicilio debitoris, aut (si agatur de emptione) in loco ac tempore ipso quo res empta traditur. Casu quo creditor solutionem irrationabiliter recipere recusaret, res solvenda, praevia intimatione legali, apud capsam publicis depositis destinatam deponi poterit. Cf. *Praxis* (*n.* 1786).

V. *Quoad expensas* pro solutione exequenda necessarias, hae ad debitorem totaliter spectant. Excipe 1° Si aliter conventum fuerit. 2° Si debitor praedictum depositum perficere (pro eoque speciales expensas sustinere) coactus fuerit.

3340. VI. Qui erga eundem creditorem plura eiusdem speciei (v. g. pecuniae) debita habet, si solvat solum in parte, ius habet declarandi quale debitum solvere intendat. Si nihil declaret, intelligitur quod debitum maturum; si plura sint debita matura, magis sibi gravosum; si sint aeque gravosa, antiquius; et, si nulla differentia appareat, singula proportionaliter solvere intenderit. Si tamen debitum sortem et fructus respiciat, prius pro fructibus solvendum est, et solum postea per sorte.

VI. Solutio indebite (scilicet pro debito non existente) facta repetibilis est. Solutiones tamen factae *voluntarie* pro debito naturali (etsi civili lege non recognito), v. g., merae conscientiae, vel pro testamento informi, vel pro ludo, vel ex pietate, gratitudine, urbanitate etc., repetibiles minime sunt. (Cod. it. *A.* 1237).

3341. *Quid de remissione debiti?* De hoc vide dicta (*n.* 3260-3264); et nota quod ad remissionem tacitam vel praesumptam sufficit si creditor chirographum obligationis restituat; non vero *per se* sola restitutio pignoris aut liberatio fideiussoris sufficeret. Haec remissio a iuristis *acceptilatio* appellatur.

3342. *Quid in dubio de solutione facta vel de remissione obtenta?* Vide dicta *n.* 3160, et adde quod in contractibus gratuitis longe facilius solutio vel remissio probabilis sufficere potest. Lugo (*De Poen. XVI* 60).

3343. *Quid de extinctione debiti propter rei debitae inte-*

ritum? Distinguendum inter debitum rei indeterminatae et reì determinatae.

Si agatur de re indeterminata, debitum ex hoc capite non extinguitur, quia, una vel pluribus rebus pereuntibus, aliae remanent; ut puta, si tu habens gregem dixisses: *dabo tibi unam ex ovibus meis,* vel habens tantummodo ovem et haedum dixisses: *dabo tibi ovem vel haedum.* Excipe nisi grex tuus periisset totus, vel tam ovis quam haedus periisset, vel intentio tua fuisset ut, pereunte ove, haedum dare non tenereris.

Si autem agatur de re determinata, illa pereunte, *regulariter* debitum extinguitur. Si enim res illa fuisset alterius contrahentis (ut in deposito, commodato, precario, pignore, locatione, atque etiam in venditione ante traditionem etc.) valeret effatum *res quae perit domino suo perit*; et idem dic si apud te possessorem bonae fidei (quin ditior factus fuisses) res aliena periisset (Cf. *n.* 3124). Si autem res fuisset tua, ut in promissione, aliam dare non tenereris, quia illam et non aliam promisisses.

Dixi *regulariter*, excipiendi enim sunt duo casus. Primus est si assecurationis contractus intercessisset. Secundus est si ex iniuria tua damnum evenisset. Exempla. Rem per furtum abstulisti, eaque periit apud te, dum apud dominum peritura non fuisset (iuxta dicta *n.* 3137). Res aliena apud te deposita vel tibi commodata aut res tua alteri debita, non casu, sed ex malitia vel culpa tua, periit etc.

3344. *Quid de extinctione debiti propter compensationem?* Hoc accidit tum quando creditor meus iam se compensavit, tum quando creditor meus evasit debitor erga me. Sed in hoc secundo casu, ut debitum meum vere extinguatur, quaedam circumstantiae necessariae sunt; nempe oportet 1° Ut debita reciproca sint de rebus eiusdem praecise qualitatis (v. g., pecunia, triticum etc.): 2° Ut debitum alterius sit aequale aut maius, atque insuper certum et maturum: 3° Ut debitum meum non sit de re a me accepta in depositum vel commodatum, atque adeo restituenda quamvis rei ipsius dominus sit debitor erga me etc.: 4° Ut debitum meum non sit de rebus dandis pro alimentis, res enim huiusmodi sequestrari nequeunt: 5° Ut creditor meus non se constituerit debitorem independenter a credito suo, atque adeo renuntiando compensationi. Exemplum: Dedi creditori meo pecuniam non in solutionem debiti mei, sed mihi restituendam.

3345. *Quid de extinctione debiti interveniente confusione?* Hoc accidit quando qualitates creditoris et debitoris in eadem persona uniuntur, ita ut quis evasisset debitor erga seipsum

(quod nihil consideratur). Casus esset si, mortuo Titio debitore erga Caium, Caius ipse eiusdem haeres titulo universali evaderet.

3346. *Quid de extinctione debiti propter rescissionem legitimam?* Casum habes in obligationibus ex metu vel dolo (iuxta dicta *n.* 3280 3382), vel a minore, interdicto, inhabilitato vel ab uxore (iuxta *n.* 3277), contractis; quae postea (cessante metu, vel minoritate etc.) ratihabitae non fuerint, qua de re vide *Praxis* (*n.* 1793).

3347. *Quid de extinctione debiti per verificationem conditionis resolutivae?* Casum habes in emptore qui pretium solvere amplius non debeat, quia venditor rem venditam ei tradere nolit, vel destruxerit etc.

3348. *Quid de extinctione debiti propter praescriptionem?* Casus esset si bona fide praeteriisset tempus ad complendam praescriptionem, et sic ad debitum extinguendum, a legibus designatum, iuxta dicta (*n.* 3022 et sqq.).

3349. *Quid de extinctione debiti per novationem?* Novatio intervenit quando debitum extinguitur quidem; sed ita ut novo pacto novum debitum contrahatur; ut puta, si quod debebatur Antonio postea debeatur Titio (extincto sic debito erga Antonium): vel si, dum prius debebatur pecunia, postea (loco pecuniae) debeatur grex, domus; vel si pretium debitum pro re empta convertatur in mutuum etc.

ARTICULUS II.

DE CONTRACTIBUS IN PARTICULARI.

In hoc brevissimo compendio meus scopus non est, ut de contractibus diffuse agam, sed solum ut per summa capita 1. de contractibus onerosis: 2. de aleatoriis: 3. de gratuitis, aliquid dicam.

PUNCTUM I.

De contractibus onerosis.

Hi sunt emptio-venditio, permutatio, mutuum ad interesse, locatio, societas, transactio, cambium, census.

§ I.

De emptione-venditione.

Dicendum est aliquid 1. de natura emptionis-venditionis; 2. de re vendenda: 3. de pretio: 4. de venditione sub hasta: 5. de venditione rescindenda: 6. de vendentibus pro aliis: 7. de cessione bonorum.

A.

De natura emptionis - venditionis.

3350. *Quid est emptio - venditio?* Est contractus quo unus dat aut se obligat ad dandam rem in dominium, et alter pretium.

3351. *Quotuplici ex capite emptio - venditio nullitate aut rescindibilitate laborare potest?*

1. *A parte vendentis vel ementis;* ut puta, si esset minor aut alius ex recensitis *n.* 3277, quibus adde genitores, tutores et curatores, qui bona filiorum et pupillorum suorum emere nequeunt; et idem dic de administratoribus, qui bona a se administrata emere non possunt.

2. *A parte rei venditae,* ut puta, si venderetur futura haereditas, aut res sacra qua talis. etc.

3. *A parte pretii*, si nempe pretium esset prorsus indeterminatum, dicendo v. g. *dabis mihi quod volueris;* tunc enim potius donatio quam venditio esset.

4. *A parte solemnitatis*, ut puta, si lex positiva (prout apud nos quoad immobilia) venditio in scriptis fieri deberet. Vide dicta *n.* 3279.

3352. *An et quo sensu, venditione secuta, rei venditae, quamvis non adhuc traditae, dominium transferatur?*

Si venditio fiat ad pondus, vel numerum, vel mensuram, vel si utcumque sub conditione suspensiva celebretur; tunc certe dominium, pendente conditione, non transfertur; nec valet quod ab emptore res empta (v. g. dolium in quo est vinum) sigillis munita fuerit; hoc enim non ad capiendam possessionem, sed ad cavendum ne mutetur, fieri solet. Tunc itaque, si res periret, venditori periret.

Si autem venditio ad corpus, vel utcumque absolute, celebretur, utique tunc, etiam ante traditionem (iuxta nostras leges), dominium transfertur; sed eo sensu quod res vendita, si interim pereat, emptori pereat; non vero eo sensu quod rei, quae uni vendita et non tradita fuerit, nequeat unquam transferri dominium in alium, cui postea vendita simulque tradita fuisset. Me explico. Distinguendum inter rem mobilem et immobilem. Si res mobilis, quae vendita (sed non tradita) fuerit uni, postea vendatur et tradatur alteri bonae fidei, hic secundus, a momento possessionis, rei ipsius dominium acquirit; ita tamen ut venditor erga primum emptorem de damnis, et de pretio forte recepto, teneatur (*A.* 1126). Si res immobilis, postquam simplici-

ter vendita fuerit uni, ita vendatur alteri, ut haec secunda venditio ope *transcriptionis* (apud officium hypothecarum) publica reddita fuerit, a momento huius transcriptionis, secundus emptor (etsi non bonae fidei) rei ipsius (vi legis) dominium acquirit (*a.* 1938 - 1942). Supposita tamen mala fide, aderit semper obligatio reparandi damna et restituendi pretium a primo emptore forte receptum etc.

3353. *Quandonam emptio est ad corpus seu ad aversionem* (*it.* in massa *seu* ad occhio), *et quandonam est ad pondus, vel numerum, vel mensuram?*

I. Quando tot librae, vel tot capita, vel tot mensurae emuntur (ita ut, si quid forte ex maiori massa supersit, illud emptum non censeatur); tunc certe emptio est ad pondus, vel numerum, vel mensuram.

II. Quando emitur tota massa (v. g., tota uva praedii, vel totum triticum horrei, vel tota cannabis, vel totus grex etc.); aut quando emitur pars praecise determinata (ut puta, si ex cella vinaria emerentur duo determinata dolia vini); tunc certe emptio est ad corpus; idque verum est non solum quando unicum pro tota massa (vel pro parte empta) statutum fuisset pretium (atque adeo nulla ponderatio vel numeratio vel mensuratio locum habere deberet); sed etiam (iuxta nostras leges: *A.* 1451) quando, ad finem cognoscendi massae ipsius quantitatem et pretium totale, res ipsa ponderarì vel numerari vel mensurari deberet, et pro singulis libris, vel capitibus, vel mensuris pretium constitutum fuisset. Attamen in hoc secundo casu, si res ante mensurationem vel numerationem etc. periret, eiusdem quantitatem mediis aequivalentibus probare (v. g., deducendo mensuram ex vase, vel numerum ex superstitibus etc.) ad venditorem spectaret. Patet autem quod interdum ponderatio vel mensuratio praecise possibilis est etiam post interitum, v. g., adpendendo animal mortuum, mensurando vinum putridum, numerando oves mortuas etc. (Ricci *Vol. VII. n.* 100).

3354. *Quid de venditione sub conditione degustationis vel probationis?* Conditiones huiusmodi praesumuntur suspensivae (*A.* 1453). Sed differentia est inter conditionem degustationis (prout contingere solet in emptione vini) vel si emptor dixisset *se sarà di mia piena soddisfazione;* et conditionem probationis (prout contingere solet in emptione equorum, horologiorum et machinarum). In primo casu venditor emptori dicenti rem degustatam sibi non placere, nihil opponere potest, quia de gustibus non est disputandum, etsi emptor in conscientia forte peccaret

et iniustus esset, si rem non sibi placere falso diceret. In secundo autem casu venditor, qui sciret rem suam nullo defectu laborare, emptori dicenti illam ésse defectuosam, iudicium peritorum opponere posset.

3355. *Res vendita sub conditione mensurationis vel degustationis etc. quandonam mensurari vel degustari debet?* Si tempus fuerit determinatum, illo; secus, quamprimum: et venditor admonere poterit emptorem ut intra certum diem (arbitrio boni viri statuendum) se praesentet etc.

3356. *Quid si per emptorem stetisset quominus res mensuraretur vel degustaretur, atque interim periisset?* In casu neglectae mensurationis, ponderationis, vel numerationis, periculum, esset emptoris; non item (probabiliter) in casu neglectae degustationis; forsan enim futurum fuisset ut res degustanda ei non placuisset; et proinde non constaret de damno. D' Annib. (*n.* 432).

3357. *Quid si venditor dixisset, rem esse talis vel talis quantitatis; sed in illa mensuranda defectus vel excessus reperiretur?* Reperto defectu, venditor (emptore id exigente) supplere, vel minori pretio contentus esse deberet. Reperto autem excessu, non ideo emptor (seclusa iniustitia manifesta) pretium, quod pro tota massa constitutum fuisset, adaugere teneretur. Si vero tota quidem massa empta fuisset, sed pretium pro singulis mensuris fuisset determinatum; tunc excessus, si esset modicus, nihil mutaret; si vero esset magnus (noster codex dicit ultra 5 p. $^0/_0$ quoad immobilia), tunc emptor contractus rescissionem exigere posset (*A.* 1474).

B.

De re vendenda.

Agendum est de venditione 1. mercis vitiatae; 2. rei alienae: 3. rei debitae: 4. rei sacrae: 5. rei prohibitae vendi: 6. rei et spei: 7. iurium.

3358. *Quid de venditione mercis vitiatae?*

Sub hoc nomine hic venit non solum merx proprie vitiata, scilicet speciali aliquo defectu laborans, v. g. tela muribus perforata, aut equus dispnoea (it. *bolsaggine*) affectus; sed etiam merx bona quae melior quam reapse sit appareat, v. g. tela quae videatur ex lino dum est ex gossypio; vel equus qui fingatur aptus ad equiria (it. *alle corse*), dum solum ad ducendos currus aptus est.

Venditio mercis vitiatae 1° potest esse iniusta a parte venditoris: 2° potest efficere ut emptor, contractu iam celebrato, reclamandi ius habeat. Haec duo sunt explicanda.

3359. *Quomodo venditio mercis vitiatae potest esse iniusta a parte venditoris?* Tripliciter, nempe ratione 1° pretii: 2° periculi: 3° doli.

Ratione *pretii*, si nempe tanti vendatur quanti valeret si vitiata non esset; sed notandum quod ex hoc capite iniustitia locum non haberet, quamvis actu contractus pretium sic esset iniustum, si ex lege mercatus (prout contingere solet in venditione boum, equorum etc.), postquam emptor vitium detecturus erit, ius haberet reclamandi et pretium imminuendi.

Ratione *periculi*, si nempe res vendita ex defectu occulto valde periculosa esset (v. g., bos cornu petit); tunc enim venditor nedum ex charitate sed etiam ex iustitia debet emptorem admonere; etsi forte sufficere possit si id solum post contractum praestet.

Ratione *doli*; sed quum venditio mercis vitiatae non semper sit dolosa, distinguendum est quandonam dolus interveniat et quando non.

3360. *Quandonam in venditione mercis vitiatae dolus non intervenit?* In sequentibus casibus:

1. Si vitium, nulla adhibita arte ad illud abscondendum, iam per se pateat, aut ab emptore prudenti (per indagines consuetas) facile recognosci possit. Ager, v. g., est prope flumen atque adeo periculo alluvionum expositus. Equus est claudicans vel monoculus. Trabes in domo vetusta sunt carie corrosae etc.

2. Si venditor expresse declaret se nolle antistare defectibus, et se vendere (ut dici solet) *a fuoco e fiamma*; aut si emptori petenti an merces sint talis vel talis qualitatis, respondeat: *hae sunt merces quas habeo; vide, observa, et eme si tibi placet.*

3. Si venditor, pretium enormiter minuendo, rem esse valde defectuosam palam faciat, ut puta, si bibliopola librum, in cuius medio aliquae paginae desunt, qui si integer esset, v. g., 20 fr. valeret, ad pondus chartae, v. g., pro uno fr., venderet.

4. Si ex ipso loco vel modo, quo res venduntur, vel ex ipsa professione venditoris, pateat res venditioni expositas defectuosas aut valde ambiguae utilitatis esse posse. Exemplum habes in scrutariis et circulatoribus (it. *ciarlatani*).

5. Si agatur de adulterationibus, mangoniis, fucis, aliisque fictionibus communibus et notissimis. Hoc contingere solet in telis, in cera, in anisis, in oleo, in vino, aliisque rebus innume-

ris, sive mixtis, sive etiam totaliter fictis, quae absque ulla nota ab omnibus venduntur. Item in illis vendentibus cannabem, fructus, ova, pisces etc., qui (prout de more) partem meliorem foris exponunt et deteriorem subtus reponunt.

6. Si agatur de illis consuetis mercatorum exaggerationibus, atque mendaciis, quibus personae prudentes nullam prorsus fidem praestant.

7. Si (prout contingere solet in venditione equorum, aliarumque belluarum) consuetudo mercatus sit, ut defectus reticeantur vel etiam denegentur, quin ulla iniustitiae vel improbitatis nota contrahatur; remanente postea in emptore iure reclamandi etc.

3361. *Quandonam in venditione mercis vitiatae dolus intervenit?* In sequentibus casibus:

Primus est si venditioni exponantur res ita corruptae aut falsificatae, aut quomodolibet deceptionibus subiectae, ut a personis honestis sic exponi non soleant, talisque venditio communi sensu proditio habeatur. Venditiones huiusmodi aliquando efficiunt ut res appareat maioris ponderis vel mensurae (v. g. vendendo lac mixtum cum aqua, vel massas cannabis in quarum medio sit cannabis madefacta, vel farinam recentem quae ex tritico aqua asperso fuerit confecta etc.): aliquando efficiunt ut res ab omnibus credatur apta ad aliquem finem specialem, dum ad finem ordinarium tantummodo apta est (v. g., vendendo grana tamquam apta ad seminandum, dum solum ad manducandum apta sunt): aliquando efficiunt ut res credatur apta ad finem ordinarium, dum reapse vel ad nihil deserviat (v. g., vendendo ova putrida aut semina bombicum inepta), vel etiam magnum damnum afferre possit (vendendo, v. g., medicinas vietas, cibos noxios, animalia contagio affecta, trabes in quibus fracturae periculosae fuco tegantur etc.).

Notandum quod deceptio quae, quamvis rationem doli habere videatur, tamen sit levis momenti, pro nihilo habetur, dummodo in pretio iustitia servetur. Exemplum esset si quis venditioni exponeret picturam ignobilis pictoris eique subscriberet: *Opus Raphaelis.* Quamvis enim venditor probus sic se gerere non deberet, tamen nemo prudens rem huiusmodi crediturus esset.

Notandum insuper quod defectus qui, contractu celebrato, facile evanescere vel emendari possit, dolum gravem (cavendo tamen ne damna subsequantur) minime constitueret. Hinc si iuvenis lue venerea (de qua suspectus esse non posset) afficeretur et matrimonium contraheret, de dolo gravissimo incusandus esset quidem si morbus diuturnus vel incurabilis foret: non vero si

certe et facile atque intra breve tempus (abstinendo interim ab usu coniugii) ab illo sanari posset.

Secundus casus, in quo dolus intervenit, est quando petenti seria de causa mercem talis vel talis qualitatis, v. g., vinum merum pro missis, aut telam lineam ad sacra indumenta conficienda, aut oleum aptum ad cibos condiendos etc., mercator vinum non devite vel lynphatum, aut telam ex gossypio, aut oleum combustioni tantummodo aptum daret.

Tertius casus (qui parum differt a secundo) est si venditor expresse assecurasset emptorem, mercem esse talis qualitatis, dum huiusmodi revera non fuisset.

3362. *Explica nunc quomodo venditio mercis vitiatae efficere possit ut emptor reclamandi ius habeat?* Ut ius istud subsistat, oportet 1° ut contractus *a fuoco e fiamma* (ut vulgo dicitur) celebratus non fuerit; 2° ut agatur de vitio certe antecedenti; quod scilicet actu venditionis certe existeret, saltem in causa. Dixi *saltem in causa*; prout contingere solet in multis morbis, qui, antequam se manifestent, existunt latenter; praesumendum autem est quod morbus actu venditionis sic existeret si intra breve tempus a regulis mercatus definitum se manifestet. Si autem non constaret quod vitium subsisteret antecedenter, et a fortiori si certe esset subsequens, maxime vero si emptor ipse illud dolose procurasset vel finxisset; utique tunc nullum reclamandi ius adesset.

3363. His praemissis, ius istud provenire potest 1° ex iure naturali: 2° ex usu mercatus: 3° ex lege civili: 4° ex pacto speciali.

Ex iure naturali, emptor exigere potest 1° rescissionem contractus et reparationem damnorum si venditor dolose processisset et dolus emptioni causam dedisset: 2° imminutionem pretii si, propter mercis vitium, iniustum fuisset.

Ex usu mercatus; locales enim consuetudines vim legis habent. Apud nos in mercatu belluarum usus est quod, propter quaedam vitia determinata, emptor ius habet reclamandi intra certum terminum, quamvis venditor dolose non processisset, imo vitium prorsus ignorasset; reclamare autem potest pro lubitu suo, sive ut contractus rescindatur, sive ut pretium imminuatur.

Ex lege civili, quae pariter ad reclamandum alterutrum pro libitu intra tres menses (secluso quoque dolo venditoris) ius dat, dummodo vitium actu contractus occultum fuerit, simulque adeo grave ut rem emptam vel reddat ineptam ad usum cui destinatur, vel usum ipsum valde diminuat; unde, si emptor id co-

gnovisset, ab emptione abstinuisset, aut pretium multo minus obtulisset (*A.* 1498-1502).

Possetne emptor exigere ut venditor defectum mercis emendaret? Negative ex lege civili, quae solum dat ius ad rescissionem contractus, vel ad imminutionem pretii, ut dixi.

Quid si res emptae fuissent plures, et vitium non in omnibus esset? Distinguendum inter res sibi invicem dependentes (ut par boum, par equorum etc.), et independentes (ut grex, armentum etc.). In primo casu emptor exigere potest rescissionem contractus ex toto; et in secundo solum quoad capita vitiata. Troplong (*n.* 577).

Ex pacto speciali; si nempe venditor de absentia vitii vel de existentia qualitatis, emptorem assecurasset. Tunc autem non attenderetur an de re gravi et occulta, an vero de re levi vel manifesta, ageretur.

3364. *Quid de venditione rei alienae?* Responsio patet ex supra dictis; et en summatim quomodo res se habent. Aliud est rem esse vere alienam, et aliud est rem esse solum alteri promissam. Si fuisset solum alteri promissa, venditio esset valida (quamvis illicita). Si autem fuisset vendita sed non tradita primo emptori, tunc secunda venditio valida esset si secundo emptori nedum vendita sed tradita fuisset.

Loquendo autem de venditione rei quae ita sit aliena, ut sub dominio et possessione alterius sit, practice distinguendum est inter venditorem et emptorem sequenti modo:

Quoad *venditorem*, ille 1° potest vendere rem adhuc alienam si sit mercator et agatur de re commercii sui (*Cod. Comm. n.* 95).

2° Potest vendere rem in dubio an sit aliena, admonendo emptorem, et sive antistando evictioni, sive imminuendo pretium iuxta dicta (*n.* 3306. V.).

3° Non potest vendere rem, si certe sciat esse alienam; et si illam vendat emptori de hoc ignaro, tenetur tum erga dominum tum erga emptorem; si vero illam vendat emptori scienti, tunc solum erga dominum teneretur, iuxta dicta (*l. c. III.*).

Quoad *emptorem*, videndum an bona, vel mala, vel dubia fide rem emerit: et applicanda erunt principia de possessore bonae fidei (iuxta dicta *n.* 3119-3129), vel malae fidei (iuxta dicta *n.* 3131-3141), vel dubiae fidei (iuxta dicta *n.* 3143-3154).

3365. *Quid de venditione rei debitae?* Si res debeatur alteri sive quia sit sua, sive quia ad illam ius, non latum tantummodo (v. g., charitatis, gratitudinis etc.), sed strictum habeat; utique tunc venditio locum habere nequiret; nemo enim

teneri potest ad pretium solvendum pro re sua, vel stricte (v. g., titulo promissionis, mercedis, haereditatis etc.) sibi debita. Hinc medici conducti aliique publici officiales, qui ex iustitia et stipendio publico suam operam praestare tenentur, iniusti sunt si pro opera ipsa a particularibus personis aliud pretium exigant. Idem dic si quis haberet ius strictum non equidem ad rem absolute obtinendam, sed ad illam recipiendam *gratis*, casu quo res ipsa ei dari vellet. Exemplum habes in publicis eleemosynariis, in ministris qui *gratis* subventiones distribuere teneantur, in patronis beneficiorum ecclesiasticorum etc.

3366. *Quid de venditione rei sacrae?* Venditio rei sacrae aut spiritualis, qua praecise talis, simoniaca et invalida est; non enim est pretio aestimabilis, unde (seclusa condonatione emptoris) pretium ipsum receptum ex iustitia restitui debet. Cf. *n.* 2718, 2719.

3367. *Quid de venditione rei prohibitae vendi?* Venditiones huiusmodi mulctis quidem aliisque poenis subiectae esse poterunt; sed ordinarie non sunt invalidae; imo facile nequidem (in conscientia) illicitae sunt. Interdum tamen illicitae (v. g., si dolus contra emptorem interveniret), vel etiam invalidae sunt. Explicationis gratia, diversos casus expono.

I. Venditio quarundam rerum a legibus civilibus prohibetur propter monopolium (it. *privativa*), quod Status sibi reservat (exemplum habes in sale, tabacho, pulvere incendiaria, chartis lusoriis etc.). De venditione clandestina harum rerum (quae sciente et consentiente emptore peragatur) *per se* id unum dici debet, quod praedictum poenarum incurrendarum periculum aderit.

II. Idem dic de rebus, quarum venditio mercatoribus interdicitur, nisi prius iura Status aut Municipii (it. *diritti di dogana o di dazio*) soluta fuerint.

III. Venditio rei noxiae (v. g. veneni, clavis falsae, armorum insidiosorum etc.) nedum legibus positivis, sed etiam lege naturali interdicitur; et proinde illicita erit, non tamen invalida. Licita autem evadere posset in quibusdam circumstantiis et cum quibusdam cautelis a legibus ipsis determinatis, aut si venditor gravibus minis ab emptore ad aliquid huiusmodi ei vendendum cogeretur. Scavini (II. 386).

Quaestio incidens. *Quid de lanionibus vendentibus carnes animalium, quae non occisa sed sponte sua mortua fuerint?* Si haec venditio non esset dolosa, quatenus lanio de huiusmodi consuetudine diffamatus foret, tunc iniustitia proprie non interveniret. Si autem lanio pro viro probo haberetur, tunc venditio

dolosa, proditoria atque adeo iniusta, foret. Excipe nisi huiusmodi carnes pro additamento (it. *per giunta*) darentur, et innoxiae forent. Supposita iniustitia, onus restitutionis (saltem in proportione damni) adesset. Sed, quum hoc damnum difficile determinetur, bene contingere potest quod post factum (saltem si lanio non sit valde commodae conditionis) emptorum condonatio praesumi possit.

IV. Venditio actionis illicitae est invalida; sed post factum potest evadere valida, iuxta dicta (*n.* 3293).

V. Venditio hominis, qua quis seipsum aut alium in perpetuam servitutem tradit, potest esse licita et illicita.

Est licita: 1° si homo voluntarie seipsum in talem servitutem tradat; sicut enim potest in servitutem temporaneam, ita etiam in servitutem perpetuam (servata tamen libertate coniugii, religionis etc.) se tradere potest.

2° Si quis venderet hominem per iudicis sententiam ad servitutem perpetuam damnatum; sicut enim ad mortem, ita ad servitutem quis damnari potest.

3° Idem dic si iure belli (quod hodie non usuvenit) quis mancipium tuum evasisset.

4° Idem dic de iure nativitatis, quia scilicet ex ancilla (it. *schiava*) tua, quis natus fuisset. Cf. Scavini (*II.* 561).

E contra est illicita quando quis aliquem non consentientem, et sine ullo ex praedictis titulis, mancipium suum constituisset, et postea illum venderet, ut accidit in illo nunquam satis damnato commercio, quod it. *tratta dei Negri, tratta dei fanciulli* appellatur.

VI. Venditio haereditatis personae viventis, quatenus celebretur non absolute, sed sub conditione, atque ut contractus aleatorius, iure naturae esset valida. Sed invalidatur lege civili (*a.* 1460) dicente: « È nulla la vendita dei diritti di successione « di una persona vivente. » Et addit: » Ancorchè questa vi « acconsenta ». Ratio est quia venditiones huiusmodi ruinosissimae esse solent ipsis vendentibus, atque insuper inducere possunt periculum ne emptores vitae illorum, a quibus haereditatem expectant, insidientur. Cf. Troplong (della Vendita *a.* 1600).

Sed haec invaliditas a lege civili inducta valetne solum pro foro civili, an vero etiam in conscientia? Dicerem utrumque esse probabile. (Cf. *n.* 3279).

3368. *Quid de emptione rei et spei?* Emptio potest esse: 1° *rei* (dum scilicet emitur res certe existens et cognita etiam quoad quantitatem, qualitates etc.). 2° *Spei tantum* (dum scilicet ita

emitur spes, ut contingere possit quod nihil prorsus acquiratur; v. g., iactus retis). 3° *Rei simul et spei* (dum scilicet emitur res sub conditione quod adsit vel adfutura sit, simulque ignoratur cuiusnam quantitatis aut qualitatis sit; v. g., vinum non mensuratum, non gustatum etc., aut partus futurus). Notandum quod emptio quidem *spei tantum* esset valida, quamvis nihil acquireretur (v. g., nullus piscis iactu illo caperetur), sed emptio *rei simul et spei* invalida foret, si de facto rei emptae nihil adesset (ut puta, si dolia reperirentur vacua, aut non vino sed alio liquore plena, vel si, empto partu, nihil nasceretur).

3369. *Quid de venditione iurium?*

I. Quaedam iura (ut ius usus et habitationis, ius ad alimenta necessaria etc.) vendi nequeunt; sed regulariter vendi possunt alia iura, v. g., credita.

II. Credita vendi, aut quomodocumque cedi possunt aliis etiam sine consensu debitoris (secus esset de debitis, non consentiente creditore).

III. Creditum maiori vel minori pretio vendi poterit, secundum quod sit facilis vel difficilis exactionis, iuxta aestimationem peritorum (etsi forte emptor debitum difficilis exactionis facile esset exacturus).

IV. Cessio crediti fideiussionem de illius excussione non implicat; nisi pactum speciale intercedat.

Vide alia minutiora in *Praxi* (*n.* 1910-1917).

C.

De pretio.

3370. *Quid est pretium?* Est pecunia quae datur in compensationem rei emptae.

3371. *Quibus dotibus pretium debet esse praeditum?*

Debet esse 1° pecuniarium: 2° verum: 3° determinatum: 4° iustum.

3372. *Quid de prima dote*: ***Pecuniarium?***

I. Consistere debet in pecunia numerata, quia, si aliud daretur, non de venditione sed de permutatione ageretur.

II. De moneta falsa, vide *Praxis* (n. 1882). De moneta papyracea, si in commercio habeat valorem diversum a legali seu nominali, vide *l. c. n.* 1883.

3373. *Quid de secunda dote*: ***Verum?*** Hoc dicitur, quia secus venditio esset illusoria et ficta (scilicet de facto donatio

foret); ut puta, si pretium ficte promitteretur (creditore sciente, a quo reapse exigi nequiret), vel si esset statim restituendum, vel ridiculum prorsus (v. g. si pro obolo palatium venderetur).

3374. *Quid de tertia dote*: ***Determinatum?***

Pretium debet esse determinatum sive *in se* (v. g. centum aureis), sive *per relationem ad aliud* (v. g. quanti res prius empta fuit, vel quantum in arca est, vel iuxta publicam pretii medii notam, it. *mercuriale* etc.); sive denique *per arbitrium tertii*; oportet tamen ut hic tertius electus fuerit ex consensu utriusque contrahentis, et ille reapse pretium determinaverit (A. 1454).

Si autem pretium nullo ex his modis fuisset determinatum, dicendo solum, v. g.: *Vendo tibi rem istam*; vel: *Dabis mihi quod voluero*; vel *Dabis mihi quod volueris;* (tunc enim potius donatio esset); vel: *Iuxta arbitrium personae a nobis eligendae* (possent enim perpetuo dissentire; unde, donec illam non elegerint, nihil esset confectum). Cf. Voet (*L.* 18 *Tit. l. n.* 23).

Caeterum venditiones commerciales (quae scilicet a publicis venditoribus peraguntur) valent, quamvis dictum fuisset: *stabimus iusto pretio;* vel *stabimus iudicio tertii eligendi etc.* (Cf. Cod. Comm. *n.* 96): tunc enim non obstante futuro dissensu, venditio firma persisteret et recurrendi ad iudicem ius esset.

3375. *Quid de quarta dote*: ***Iustum?***

Praenotandum 1° Quod hic loquor de iustitia pretii rerum, non vero de iustitia mercedis operariorum, pro qua (ut *De locatione operarum* videbimus) magna diversitas intercedere potest. 2° Quod pretium imprimis potest esse *legale* et *conventionale.*

3376. *Quid de pretio legali?*

I. Est illud quo Princeps aut Magistratus quarumdam rerum publicae venditioni expositarum (v. g., panis) pretium praecise determinatum et fixum taxat, ne venditores (nisi forte res propter extraordinariam bonitatem sub taxa non comprehenderetur) plus exigere possint.

II. Pretium legale (quod hodie, in gratiam liberi commercii, apud nos non usuvenit) praesumitur iustum, et obligat etiam in dubio. Excipe nisi de iniustitia certe constaret, ut puta, si taxa, quae tempore copiae statuta fuisset, superventa penuria, immutata servaretur.

3377. *Quid de pretio conventionali?*

I. Est illud, de quo contrahentes (circa res taxae legali non subiectas) inter sese conveniunt.

II. Potest esse facile aut difficile aestimabile.

3378. *Quid de pretio **facile aestimabili?***

I. Contingit in rebus quae frequenter emuntur et venduntur, earumque proinde pretium ab omnibus cognoscitur, aut facile (recurrendo ad aestimationem peritorum) addiscitur. Exemplum habes in tritico, vino, oleo etc., imo etiam in auro, argento etc.

II. Potest esse *currens* (aut vulgare), et *exceptionale*. Currens, quod communiter adhibetur. Exceptionale, quod ob circumstantias particulares (ut infra explicabitur) a currenti dissidet.

III. Nomine pretii conventionalis intelligo etiam pretia fixa quae a venditoribus ipsis voluntarie circa merces suas (v. g. panem, vinum etc.) subinde determinari solent.

3379. *Quid de pretio currenti quoad eiusdem iustitiam?*

I. Quum iustitia consistat in aequalitate inter datum et acceptum, patet solum Deum cognoscere quodnam pretium praecise et certe sit iustum. Homines quaedam pretia tantummodo, de quorum iustitia probabilitatem habeant (quamdam sic latitudinem servando) determinare possunt; et haec, si ab omnibus, vel a peritis *communiter*, iusta censeantur, tamquam iusta reapse haberi debent. Hinc notissima distinctio inter pretium *medium*, *summum* et *infimum*. Pretium medium, v. g., sit decem, summum undecim circiter, et infimum novem circiter esse poterit. Et si pretium medium esset centum, summum centum quinque circiter, et infimum nonaginta quinque circiter esse posset. Quamvis autem melius sit ut pretium medium servetur, tamen sine iniustitia venditores ut pretio summo vendant, et emptores ut pretio infimo emant procurare possunt. Solum ultra pretium summum vendere et infra infimum emere (seclusa intentione donandi aut aleae se committendi) illicitum erit; quo in casu iniusta *contractus laesio* dicitur intervenire. Equidem apud nos in foro externo (ad nimias lites evitandas) datur actio solum si laesio fuerit ultra dimidium et quidem in solis rebus immobilibus; sed in conscientia quaecumque laesio (ut supra) ad restitutionem vel reparationem obligat.

Notandum insuper quod aliquando iniustitia intervenire posset quamvis intra limites iusti pretii contractus celebratus fuisset; nempe: 1° Si venditor pretium summum (vel medium) obtinuisset fraudibus, quibus seclusis emptor pretio infimo rem empturus fuisset. (Fraudes tamen a consuetis mendaciis, quibus nemo fidem praestat, distingui debet). Idem dic de mercatoribus qui dant munera famulis ut nedum eorundem negotium frequentent, sed etiam pretio summo semper acquiescant; et de mittentibus fictos oblatores, ut postea merces facilius pretio summo vendant, vel

infimo emant, cf. *Praxis* (*n.* 1879). 2° Si, venditione peracta pretio infimo, venditor ante traditionem (praetextu se compensandi) mercem adulteraret, vel (fraudando emptorem in pondere et mensura) imminueret; pactum enim ius dat ut servetur, et alioquin, si hoc licitum esset, pacta ad quid deservirent?

3380. II. Aestimatio peritorum duo iudicia implicare potest: 1° Iudicium quod res sit talis vel talis qualitatis: 2° Iudicium quod pretium rerum eiusdem qualitatis tale vel tale sit. Periti autem *consulti* praesumptionem quidem dant iustitiae, sed (absolute loquendo) possunt errare, et facilius in primo quam in secundo iudicio, idque maxime si unus tantummodo consultus fuisset. Possunt (inquam) errare, sive quia ipsi existimati fuissent periti et non essent, sive quia rem non sufficienter examinassent etc. Si autem de errore constaret manifeste, utique tunc pretium ab illis designatum iustum non esset; iustitia enim pretii non a particulari cuiuscumque hominis (etsi periti) iudicio, sed a communi (ut supra innui) peritorum aestimatione pendet, et praesumptio veritati cedere debet. Hinc contrahentes, peritorum errore detecto, contractus rescissionem vel modificationem exigendi (nisi de stando eorundem iudicio inter sese convenissent) ius haberent.

III. Pretium currens (ut omnes norunt) modo crescit et modo decrescit; idque pendet speciatim: 1° Ex generali in loco penuria vel abundantia mercis (hinc, quando primitus America reperta fuit, speculi, tintinnabula etc. magno pretio illuc vendere licebat): 2° Ex abundantia vel penuria pecuniae (quae pariter in loco sit generalis): 3° Ex multitudine vel paucitate emptorum: 4° Ex modo vendendi minutatim (*al minuto*), vel in magna quantitate simul (*all' ingrosso*). Haec omnia profecto iustitiae pretii non obsunt, idque verum est quamvis transitoria forent; ut puta, si hodie magna adesset affluentia emptorum quae cras non aderit.

3381. IV. Quominus pretio currenti emptio-venditio peragatur, non obstant sequentia: scilicet

I. Non obstat quod pretium ipsum in ignorantia communi fundetur; ut puta, si venditor, scientia sua particulari, sciret pretium brevi esse minuendum, vel e contra emptor sciret brevi auctum' iri. Haec tamen regula applicari nequit venditori mercis occulte vitiatae, qui enim sciret mercem suam vitio aliis omnibus ignoto laborare (v. g. bovi venenum fuisse propinatum) pretio currenti illam vendere nequiret. Praeterea notandum quod in venditione rerum, quarum pretium brevi imminuendum erit, charitas exigere posset (maxime si id facile esset) ut ruina alicuius

miseri emptoris declinetur, vel ut merces non omnes uni, sed pluribus, vendantur etc. Cf. Bucceroni (*n.* 1147).

II. Non obstat quod forte emptor scientia sua particularissima (quae peritis communis esse non possit) multo maioris valoris rem esse sciret; ut puta, si thesaurum aut venam metallicam in fundo emendo recondi cognoscere potuisset (Nota itaque differentiam inter venditorem mercis occulto vitio laborantis, et emptorem rei bona qualitate occulta praeditam).

III. Non obstat quod pretium ex malitia hominum (v. g. ex monopolio, vel ex sparsis notitiis falsis) efformatum fuisset. Qui tamen monopolium fecerint vel falsas notitias sparserint, utique iniusti fuissent. Cf. Praxis (*n.* 1863).

IV. Non obstat si circumstantiae, quae rei pretium diminuunt, emptori non officiant, v. g. si ille equum ferocem (quem ideo minoris emit) facile domaturus sit, vel creditum difficilis exactionis facillime exigere possit, etc.

3382. *Quid de pretio exceptionali? Quaenam scilicet sint circumstantiae, in quibus pretium maius vel minus currenti iuste adhiberi potest?*

I. Si contrahentes in incertitudine de iusto pretio versentur, et, quin curent de informatione capienda, aleae se committant, et de tali vel tali pretio conveniant. Idem dic si pretium iustum cognoscant, et ex spontanea liberalitate donationem immiscere velint; emptor scilicet plus pretio summo dare, aut venditor minus pretio infimo (eo quod, v. g. agatur de amico, consanguineo etc.) accipere contentus sit. Idem dicerem de iis, qui publicis circulatoribus (it. *ciarlatani*) dant aliquid pro unguentis, pulveribus etc. quae nihil valent: error enim est voluntarius, et intra se dicunt: sive valor adsit, sive non adsit, hoc pretium solvere contenti sumus. Aliud esset si ex errore veri nominis de pretio non iusto convenirent; error enim tollit voluntarium.

II. Si venditio dilata vel anticipata solutione peragatur; idque a fortiori si solutioni dilatae periculum etiam superadderetur pretium difficile vel nullatenus recipiendi?

III. Si venditor expensas vel laborem adsportationis de loco ad locum sustinere debeat: quo casu (uti patet) pretium cresceret. Decresceret e contra si emptor cum pacto retrovenditionis emeret, qua de re vide Bucceroni (*n.* 1154).

IV. Si res tradenda sit tempore quo magis vel minus valebit; v. g. si triticum ematur in aestate et tradendum sit hyeme; vel e contra ematur in hyeme et tradendum sit aestate (tempore messis).

V. Si non res sed spes emeretur.

VI. Si quis privatus vendere non indigeret et speciale sacrificium subiret se privando re, quam emptor petit; tunc enim locum habere potest (attamen discretione servata) pretium maius summo, quod *affectionis* dici solet. Idem dic a fortiori si venditor damna specialia, ex venditione (de qua rogatur), subire cogeretur. Imo vulgari, nec non recentiorum Theologorum sensu, pretium crescit absolute toties quoties a persona privata quis petit emendam rem, quae ei ad lucrum vel oblectamentum valde deservit (vulgo *ben mi sta*). Cf. Praxis (1868).

VII. Si emptori offeratur res, quae propter aliquam qualitatem multum valeret, sed ille ea qualitate non indigeat, ut puta, si aurifabro offeratur emendum candelabrum aureum, quod ei non deservit nisi quatenus est aurum.

3383. VIII. Si agatur de merce ultronea, si nempe quis (privatus) rogetur ut aliquid emat; vulgare enim est effatum quod merx ultronea vilescit; ratio est quia ex una parte venditor statim, et aliquando clandestine, vendere vult; et ex alia emptor inter varias merces, illam quae sibi magis placet, tunc eligere nequit; in talibus autem circumstantiis emptores sunt pauci et difficile inveniuntur, et proinde pretium decrescere debet. Hinc emptor minori pretio mercem ultroneam iuste emere posset, non solum quando cum suo sacrificio illam emeret, sed etiam quando res ipsa ei bene deserviret. Idque verum est etiam (inspecta sola iustitia) si venditor esset pauper, qui ex misera necessitate sic venderet. Dixi *inspecta sola iustitia;* charitas enim (uti patet) aliud exigere posset. Quantum autem pretium decrescat, Theologi non conveniunt; alii enim pro tertia parte et alii usque ad dimidium decrescere dicunt: plures autem docent nihil decrescere si de rebus, quae communiter sunt utiles (v. g. tritico, farina etc.) agatur. Ego censeo id regula generali definiri non posse. Aliud enim est si venditor sit pauper, qui dura necessitate coactus pretio oblato vendere consentiat, et aliud si sit dives, qui v. g. utensilia domus (eo quod alibi domicilium transferat) vendere velit; in hoc enim secundo casu plus adest voluntarii. Idem dic a fortiori si oblator mercis ultroneae non solum mercem ipsam offerat, sed etiam sponte sua eiusdem pretium determinet, prout non raro mercatores vendere indigentes facere solent. Quamvis autem (meo sensu) pretium aliqualiter decrescat etiam quando res communiter utilis offeratur, tamen certe in aliis casibus multo magis decrescere potest.

3384. IX. Si agatur de contrahentibus peritis, nec fraude deceptis, nec misera necessitate pressis; dum enim quis, sciens se non debere, aliquid solvit, voluntarie solvit, et praesumendum est quod ob aliquem occultum finem donare intendat. Aliud esset si de puero, de muliercula, vel de quolibet in eo contractuum genere non perito, ageretur. Cf. Praxis (*n.* 1870).

X. Mercatores, ut summum pretium obtineant, aliquid ultra summum petere solent. Si emptor, nulla interiecta difficultate, pretium petitum praebeat, non erit inquietandus venditor si illud recipiat, dummodo differentia sit exigua, et in pondere vel mensura (si fieri possit) abundet, aut aliis vicibus (si occasio detur) adventorem compenset. Si vero differentia esset magna, tunc se errasse et minori pretio rem illam dare posse, fateri deberet.

XI. Ut dixi (n. 3360. 7) in venditione animalium, quibusdam vitiis non patefactis, pretium statuitur, remanente postea iure reclamandi. Si forte emptor intra debitum tempus non reclamet, venditor non erit inquietandus si pretium, de quo conventum fuit, retineat vel exigat.

XII. Infra pretium minimum res, quae magis (vel etiam plurimum) valerent, emi possunt apud veteramentarios; quia voluntarie de illis aestimandis non curant, et, quidquid sit de earundem valore, de pretio a se ipsis statuto sunt contenti.

XIII. Denique pretium ultra summum vel infra minimum potest esse iustum, si venditio per publicam licitationem (seu hastam) peragatur. Sed de hoc infra.

3385. *An pretium exceptionale adhiberi possit quia venditor mercem maiori pretio emerit; vel subierit sumptus maiores iis quos alii subeunt; vel quia, propter speciale infortunium (v. g. naufragium) sibi obventum, si mercem currenti pretio venderet, nihil lucraretur vel iacturam faceret?* Negative. (Cf. Gury n. 901. 4).

3386, *Quid de casibus, in quibus pretium est* ***difficile aestimabile?***

I. Id accidit si agatur de rebus, quae raro vel rarissime venduntur; cuiusmodi esse possunt, v. g. picturae vel sculpturae auctorum celeberrimorum, gemmae rarissimae, res antiquitate pretiosissimae, cantus cantoris celebratissimi, usus corporis mulieris honestae etc.

II. Hoc in puncto varii casus contingere possunt, nempe 1° quod venditor certe sciat agi de re (propter pretiositatem) difficile aut vix aestimabili: 2° quod de hoc dubitet: 3° quod ex errore vel ignorantia de re vulgari agi certe credat.

In primo casu, sive venditor aliquem peritum consuluerit sive non, pretium, de quo cum emptore convenerit, semper tamquam iustum considerari debebit, nec venditor ipse reclamare potest, quamvis postea res ipsa magis aestimaretur, et longe maiori semperque crescenti pretio pluries revenderetur. Commercium enim huiusmodi rerum (propter difficultatem aestimationis, et raritatem emptorum) aliter fieri nequit; unde Theologi dicunt pretium in his casibus maximam habere latitudinem, et multi docent pretium de quo convenitur semper esse iustum, ut ego quoque censeo.

In secundo casu, ut venditor possit iuste exigere pretium maius illo quod rei vulgari correspondet, simulque emptor ius non habeat reclamandi, si postea reperiatur rem (sic magno pretio emptam) esse vulgarem et multo minus valere, oportet ut ambo contrahentes in tali dubio fuerint et aleae se commiserint. Alea autem nedum expressa esse potest, sed etiam tacita, si nempe emptor non ita criterio inops fuerit, ut ex magnitudine pretii agi posse de re valde pretiosa suspicari non debuerit. A fortiori autem firmus erit contractus si ambo alicuius periti iudicio se commiserint.

In tertio denique casu, aut contractus non erit validus, aut pretium erit augendum; error enim tollit voluntarium. Exemplum habes in vendente gemmam pretiosam pro vitrea, aut picturam Raphaelis pro vulgari. Cf. Bucceroni (*Instit. Vol.* 2 *n.* 142. 2, et *Casus Consc. n.* 212).

3387. *Quid sit monopolium et an sit iniustum?* Distinguendum inter varios monopolii modos, qui sunt quatuor.

Primus: Si Gubernium alicui concedat privilegium, ut solus aliquod mercium genus vendat; et tunc licet.

Secundus: Si mercator impediat ne alii merces advehant, ut sic ipse vel solus vendat vel maius lucrum faciat. Tunc, si vi vel fraude introductionem impediat, erit iniustus erga cives aliosque mercatores: si vero solis precibus (aut liberis pactis) impediret, iuxta plures theologos, iniustus non esset.

Tertius: Si venditores (etiam absque vi et dolo) inter sese conspirent seu paciscantur ut solum tali pretio vendant, vel emptores ut solum tali pretio emant. Tunc, si pretium istud esset per se iniustum, nempe quoad venditores ultra summum, et quoad emptores infra infimum aderit iniustitia; secus (dicunt plures theologi) si absque vi et dolo, conspirent in pretium quod (secluso etiam hoc monopolio) iuste intercedere posset.

Quartus: Si unus vel pauci mercatores magnam mercium

quantitatem emant, et postea magno pretio illas (tempus magis opportunum expectando) vendant. Tunc probabiliter iustitiam non violant, quia iure suo utuntur.

Notandum quod diebus nostris, propter viarum facilitatem, monopolia perniciosa, quae valde rerum pretia vexent, difficiliora admodum evaserunt.

D.

De venditione sub hasta.

3388. *Quid est hasta?* Hasta, seu licitatio, seu actio (it. *incanto*) est actus publicus, quo quis promittit rem suam vendere aut locare maius pretium offerenti; vel rem aut operam alterius sumere a minus pretium exigente.

Qui ad hastam concurrunt *licitantes*, et qui rem obtinent *adiudicatarii* appellantur.

3389. *Quotuplex est hasta?* Potest esse:

1. *Coacta*, quae fit iudicialiter instantibus creditoribus:

2. *Necessaria*, quae fit ex dispositione legis, ut puta, si vendendae sint res minorum, aut haeredum ut divisio (v. g., rei immobilis vel non commode divisibilis) fieri possit.

3. *Voluntaria*, quae fit sola vendentis voluntate.

4. *Cum* vel *sine reservatione novam hastam indicendi*, seu (ut vulgo dicitur) cum appositione sextae aut vigesimae; ita scilicet ut venditio firma non sit, si forte in novo praefiniti diei experimento maior oblatio locum habebit. Haec reservatio adest semper in hastis coactis et necessariis: non item semper in voluntariis.

5. *Cum designatione pretii a peritis* (Cf. Cod. di proced. civ. n. 663) *definiti*, infra quod nemo licitari possit, aut e contra sine tali designatione, aut cum facultate minus offerendi. Hodie ordinarie usuvenit ut pretium designetur, et minus offerri nequeat; si autem hasta, nemine concurrente, deserta remaneat, aliae hastae (pretio successive semper decrescenti) fiant; quod in hastis coactis (si desertae remanserint) iure ipso fieri debet (Cod. cit. *A.* 675). Alicubi autem, loco designandi pretium, consuetudo est *mercem retrahendi*, *vel ab hasta cessandi*, si optatum pretium non offeratur.

6. *Facto vel non facto pecuniae deposito ante licitationem ab iis qui licitari volunt.*

3390. *An venditio sub hasta sit iusta?* Potest esse iusta et

iniusta, iuxta diversos modos quibus peragatur, diversasque circumstantias. Nempe:

I. Certe iustissimus erat antiquus modus (ab auctoribus passim fere solum consideratus), quo nec pretium designabatur, nec venditori (quod fere in idem recidit) fas erat rem suam ab hasta retrahere et sibi retinere si optatum pretium non offerebatur. Tunc enim pretium, sicut poterat ascendere ultra summum, ita poterat remanere infra minimum.

II. Sed modus quoque modernus, quo hasta cum pretio designato aperitur, iustus est sine dubio, quamvis ex una parte pretium ipsum, fervore oblatorum (it. *per la gara*), forte ultra summum elevetur; et ex alia venditor periculo vendendi rem suam infra minimum non exponatur. Ratio est quia hodie, propter malitiam nimis frequentem emptorum, eorundem voluntati et discretioni determinatio pretii amplius relinqui nequit; sic enim venditores fere semper infra minimum vendere cogerentur. Aliunde hastae sunt necessariae, et casus, in quo pretium aliquando ultra summum elevari possit, nullo modo evitari potest. Adde quod communi omnium sensu, de liceitate hastae hoc etiam modo peractae non dubitatur. Adde leges civiles, ipsiusque Ecclesiae probationem et usum etc.

III. Possunt intervenire circumstantiae, quae hastae iustitiam corrumpant. Ad decidendum autem an factum aliquod iustitiam laedat, necne, periculose consulerentur Theologi, qui generatim regulas dumtaxat, quae hastis antiquis aptantur, exponunt. Videndum itaque potius an talis vel talis agendi modus communi omnium sensu, tamquam iustus et licitus probetur, necne. Cf. Aertnys (I. 490) et S. Lig. (*Prax. conf. n.* 44. *in fin.*).

His praemissis, aliqua particularia attingam.

3391. *An licitantes ficti sint iniusti?* Qui fingunt se velle ad hastam concurrere, ut a veris licitantibus pecuniam extorqueant, damnum (ut patet) cum vero dolo eis inferunt, et proinde iniusti sunt sine dubio, et pecuniam acceptam eis restituere tenentur.

Idem dic de illis, qui ad hastam concurrunt reapse, sed sine intentione rem obtinendi, bene vero (v. g. ex odio, vindicta etc.), ut sinceri licitantes cogantur vel oblationem adaugere vel pecuniam eis dare ut recedant.

Est qui dicit haec non esse iniusta, quia isti licitantes iure suo utuntur. Sed sensus communis ab huiusmodi doctrina abhorret. Ius quidem est licitandi, sed vere et sincere, non autem ficte, et cum huiusce generis intentionibus. Cf. Scavini (*n.* 405).

3392. *An veri licitantes, qui alios a licitando impediunt, ut ipsi viliori pretio rem obtineant, sint iniusti?*

Iniusti essent certe contra venditorem, atque etiam contra illos qui licitare vellent, si modis iniustis (nempe vi, minis, fraudibus, vel precibus sive importunis sive gravem metum reverentialem incutientibus) illos arcerent; et consequenter pro damno eis illato, aut pro rata spei eis ablata, ad restitutionem tenerentur.

Iniusti essent quoque (sed solum contra venditorem) si absque vi quidem et fraude (nempe simplicibus precibus, aut liberis pactis, aut oblatione vel promissione pecuniae etc.) illos arcerent; sed ita ut sic assequantur, ut infra pretium minimum rem obtineant. Ratio est quia monopolium istud destruit naturam hastae, illamque reducit ad venditionem communem, in qua emptionem infra pretium minimum (iuxta dicta n. 3379) procurare et efficere non licet. *

In his duobus punctis Theologi communiter conveniunt.

Sed possuntne precibus aut veris pactis etc. alios arcere, vel inducere ad licitandum solum pro tali vel tali pretio, ut sic non equidem infra pretium minimum emant, sed ut ultra minimum vel medium vel summum, pretium non elevetur? Certe licerent preces simplices, quae nec ad obtinendam seriam promissionem dirigerentur nec valde influerent, et (uno verbo) quae licitandi libertatem non adimerent.

Si autem ageretur de precibus valde cogentibus, vel de oblatione pecuniae, vel de veris pactis, id quoque licitum esset in sequentibus casibus; nempe 1° si hasta cum pretio summo aperta fuisset: 2° Si venditor licitatores pro se (ut infra explicabitur) intromitteret; tunc enim cautela *per se* iusta contra cautelam iniustam adhiberetur, et sic de redimenda iniqua vexatione ageretur: 3° Si, propter huiusmodi casuum frequentiam, iam in loco consuetudo efformata fuisset, qua tam a parte venditoris quam a parte licitantium haec licita existimarentur. Sed, praescindendo ab his tribus casibus, quamvis D'Annibale, Bucceroni et nonnulli alii adhuc stent pro licito, et Lugo (*XXVI.* 45) censeat peccatum esse solum contra charitatem; ego cum aliis censeo

* Dicit D'Annibale (*n.* 436), in hastis pretium infimum determinandum esse ut in merce ultronea, et addit quod, si pretium medium foret centum, pretium infimum in hastis esset quinquaginta. Sed haec regula mihi minime probatur; patet enim experientiâ quod hodie (apud nos) in hastis quoque res passim vendi solent pretio medio ordinario, et subinde etiam pretio summo vel plus summo.

hoc illicitum et iniustum esset. Ratio est quia agitur de hasta, et proinde de tacita stipulatione (quae utique ex iustitia obligat) quod omnia iuxta naturam hastae procedant. Hinc venditor verum et strictum ius habet ut nemo efficacibus modis oblatores alienet et emulationem (it. *gara*) impediat. Hoc patet etiam a legibus civilibus, quae (apud nos) rem huiusmodi (nedum quoad offerentes, sed etiam quoad acceptantes pecuniam) severissime vetant.

Codex poenalis (*a.* 299) dicit: « Chiunque con violenze o minaccie, *doni*, « *promesse*, collusioni, od altri mezzi fraudolenti, impedisce o turba la gara « nei pubblici incanti, o nelle licitationi private per conto di pubbliche ammi- « nistrazioni, ovvero ne allontana gli offerenti, è punito con la reclusione da « tre a dodici mesi, e con la multa oltre le lire cento ».

« Colui che *per denaro o altra utilità* data o promessa a lui o ad altri, « si astiene dal concorrere a detti incanti o licitazioni è punito con la reclu- « sione sino a sei mesi, e con la multa da lire cento a duemila ».

3393. *An venditor, qui statuit rem hastae expositam non vendere nisi tale vel tale pretium offeratur, et in hunc finem vel hastam retrahit si idem pretium non offeratur, vel efficit ut inter concurrentes adsit amicus qui plus aliis offerat, et sic pro illo rem ipsam obtineat; an (dico) venditor huiusmodi sit iniustus?* Affirmative *per se;* et ratio est ut supra, quia scilicet in hasta intervenit tacita stipulatio, qua venditor se obligat ad rem tradendam maiori offerenti, et proinde, maiori oblatione secuta, nequit amplius (sive manifeste, sive per amicum etc.) rem ipsam sibi vindicare.

Dixi *per se*; haec enim licerent in casibus sequentibus:

I. Si venditor per amicum licitaretur ad inutile reddendum monopolium licitantium, nempe ad redimendam iniustam vexationem.

II. Si ex loci consuetudine res huiusmodi tamquam licitae haberentur.

III. Si venditio non esset voluntaria, sed iudicialis, intimata scilicet a iudice sive pro divisionibus inter haeredes, sive instantibus creditoribus; tunc enim haeredum ipsorum aliquis vel debitor (utpote qui non proprie esset venditor) ad hastam concurrere posset. Ita docent Thelogi; sed Codex (*di proced. civ.*) A. 673 dicit: « Il debitore non può offerire all'incanto salvo che sia « erede con benefizio d'inventario ».

3394. *An venditor qui, non ut rem sibi vindicet, red ut concurrentes pretium adaugeant, fictos licitatores immittit, sit iniustus?* Affirmative per se; agitur enim de fraude veris licitantibus damnosa. Dixi *per se*; quia ad redimendam iniqui monopolii vexationem (ut supra), id quoque fieri posset.

3395. *An aliae iniustitiae in hastis contingere possint?* Affirmative, et speciatim: 1° si praeco (ad favendum aliquibus) eligeret tempus, in quo pauci licitantes convenire poterunt: vel si non daret tempus commodum ad offerendum etc.: 2° Si res expositae a licitantibus observatae postea, illis insciis, mutarentur: 3° Si venditor vitia rei expositae dolose occultaret, aut (venditione peracta) pro illis respondere nollet (attamen in venditionibus iudicialibus pro vitiis occultis actio redibitoria non datur: *A.* 1506): 4° si venditor evictioni (quae forte accideret) antistare recusaret.

E.

De obligationibus venditoris et emptoris.

3396. *Quaenam sunt* ***obligationes venditoris****, venditione peracta?*

1° Tenetur rem venditam emptori tradere. 2° Potest teneri pro evictione quae forte subsequatur, et pro oneribus non consuetis (v. g., servitutum, censuum etc.) et in contractu non declaratis. 3° Potest denique obligationes habere si merx vitiata ab eo vendita fuisset. De his aliquae explicationes sunt superaddendae.

3397. *Circa rem venditam emptori tradendam,* notari possunt sequentia:

I. Modus illam tradendi est diversus iuxta diversos casus diversasque consuetudines; modo enim fit per consignationem documentorum, vel clavium; aut per realem rerum ipsarum traditionem; aut per simplicem contrahentium consensum expressum etc. Cf. Cod. civ. (A. 1463 et sqq.).

II. Res vendita tradi debet 1° *tota*, nempe iuxta quantitatem in contractu indicatam. Si minor vel maior reperiretur, vide supra dicta *n.* 3357; et nota quod si emptor decepisset emptorem (dicendo, v. g., contra veritatem dolium venditum quinque mensuras capere) et dolus dedisset causam contractui, emptor ipse ad contractus rescissionem ius haberet. 2° Tradi debet *statim* nisi aliud tempus constitutum fuisset; tempore autem elapso et traditione non facta, emptor vel rem vel contractus rescissionem petere, et in utroque casu damnorum reparationem exigere posset. Attamen venditor rem tradere non teneretur, si emptor pretium non solveret; imo, si ex pacto ante pretii solutionem rem tradere deberet, ad hanc traditionem non teneretur, si

emptoris negotia ita male verterent ut proximum periculum non obtinendi pretium iam adesset (*A.* 1469). Insuper, si tempore statuto emptor pretium non solveret, venditor ad contractus rescissionem (atque adeo ad rem suam sibi vindicandam) ius haberet; aliter tamen et aliter secundum quod de re immobili, vel de re mobili, vel de re non adhuc tradita, vel iam tradita, vel ad manus tertii deventa etc., ageretur iuxta A. 1511, 1513 codicis civilis). 3° Tradi debet *in statu in quo erat actu venditionis;* quatenus venditor, si culpâ suâ theologicâ res non adhuc tradita subiisset deteriorationem, hanc resarcire deberet. 4° Tradi debet cum suis accessoriis, cuiusmodi sunt, v. g. quoad fundum rusticum, fructus pendentes (etsi maturi forent), stramen, sterquilinium etc.; et, quoad fundum urbanum, cavaedium, viridarium adnexum, portae, tegulae etc.; quamvis istae venditionis tempore (v. g., motivo restaurationis) suo loco non essent (vide dicta *n.* 2973). 5° Tradi debet *in loco ubi erat tempore contractus* (*A.* 1468); sed hoc intelligi debet nisi aliter conventum fuerit, aut nisi alia sit consuetudo, quae, iuxta diversa rerum genera diversasque circumstantias, diversa esse potest. 6° Expensae traditionis (v. g., pro mensuratione, ponderatione etc.) ad venditorem spectant (sed haec omnia intellige semper cum limitationibus supradictis); expensas autem adsportationis de loco ad locum sustinere debet emptor, ad quem etiam expensae instrumenti (quod forte conscribi debuerit) spectant (*A.* 1467. 1451).

3398. *Circa obligationem antistandi evictioni*, sufficere possunt supra dicta (*n.* 3306). Qui plura desideret, inspiciat Praxim (*n.* 1816), Lugo (*XXVI* 154), D'Annibale (*n.* 410), Ballerini (*Op. th. Tr. VIII.* 371), Troplong (*A.* 1627), et Cod. it. (*A.* 1482).

3399. *Circa obligationes provenientes ex venditione mercis vitiatae,* recolenda sunt supra dicta (*n.* 3358 - 3363), et distinguendum inter venditorem malae et bonae fidei. Venditor malae fidei (qui nempe mercis suae vitia occulta *dolose* praetermisit manifestare) tenetur emptorem prorsus indemnem reddere, scilicet non solum pro pretio ultra debitum soluto, sed etiam pro damnis eidem forte subsecutis. Venditor autem bonae fidei pro damnis teneri nequit, sed solum ad restituendam partem pretii indebite receptam; vel etiam, si error substantialis intervenisset (ut puta, si vitrum pro gemma vendidisset) ad rescindendum contractum obligari posset.

3400. *Quaenam sunt* ***obligationes emptoris,*** *emptione peracta?*

I. Debet solvere pretium integrum, cum moneta legitima, in manus venditoris eiusve mandatarii, loco ac tempore quo res est ipsi tradenda. Excipe nisi pactum expressum (vel implicitum iuxta loci consuetudinem etc.) fuerit de pretio solvendo diverso loco, vel diverso tempore, vel per ratas, vel in manus alterius personae etc. Excipe insuper nisi emptor a possessione rei molestari timeat, et venditor cautionem sufficientem non praestiterit. Contingere potest quod emptor solvere debeat pretium diversum ab illo, quod in contractu statutum fuit, si nempe ex errore vel ignorantia ultra summum vel infra minimum fuisset. Contingere potest etiam quod solvere debeat aliquid amplius ad compensandum venditorem pro expensis transvectionis, instrumenti etc., vel quia venditor ipse pro conservatione rei (apud illum post venditionem remanentis) expensas sustinuisset.

II. Si solutio differatur, emptor solvere fructum legalem (nempe 5 p. %) si haec fuerit conventio, aut si res (ei vendita et tradita) sit fructifera (etsi per accidens eo tempore fructus non produceret). Si autem nec de fructu solvendo pactum extitisset, nec res fructifera foret, tunc emptor (qui sit in mora) teneri potest vel ad eundem fructum solvendum post petitionem iudicialem, vel (iure naturae) ad reparanda damna quae ex tali mora (intellige culpabili) venditori obvenissent.

III. Emptor qui solutionem retardet, dum posset solvere, certe peccat; censeretur autem posse solvere, quamvis ad hoc parsimonias facere cogeretur. Non facile tamen culpa erit gravis si creditor ex dilatione grave damnum non patiatur, nec graviter invitus reputari debeat, etsi forte (absque magna insistentia) solutionem peteret.

F.

De venditione rescindenda.

3401. *Quibus in casibus ius ad venditionis rescissionem intervenire potest?* Casus isti iam indicati et explicati fuerunt supra diversis locis. Hic itaque dico solum summatim, quod ius ad venditionis rescissionem contingere potest 1° si contractus celebratus fuisset ex metu vel errore vel dolo (cf. *n.* 3280-3282); aut 2° a minore, vel interdicto, vel ab uxore sine debitis solemnitatibus (*n.* 3076-3081); aut 3° cum laesione contractus (cf. *n.* 3379); aut 4° cum conditione retroventitionis (intra quinquennium.

cf. Cod civ. A. 1515 - 1528): aut 5° cum conditione resolutiva vel suspensiva, quae secundum quod verificata vel non verificata fuerit, ius ad resolvendum vel non adimplendum contractum dare potest (iuxta dicta *n.* 3288-3289): item venditio resolvi potest 6° ratione mercis vitiatae (cf. *n.* 3362-3363); aut 7° si res actu traditionis diversae quantitatis vel qualitatis reperiretur (Cf. *n.* 3357 *et Cod. civ. A.* 1470 - 1461 - 1472 *et sqq.*); aut 8° si pretium non solveretur (cf. *n.* 3397. II.): aut 9° Si res evicta remaneret (cf. *n.* 3306)

G.

De vendentibus vel ementibus pro aliis, scilicet de commissionariis, seu (ut Theologi dicunt) proxenetis, qui non pro se, sed pro aliis vendunt aut emunt.

Huiusmodi esse possunt 1. mercede speciali ad hoc conducti: 2. mercede annua ad diversa opera conducti (nempe famuli): 3. amici: 4. quilibet alii (sive pauperes sive non pauperes) quibus talis emptio aut venditio commissa fuerit.

3402. *Quinam sint iusti tituli, ob quos contingere valet quod commissionarius, propter venditionem vel emptionem peractam, aliquid sibi applicare possit?* Sunt 1° Merces debita: 2° Consensus domini: 3° Fructus industriae: 4° Donatio venditoris: 5° Emptio nomine proprio facta.

3403. *Quandonam interveniret titulus mercedis debitae?* 1° Si dominus mercedem promissam non dedisset; 2° Si commissionarius non intendisset operam suam praestare gratis, idque dominus (eo quod nec de amico, nec de divite, nec de re levissimi momenti ageretur) sufficienter intelligere debuisset. Non autem obstaret si quis ad operam suam praestandam sponte se obtulisset. Quid si dixisset se operam suam esse praestiturum *gratis*? Tunc quoque interdum se compensare posset, dummodo scilicet ex una parte non ex animo ita dixisset, et ex alia dominus attentis circumstantiis fictionem percepire debuisset, vel non fuisset inventurus alium qui *gratis* commissionem eandem executurus fuisset. Praxis (*n.* 1904).

3404. *Quandonam commissionarius aliquid sibi retinere poterit ex consensu domini?* Notandum imprimis quod sola ratio quod dominus designaverit pretium (dicendo, v. g., vende pro tanto) regulariter non sufficit ut commissionarius retinere possit quod amplius ex venditione perceperit, vel quod minus in

emptione expenderit; nisi enim dominus aliam esse intentionem suam indicasset, sensus esset ne commissionarius minori pretio venderet, aut maiori emeret (*l. c.* 1902).

Oportet itaque ut consensus domini vere adsit; ita tamen ut sufficiat tacitus vel praesumptus. *Tacitus*: si nempe dominus videat et taceat, aut venditiones committat ei qui arte propria vendit pro aliis et aliquid (v. g., quinque pro centum, vel excessum supra pretium ei praefinitum) sibi retinet. *Praesumptus*; si, v. g., commissionarius, qui ex amicitia operam suam praestat, aliquid minusculum sibi retineat.

3405. *Quid de fructu industriae?* Commissionarius, vel alius (quod enim dicitur de fructu industriae in commissionariis, in aliis quoque valere potest) titulo fructus industriae aliquid sibi applicare poterit, si quatuor concurrant; 1° ut industria praestita non sit debita: 2° ut ipsa non sit iniusta, et ex nullo capite iniustitia aliqua interveniat; 3° ut fructus, quem quis sibi applicare intendit, vere assignari debeat industriae suae, non autem fundo aut capitali alterius, nisi forte tacitus vel praesumptus domini consensus interveniret: 4° ut quod titulo industriae retinetur excessivum non sit.

Ex his principiis sequentes casus resolves:

I. Commissionarius, qui rem vendendam meliorem et pretiosiorem reddiderit, vel ad loca dissita (ubi magis valet) portaverit, dum dominus contentus erat ut in loco venderetur, ad fructum industriae suae (non debitae) utique ius habebit.

II. Famulus qui pro domino suo satagit res parvo pretio emere et magno vendere, non ideo poterit aliquid sibi retinere; quia talis industria est debita, atque insuper magnum adesset periculum hallucinationis. Excipe nisi de diligentia evidenter extraordinaria et certe nec debita, nec aliqua ratione domino damnosa (v. g. interim propriis muneribus deficiendo) ageretur.

III. Famulus, qui monetam auream vel argenteam expendendam aut alicui deferendam recipit a domino suo, illam in chartaceam commutare (sibi retinendo lucrum) poterit; quamvis enim totum id quod pro commutatione recipit sit veluti pretium et fructus monetae a domino acceptae, tamen consensus domini ipsius ordinarie praesumi deberet. Excipe nisi intentio domini aperte esset in contrarium; tunc enim de vera iniustitia ageretur. Cf. Lugo (*XXVIII.* 24).

IV. Sartor 1° accepto mandato emendi pannum, studiose quaerit voluminum residua, aut pannum aliqualiter huc illuc laceratum; ita tamen ut sua industria scissuras evitare et aeque

bene vestem conficere valeat: sed a domino pretium commune exigit; 2° fingit pretium paullo maius, ad se compensandum pro tempore quod impendit, imo et pro emptione ipsa: 3° quum in arte non mediocriter peritus sit, modum novit vestimenta cum minore panni quantitate conficiendi, et ex hoc quoque capite fructum industriae sibi applicat. Potestne sartor titulo fructus industriae aliquid sibi retinere in his casibus? In primo casu, affirmative. In secundo pariter affirmative (dummodo quod sibi applicat excessivum non sit). In tertio distinguendum, scilicet negative si propter maiorem peritiam maiorem aliis mercedem recipiat (sic enim bis compensaretur atque adeo tunc quoque iniustitia interveniret); secus, si secus. Cf. Praxis (*n.* 1704).

V. Caupo mercede conductus, cui suus dominus dedit vinum certo pretio pro singulis litris vendendum, vinum ipsum miscuit aquâ et eodem pretio vendidit. Lucrum autem sic comparatum sibi retinuit. In hoc casu facile iniustitia interveniret, ex una parte enim id quod ab emptoribus recepit est pretium et fructus vini, et ex alia difficile praesumi poterit dominum esse contentum quod vinum suum vendendum sic aquâ misceat, atque insuper lucrum sic ille retineat. Idem dic a fortiori si caupo decepisset dominum dicendo vinum valere minus, dum plus valebat.

VI. Titius, deprehensus a latronibus illum occidere minitantibus nisi mille scutata eis det, scribit thesaurario suo ut hanc summam sibi mittat. Thesaurarius mittit mille scutata falsa, et titulo industriae sic adhibitae totidem scutata vera sibi applicat. In hoc casu thesaurarius aliquid forsan sibi applicare poterit pro negotio utiliter gesto, sed non mille scutata; si enim latrones mille scutata vera recepissent, ius ad restitutionem dominus habuisset; et aliunde nunquid salvans res alienas (v. g. ab incendio, naufragio etc.) illas applicare poterit sibi, quia illas salvavit?

VII. Caius habens in custodiam agrum incultum vel domum vel equum vel summam pecuniae, colendo agrum, locando equum, dando ad mutuum pecuniam aut illam negotiationi exponendo, fructum percepit, illumque titulo fructus industriae sibi applicavit. Num iuste? Resp. Pars fructus tribui quidem poterit culturae, et negotiationi; sed de caetero fructus erit agri, domus, equi, et pecuniae; unde valebit effatum: *res quae fructificat domino suo fructificat.* Excipe nisi de consensu domini certe vel saltem probabiliter constaret. Cf. *Praxis* (n. 1433. 1695 et sqq.).

3406. *Quid de titulo donationis venditoris?* Casus iste accidere solet praecipue in famulis et sartoribus, qui, dum emere debent esculenta aut pannum pro domino, adeunt talem vel talem venditorem, qui dicit se donare illis, v. g., unum in singulis decenis, dummodo eius negotium frequentent. Sic autem famulus vel sartor emens pro decem francis dat novem tantummodo, et unum a mercatore donatum sibi retinet. Si sincere procederetur, si nempe, adhibita diligentia ordinaria, res illae emi nequirent in loco nisi pro decem, tunc iniustitia non interveniret: de donatione enim vera et sincera ageretur. Sed practice donatio potest esse illusoria, et famuli atque sartores huiusmodi facile muneri proprio deficiunt, atque, ad lucrum illud habendum, domino suo damnum inferunt.

3407. *Quid de emptione a commissionario nomine proprio facta?* Casus iste accidere potest duplici modo.

Primus est si iussus vendere, rem vendendam ipse emat. Hoc (uti patet) valde periculosum est. In rigore tamen liceret si, facta morali diligentia, commissionarius pretium maius non invenisset; neque officeret si postea rem illam revenderet et lucraretur; quod equidem lucrum domino dare non teneretur.

Secundus modus est si iussus emere, occasione valde bona se offerente, modico vel modicissimo pretio emeret pro se, et deinde rem emptam domino tribueret pretio maiori. Iniustitia non adesset si commissionarius ex una parte rem vere emere et proinde eiusdem pericula omnia in se suscipere intendisset, et ex alia moralem diligentiam adhibuisset ut rem similem minori pretio emeret, nec tamen illam sic emendam invenire potuisset. Cf. *Praxis* (n. 1908. 1909).

H.

De cessione bonorum

3408. *Quid est cessio bonorum?* Contingit quando quis bona et iura propria creditoribus cedit.

3409. *Quotuplex potest esse cessio bonorum?* Non loquor de cessione bonorum quae fiat sine iudicis interventu; maxime vero fugiendo cum pecunia. Loquendo itaque de illa quae fit per iudicem, triplex esse potest: 1° *Fraudulenta*, capitalia occultando, debita simulando etc., 2° *Culpabilis sed non fraudulenta*; quae scilicet ex nimiis expensis, ex mala administratione, ex imprudentiis etc. accidere debuerit. 3° *Mere misera-*

bilis; dum scilicet quis ex mero infortunio bonis cedere coactus fuerit.

3410. *Qui bonis cedit potestne aliquid abscondere?* Negative *per se.* Leges enim provident ut cessori bonorum necessaria ad tenuiter vivendum, spectata eiusdem conditione, relinquantur. Si tamen de contrario timendum esset, tunc iure naturae atque etiam ex praesumpto creditorum consensu, imo et quia irrationabiliter inviti forent, praedicta abscondere posset. Mensura autem *iudicio viri prudentis* determinanda foret, et indulgentius procedi posset si cessio bonorum mere miserabilis esset. Si autem, rebus sic absconditis, postea (secus ac praevidebatur) omnia bene procederent, tunc ad restitutionem teneretur.

3411. *Qui post cessionem bonorum, ad meliorem fortunam deveniret, tenereturne adhuc creditoribus suis satisfacere?* Negative ordinarie. Iuridica enim cessio bonorum dat ius decocto ut ipse cum familia sua possit vivere iuxta quamdam sui status decentiam, quin amplius molestetur; secus enim molestiae nunquam finem haberent, et conscientia infinitis scrupulis semper exposita remaneret. Ita profecto res ista ab omnibus intelligitur. Dixi tamen *ordinarie:* si enim qui bonis cessit, casu aliquo (v. g. propter pinguissimam haereditatem) multa assequeretur bona, quae suae congruae sustentationi iam manifeste essent superflua, utique tunc satisfacere teneretur creditoribus suis, qui plenam et absolutam condonationem ei non fecissent, quod in concordatis modo ordinario executis non subintelligitur.

3412. *Debitores bona cedentis, cessione facta, cuinam solvere debent?* R. Creditoribus; nisi forte bona cedentis inopiae per iudicem satis provisum non fuisset. Cf. *Praxis* (n. 1918. 1922).

§ II.

De permutatione.

3413. *Quid est permutatio?* Contractus quo contrahentes sibi vicissim in dominium dant rem pro alia re, v. g. agrum pro agro vel agrum pro domo etc.

Ex dispositione legis permutatio fieri potest solo consensu sive verbis sive scriptis expresso. Hinc, quamvis materialis rerum traditio adhuc non intervenisset, dominium tranferretur, sicut in venditione, qua de re vide supra dicta (*n.* 3352). Aliud tamen est permutatio, et aliud promissio permutandi (Troplong *n.* 40).

3414. *Quid si res permutandae essent diversi valoris, et proinde, ad constituendam aequalitatem supplementum in pecunia adiungeretur?* Tunc permutatio diceretur *mixta*; imo, si esset maius supplementum quam res, permutatio pro venditione haberetur.

3415. *Quid si stante rerum valore diverso, supplementum in pecunia non adiungeretur?* Contractus esset iniustus, nisi intentio donandi immisceretur.

3416. *Regulae, quae valent pro emptione, valentne etiam pro permutatione?* Affirmative.

3417. *Daturne ius rescindendi permutationem propter laesionem ultra dimidium valoris, ut in venditione?* Iam vidimus quod in contractu emptionis-venditionis ius istud est solum in favorem venditoris. In permutatione autem (in qua nemo est venditor) ius istud non datur, nisi forte permutatio pro venditione (ut modo dicebam) haberi deberet (*A.* 1554).

§ III.

De mutuo.

3418. *Quid est mutuum?* Contractus quo quis dat aliquid cum obligatione in posterum reddendi tantundem eiusdem speciei et bonitatis, v. g., pecuniam pro pecunia, triticum pro tritico, oves pro ovibus etc. *Praxis* (*n.* 2267).

a) Qui dat *mutuans*, qui recipit *mutuatarius* appellatur. Mutuum est pro mutuante *activum*, pro mutuatario *passivum*.

b) Mutuatarius rei mutuatae dominium acquirit; unde si periret, ei periret.

c) Mutuum differt *a commodato*, in quo res sub dominio commodantis remanet, eique sicut est in individuo restitui debet.

d) Differt *a permutatione*, in qua cambium fit statim, et fieri potest etiam in rebus diversae speciei, permutando, v. g., bovem cum equo.

3419. *Quotuplex est mutuum?* 1° Gratuitum: 2° Ad interesse. Hoc secundum accidit quando mutuatarius non solum debet restituere tantundem (vulgo *sortem*), sed etiam dare aliquid aliud, quod *interesse*, vel *auctarium*, vel *lucrum*, vel *fructus*, vel *foenus*, vel *usura* dici solet. Attamen usura in malo sensu, scilicet pro interesse iniusto, accipi solet.

Interesse potest esse 1° *Vulgare* (seu plateale) quod communi aestimatione determinatur pro casibus ordinariis: 2° *Legale*, quod ex lege decurrere debet in quibusdam casibus, etsi privata conventione de illo nihil statutum fuisset. Casus esset v. g. quoad dotem in summa pecuniae constitutam (*a.* 1397); quoad debitorem morosum (*a.* 1231) etc.; et est 5 p. °/₀ in materià

civili, et 6 p. °/₀ in commercio. 3° *Conventionale*, quod voluntate contrahentium constituitur, et iuxta taxam sive vulgarem sive legalem, vel etiam ab utraque diversum et *exceptionale* esse potest (*a.* 1831).

3420. *Ut mutuum valide contrahatur, exigiturne ut celebretur in scriptis?* Negative. Attamen si in materia civili foenus esset maius taxa legali, scriptura exigeretur, secus enim validum esset quidem mutuum, sed nullum foenus deberetur. Ita noster codex (*a.* 1831) statuit ad fraenum aliquod usuris immodicis opponendum. Casu etiam quo hypotheca esset sumenda, contractus in scriptis celebrari deberet. Codex (*a.* 1832) statuit etiam ut mutua excedentia taxam legalem semper solvi possint post quinquennium arbitrio debitoris, qui tamen sex mensibus antea de hoc creditorem admonere deberet in scriptis.

3421. *Estne aliquid notandum circa personas, quae mutui contractum celebrare possunt?* Loquendo de mutuis non parvis et consuetis, ad illa procedere nequeunt sine debitis auctorizationibus 1° mulieres coniugatae: 2° Patres administrantes bona filiorum (quoad mutua *passiva*): 3° Tutores: 4° Filii familias sub patria potestate vel tutela constituti. Vide dicta (*n.* 3277, 3076). Qui tamen pecuniam mutuam iisdem personis dederint, illam semper repetere poterunt si probent in earundem utilitatem vere impensam fuisse. (*a.* 1307). 4° Administratores bonorum ecclesiasticorum (non tamen omnes), si nomine Ecclesiae mutua (sive activa sive passiva) contrahere velint. Praxis (*n.* 2270).

3422. *Quo tempore sors restitui debet?* Si tempus (sive explicite sive implicite) determinatum fuerit, illo; et restitutio nec retardari nec (invito mutuante) anticipari posset. Si vero tempus nullatenus determinatum fuisset, tunc ordinarie hoc esset ita intelligendum, ut ad nutum mutuantis restitutio fieri deberet. Praxis (*n.* 2271).

3423. *Quid exigitur ut auctarium iuste et absque usurae labe stipulari possit?* Exigitur iustus titulus. Iusti tituli autem particulares et generales esse possunt.

3424 *Quinam sunt iusti tituli particulares?*

I. Damnum emergens (v. g., dando tibi pecuniam, tributa solvere non potero et proinde mulctas solvere cogar).

II. Lucrum cessans (v. g., dando tibi pecuniam, negotiari vel fundum fructiferum emere non potero).

III. Periculum amittendi sortem (in toto vel in parte) eoquod mutuatarius nec securitatem ex se, nec hypothecam aut pignus aut fideiussorem praebeat.

IV. Periculum subeundi speciales labores vel expensas ad sortem recuperandam.

V. Semper in promptu servare capitalia (utique cum expensis, laboribus et periculis) ad satisfaciendum multis qui mutua petituri sint.

VI. Si auctarium oblatum fuisset ad pecuniae dominum alliciendum ad mutuum dum vellet potius illam apud se retinere.

VII. Si quis non ad subveniendum propriae necessitati, sed ad magna lucra facienda, pecuniam quaerat, simulque libentissime auctarium retribuat; multo magis si sponte (atque adeo mutuante nihil petente) illud promisisset. Praxis (*n.* 2291).

VIII. Iuxta plures, iustus titulus est etiam aequa poena conventionalis, qua scilicet in pactum deducatur (et in determinata pecuniae summa sit solvenda) pro casu, in quo mutuatarius ultra tempus statutum sortis restitutionem culpabiliter procrastinaturus esset.

3425. *Quinam sunt vel esse possunt tituli generales?* 1° Fructificatio pecuniae: 2° Bonum commune: 3° Aestimatio vulgaris: 4° Lex civilis.

3426. *Quid de titulo fructificationis pecuniae?* Quamvis pecunia non sit fructifera ex sese (non enim germinat ut terra, vel parturit ut ovis), tamen est fructifera aequivalenter, seu rebus fructiferis aequivalet, et qui pecuniam habet, perinde est ac si res fructiferas habeat. Hodie enim semper in promptu sunt media lucrum faciendi ex pecunia. Haec media sunt, v. g. emptio rerum fructiferarum, negotiatio, capsae parsimoniales, syngraphae gubernativae, actiones societatum industrialium vel commercialium etc. Dixi *hodie*; olim siquidem investimenta pecuniae in fundis (sive rusticis sive urbanis) difficilia erant, quia fundi fere omnes erant in manibus nobilium qui vendere probro habebant, vel etiam (propter maioratus et fideicommissa) non poterant. Commercium autem (propter vias impervias etc.) restrictissimum et fere nullum erat. Denique capsae parsimoniales et media alia supradicta nullatenus aderant. Tunc itaque pecunia necessario otiosa remanebat, et multum temporis expectandum erat, antequam occasio illam investiendi se offerret, aut quomodolibet notabile lucrum ex illa facere possibile esset. Hinc saeculis anteactis pecunia, quae brevi tempore (v. g. aliquibus mensibus vel uno anno) tantummodo haberetur, tamquam infructifera, et fere solum tamquam res periculis exposita, considerari debebat. Sic autem illam ad mutuum dare per sex menses vel unum annum, communi sensu nullam *per se* ad auctarium

exigendum ius suppeditabat, et obligatio non repetendi sortem usque ad idem breve tempus praestitutum, satis compensabatur ab eo quod mutuatarius omne periculum super se ipsum sumebat, et mutuantem a quovis timore et a qualibet cura liberabat. Dixi *per se;* aliud enim fuisset *per accidens*, si nempe mutuans periculo amittendi sortem se exposuisset, vel alios titulos particulares, v. g. lucri cessantis vel damni emergentis, habuisset. Hinc duae sequuntur consequentiae: 1° saeculis anteactis exigere auctarium ex mutuis ad breve tempus celebratis solo titulo fructificationis pecuniae, usurarium erat, idque merito tamquam illicitum ab Ecclesia habebatur: 2° aetate nostra auctarium exigere honestum censetur, et iure merito ab Ecclesia ipsa licitum declaratur. Cf. *Praxis* (*n.* 2276 - 2285).

3427. *Quid de titulo boni communis?* Hic quoque titulus hodie existit, et efficit ut iam generaliter fructus pecuniae iuste exigi possit. Bonum enim commercii hodie exigit ut mutua facilia et expedita reddantur; quod non contingeret, si fructus moderatus exigi nequiret, aut si singulis vicibus expendendum foret an tituli particulares subsisterent.

3428. *Quid de titulo vulgaris aestimationis?* Hic consistit in communi (etiam timoratorum) persuasione quod fructus in tali vel tali mensura sit moderatus et iustus. Quod titulus iste valere debeat, per se patet, atque insuper quibusdam S. Sedis decisionibus confirmatur. *Praxis* (*n.* 2283).

3429. *Valetne titulus legis civilis?* Nihil dubii, si lex civilis permitteret solum auctarium moderatum (ut supra). Si vero permitteret auctarium excessivum (v. g. 12 p. °/₀) vel mensuram arbitrio contrahentium prorsus remitteret, tunc huiusmodi lex tantummodo pro norma tribunalium (ad nimias nimisque intricatas lites evitandas), non vero pro conscientia intelligi deberet.

3430. *Potestne contingere quod auctarium maius illo quod vulgari aestimatione permittitur iuste exigatur?* Affirmative si ratione lucri cessantis, aut damni emergentis, aut periculi amittendi sortem, excessus legitimari posset. *Praxis* (*n.* 2289).

3431. *Potestne exigi auctarium, si pecunia, vel aliquid aliud pauperi mutuetur?* Salva iustitia, affirmative; sed non semper salva charitate, quae aliquando exigere potest ut mutuum omnino gratuitum sit. *Praxis* (*n.* 2286).

3432. *Ut mutuatarius ad auctarium teneatur, oportetne ut in pactum deductum fuerit?* Affirmative; quum enim mutuum possit esse gratuitum, in more positum est, ut, si fructus decurrere debeat, id pacto statuatur. Si autem de solvendo auctario

pactum intervenisset, sed quantitas determinata non fuisset, tunc taxae vulgari standum esset. (*l. c.* 2287).

3433. *An exigi possit auctarium (v. g., quinque pro centum) anticipatum?* Hoc perinde est ac si exigatur quinqne non iam pro centum, sed solum pro nonaginta quinque; mutuans enim retinendo fructum anticipatum, dat 95; et in fine anni recipit 100. Si autem res huiusmodi in loco absque ulla vituperatione peragi soleat, iam tamquam licita haberi debebit. Secus, si secus

3434. *An exigi possint fructus de fructibus?* Certe in fine anni fructus capitalizari possunt ex consensu partium. Conventio autem, quae iam inde ab initio fiat de solvendo fructu de fructibus, etsi iure naturali non adversetur, tamen apud nos invalidatur (extra commercium) iure civili, ne debita sensim sine sensu nimis adaugeantur. *Praxis* (*n.* 2293).

3435. *In restituenda sorte attenditurne res, an vero valor rei?* In mutuo pecuniae, valor; in mutuo autem aliarum rerum, res attenditur. Hoc sensu quippe contractus mutui, secluso pacto speciali, communiter intelligitur. *Praxis* (*n.* 2294).

Recepisti 100 scutata in monetis aureis, restituere poteris 100 scutata in aliis monetis, quae tamen legaliter respui nequeant. Recepisti 100 modios tritici, restituere poteris 100 modios tritici, quamvis tempore restitutionis minus valerent; eos denique restituere debebis quamvis dicto tempore pretio crevissent.

Quia autem in pecunia (speciatim papyracea) valor legalis seu nominalis, potest esse diversus a plateali seu commerciali (ut puta, si moneta centum francorum in commercio valeret solum nonaginta fr.), vi legis valor nominalis attendi potest.

Haec intellige praescindendo (ut dixi) a pactis specialibus, quae tamen non sint iniusta.

Iniustum esset pactum quo non solum restituenda sit res mutuata quando magis valebit, sed etiam auctarium solvi debeat. Dedisti, v. g., tempore messis duos modios tritici, dum valebant quinque scutata, et pacisceris ut tibi restituantur in hyeme quando sex scutata valebunt, atque insuper auctarium exigis.

Iustum autem esse posset pactum quo maior quantitas restituenda sit, si res mutuata tempore restitutionis minus valitura erit, ut puta, si triticum datum in hyeme restituendum sit tempore messis. Iustum esset quoque pactum quo restitutio fieri debeat in monetis aureis, si monetae aureae datae fuerint (*A.* 1822). Difficultas esse posset si in pacto exclusa fuisset moneta papyracea. Dicendum 1° hanc exclusionem non valere *civiliter* casu quod lex statuerit eandem monetam (v. g. *i bi-*

glietti della banca nazionale) acceptari debere non obstante quovis pacto; et notandum quo lex irritare potest etiam pactum addendi augmentum (vulgo *agio*) si nempe valor nominalis a plateali differat. 2° Quum non satis liqueat quod huiusmodi legibus Princeps obligare intendat in conscientia; ideo *in conscientia* mutuans ut stetur pacto, et mutuatarius ut stetur legi exigere potest. Cf· *Praxis* (*n.* 1883 et 2312).

3436. *Quo loco solvendi sunt fructus, et restituenda est sors?* Imprimis standum est pactis specialibus sive explicitis sive implicitis. His deficientibus, standum est consuetudini. Caeterum fructus solvendi sunt in domicilio mutuatarii, et idem dic de restitutione sortis si mutuum consistat in pecunia; leges enim in hoc favent debitori, ad cuius domum creditor se conferre debet. Si vero mutuum fuerit de aliis rebus (v. g. tritico, vino etc.), tunc in loco ubi acceptae fuerunt, restitutio fieri debebit; ex locorum enim diversitate diversum valorem (secus ac pecunia) habere possunt (*A.* 1828et 1249).

3437. *Quid si mutuatarius, eveniente tempore restitutionis, res mutuo acceptas in specie sua restituere non posset?* Tunc valorem, quem tempore et loco restitutionis res ipsae habent, restituere teneretur. A. 1828.

3438. *Potestne restituere per partes?* Negative, secluso consensu mutuantis. A. 1246.

3439. *Quid de venditione ad creditum, scilicet dilata solutione?* Tunc perinde est ac si venditioni immisceatur mutuum, quod gratuitum vel ad interesse (ut supra) esse potest.

3440. *Quid si mutuans pro mutuo exigeret v. g. famulatum, patrocinium, frequentationem sui negotii etc.?* Tunc ageretur de mutuo ad interesse, quod, si quid excessivum exigeretur, iniustum foret; secus, si secus.

3441. *Quid si petenti summam pecuniae quis venderet merces ad creditum, sed magno pretio et cum magno auctario?* Iniustitia certe intervenire posset vel ratione pretii si esset ultra summum, vel ratione auctarii si excessivum foret, maxime vero ratione utriusque.

3442. *In dubio an usura intervenerit, an scilicet fructus excessivus et iniustus receptus fuerit, adestne onus restitutionis?* Imprimis dubium nihil praeiudicaret parti fructus quae certe iusta fuisset. Quoad partem dubie iustam, videndum an dubium solvi valeat. In hunc finem valere potest consideratio quod in mutuis pecuniae usura veri nominis hodie non facile intervenit; qui enim pecunia indigentes quoad sortis restitutionem

nullum periculum praesentant, illam cum fructu ordinario absque ulla difficultate invenire possunt; quare hodie si quis magnum fructum solverit, idipsum malum eiusdem statum, periculum nempe amittendi sortem, atque adeo iusti tituli existentiam significat. Si autem dubium isto vel alio modo solvi posset, nihil obstaret si mutuans, dum fructum recepit, dubia vel mala fide processisset, et tunc poenitere quidem de peccato cum conscientia erronea perpetrato, sed nullam restitutionem facere deberet. Facilius intervenire posset vera usura in mutuis tritici aliarumque rerum similium, sed tunc etiam, si de solo dubio agatur, et si (re examinata) de usura certe non pateat, nihil esset restituendum in duobus casibus, nempe 1° si bona fide fructus recepti fuissent et dubium supervenisset postea (in dubio enim melior est conditio possidentis): 2° si probabiliter (maxime vero si probabilius) credi possit usuram non intervenisse aut restitutionem factam fuisse, aut mutuatarium (v. g. divitem et liberalem) restitutionem non exigere. Si denique iam inde ab initio fructus recepti fuissent cum dubio, nec ratio solide probabilis mutuanti faveret, tunc saltem pro rata dubii restitutio fieri deberet.

3443. *Ad quid teneretur mutuatarius quoad sortem et fructus, si tractu temporis deprehendisset mutuantem rem alienam sine domini consensu ei tradidisse?* Teneretur satisfacere omnibus contractus obligationibus erga mutuantem, qui ex una parte pro evictione se obligavit, et ex alia ius habet ad sortem recuperandam et fructus percipiendos, ut exinde obligationibus suis erga dominum satisfacere possit. Adde quod, si fuisset in bona fide, fructus ei pleno iure competerent (iuxta dicta n. 3129). Haec tamen intellige *salvo iure domini*. Restitutio enim domino fieri deberet, si ille compareret et rem suam adhuc in se existentem repeteret, vel per iudicis sententiam illam in aequivalenti sibi vindicaret. Cf. *Praxis* (*n.* 2404).

3444. *Si mutuatarius in fructibus solvendis in magna mora foret, aut si fideiussio promissa deficeret, possetne mutuans ante tempus statutum sortem repetere et sic contractum rescindere?* Affirmative, sed non iure ipso, bene vero solum per sententiam iudicis. *A.* 1165. Cf. Append. Cod. adnot. per *Cattaneo* et *Borda* post *A.* 1834 n. 5,

3445. *An usurarius acquirat dominium usurarum?* Affirmative; non solum quia ordinarie intervenit mixtio, quae in ipsa fructuum receptione accidere solet (pars enim usuraria simul cum legitima accipitur); sed etiam quia qui solvit fructus non habet intentionem quod pars in dominium detur et alia non,

sed solum non intendit condonare iniustitiam. Unde usurarius evadet quidem dominus usurarum receptarum, et proinde etiam earundem fructuum si quos forte ex illis percepisset (res enim quae fructificat domino suo fructificat); sed ad restitutionem, atque insuper ad reparationem damnorum, tenebitur. *Praxis* (*n.* 2306).

3446. *Quid de haeredibus usurarii?* Si fuissent defuncti complices, singuli in solidum: secus, iuxta vires haereditatis et pro rata, restituere deberent. In dubio fundato an defunctus usuris capitalia accumulaverit, videndum an bona vel dubia fide haereditatem possidere incoeperint etc. In dubio de quantitate restituenda, arbitrio boni viri standum erit.

3447, *Quid si usurae personis incertis restitui deberent?* De hoc vide dicta (*n.* 3233 *et* 3268).

3448. *An beneficiati aliique bonorum ecclesiasticorum administratores pecuniam Ecclesiae libere ad mutuum dare possint?* Negative; sed ad minus licentiam Episcopi petere debent. Excipe nisi in aliquo casu tacitus Episcopi ipsius consensus interveniret. *Theol. pastoralis* (*n* 947).

§ IV.

De cambio.

3449. *Quid est cambium?* Distinguendum est inter cambium *reale* et *siccum*.

Cambium reale est commutatio pecuniae cum pecunia. Subdistinguitur inter *manuale* (seu *minutum*), et *locale* (seu *traiectitium*). Manuale contingit quando quis (campsarius), pecuniam unius speciei (v. g., papyraceam, nationalem etc.) dat alteri (campsori), qui illam cum pecunia alterius speciei (v. g. aurea, extera etc.) commutat. Locale contingit quando quis pecuniam dat alteri, qui (per se aut per suos ministros vel correspondentes) summam aequivalentem (sive statim sive post certum tempus) restituere debet alibi. Hoc autem ope litterarum cambii (it. *cambiali*, *tratte, vaglia*, gall. *chèque*, *mandat*) quae creditori dantur, peragi solet. Hae litterae specialissimis (ut notissimum est) privilegiis gaudent, ut cito et tuto creditum exequi valeat.

Cambium siccum est cambium fictum, quo scilicet creditori non propter cambium, sed propter mutuum aut quemlibet alium contractum, litterae cambii dantur. Cf. *Praxis* (*n* 2310 *et seqq.*).

3450. *Circa cambium reale estne aliquid notandum?* Oportet

ut iustitia servetur 1° Circa retributionem quam campsor exigit (quae aliquando lege et aliquando communi peritorum aestimatione taxatur); 2° Circa augmentum (italice *agio*), quod, stante diversitate valoris commercialis in monetis, modo campsori et modo campsario dari debet, secundum quod hic vel ille monetam pretiosiorem det.

3451. *Circa cambium siccum estne aliquid notandum?*

Si sub specie cambii fiat mutuum, oportet ut auctarium non sit excessivum, atque adeo ut serventur regulae, quae supra (*n.* 3423 et sqq.) circa mutuum expositae fuerunt.

§ V.

De locatione — conductione.

3452. *Quid est locatio - conductio?* Contractus quo quis rem (consumptioni non destinatam), vel operas, vel opus pro pretio proportionato alteri praestat. Dixi *rem consumptioni non destinatam*; si enim ageretur de pecunia vel alia re primo usu consumptibili, tunc non locatio sed mutuum esset.

A.

De locatione rerum.

3453. *Quotuplicis speciei potest esse locatio rerum?* Potest esse rerum mobilium (v. g. equi, currus, vestis etc.) et tunc dicitur *naulum;* vel rerum immobilium (v. g. domus vel praedii), et tunc dicitur it. *affitto.* Qui rem concedit *locator,* et qui illam accipit *conductor* appellatur.

3454. *Locationes possuntne ad quodlibet temporis spatium extendi?* Negative. Sic, v. g., bona ecclesiastica (iure canonico) locari nequeunt, sine beneplacito Apostolico, ultra triennium fructiferum (*Praxis n.* 1963). Tutores, aliique simplicem administrationem habentes, locare nequeunt immobilia ultra novennium. Si usufructuarii, et (quoad bona dotalia) mariti, locationes faciant, hae, cessante usufructu, perdurare possunt tantummodo pro anno vel quinquennio in cursu, iuxta regulas quae in codice civ. (*A.* 493) statuuntur. Caeterum locationes immobilium regulariter non ultra trentennium valere possunt. Cf. *Praxis* (*n.* 1960).

3455. *Quaenam sunt obligationes locatoris?* 1° Admonere

conductorem de rei vitiis, si periculosa sint: 2° Rei ipsius formam, invito conductore, non mutare: 3° Iustitiam in pactis servare, et promissiones (si quas fecerit) adimplere: 4° Perficere reparationes (quae iuxta loci consuetudinem ad conductorem non spectent), sive consuetas (ut expurgatio putei), sive casu necessarias (v. g. ex fractura trabium); nisi tamen ageretur de ruina magna aut totali, quae fortuito et sine illius culpa accidisset; tunc enim ad pensionem quidem diminuendam vel contractum rescindendum (prout placuerit conductori), sed non ad reparationem vel reaedificationem peragendam teneretur. In fundo rustico, quoad arbores et vites demortuas, tenetur novas plantulas (si in fundi ipsius arboreto non adsint) et stercus pro iisdem suppeditare. Debebit denique 5° compensare damna, quae sive ex pactis non servatis, sive ex rei vitiis cognitis et non reparatis, conductori obvenissent.

3456. *Quaenam sunt obligationes conductoris?* 1° Curare debet ne res conducta deterioretur vel periculis exponatur 2° Potest illam adhibere ad usus consuetos, et iuxta intentionem locatoris sive in contractu expressam sive iuxta circumstantias praesumptam; et non aliter. (A. 1583-1584). Accepit, v. g., domum pulchram et honestam; non poterit facere cauponam, vela pothecam fabri ferrarii, vel postribulum. Accepit equum ad iter decem milliariorum; illum pro viginti milliariis adhibere nequibit. Accepit praedium; non poterit recedere a cultura consueta, v. g., non potando vites, adhibendo unice stercus chimicum etc., ut praedium ipsum plus fructificet, etsi sic deterioretur: 3° Debet tempestive admonere locatorem de casibus, qui remedium postulant: 4° Debet parvas reparationes efficere, quae in loco sint de more (v. g. vitrum novum pro fracto ponere; plantulas, ut supra, acceptas plantare et colere etc). Quoad reparationes autem a locatore peragendas, debet (si necessariae et urgentes sint) illas permittere, non obstante suo (etiam gravi) incommodo; ita tamen ut ad compensationem ius habeat, si diu, nempe ultra viginti dies (ut codex statuit), duraturae essent. 5° Debet solvere pensiones tempore et modo debito, nec ius haberet illas imminuendi propter fructuum penuriam, nisi ex una parte defecissent ultra medietatem nec aliorum annorum abundantia compensati fuissent, et ex alia non se obligasset ad solvendam integram pensionem non obstantibus casibus fortuitis (quae tamen clausula de casibus non raro occurrentibus, v. g. grandine; non vero de rarissimis. v. g. inundatione, devastatione bellica etc. intelligeretur). 6° Debet

pactis omnibus sive ordinariis, sive specialibus (quae forte intercessissent), satisfacere: et notandum quod multa pacta sunt implicita, atque subintelliguntur. Sic, v. g. conductor praedii debet tenere in ipso animalia, quae pro cultura et stercoratione necessaria sunt. Si autem principalibus suis obligationibus non satisfaceret, poena quoque expulsionis per iudicem plecti posset. 7° Arbores demortuas (etsi manu hominis plantatas), ad differentiam usufructuarii (n. 3050 III), sibi applicare nequit. 8° In fine locationis debet restituere rem conductam in eo statu quo illam accepit (imo etiam meliori si forte fecisset melioramenta quae de iure avelli nequirent). Quoad praedia recolendum quod dos fundi (scilicet palea, stramen et stercus) in fundo ipso relinquenda est; ita tamen ut, si ab initio haec non recepisset, ad pretium (iuxta peritorum aestimationem) ius haberet. Debet denique 9° reparare damna, quae ex pactis non servatis (v. g. si ex foeno contra pactum collocato obvenisset incendium), et utcumque ex sua culpa theologica (vel etiam iuridica, post iudicis sententiam) obvenissent, ut puta, si exinde domus aliquo tempore sine nova locatione remanere debuisset.

3457. *An conductor possit in parte vel etiam in toto rem conductam alteri sublocare seu utcumque ius suum alteri cedere?* Affirmative, dummodo 1° subconductor vel substitutus muneribus boni conductoris (iuxta dicta n. 3456) satisfaciat, et salvis semper iuribus locatoris contra conductorem immediatum. Dummodo 2° sublocatio vel cessio pacto speciali interdicta non fuisset. Vetita autem sublocatione in genere, hoc vetitum de totali, non vero de partiali sublocatione intelligeretur. (*A.* 1573).

3458. *Locatio quibus de causis cessat?* 1° Adventu termini, qui nec expresse nec tacite protractus fuerit: 2° Interitu rei locatae, vel si ad usum prorsus inepta evasisset: 3° Per inobservantiam pactorum principalium (sed hoc solum post iudicis sententiam).

3459. *Cessatne per mortem locatoris vel conductoris?* Negative; sed contractus transit ad haeredes.

3460. *Cessatne propter venditionem rei locatae?* Etsi iure romano venditio rumperet locationem, iure novo non amplius est ita; sed locatio perdurat non obstante venditione, dummodo 1° locatio ante venditionem ipsam peracta fuerit et hoc certe probetur: 2° in contractu locationis cautum non fuerit quod venditio illam abrumpere possit (*A.* 1597). Quod autem dicitur de venditione, dicendum est etiam de quacumque alia dominii translatione, v. g. per legatum, donationem, permutationem etc. quia

nemo transmittere potest in alium iura maiora illis quae habet. Troplong (*n.* 499).

3461. *Quid si inquilinus ob causam personalem, v. g., inimicitias contractas, domum ante tempus relinquere coactus fuisset?* Locator ad pensionem integram nihilominus ius haberet; ita tamen ut domum alteri locare nequiret, quod si faceret, pro inquilino pristino pensionem computare deberet. Idem dic (quoad haeredes) si inquilinus moreretur.

3462. *Quid si casu fortuito (v. g. incendio, ruina, fuga generali omnium civium ob terraemotum, pestem etc.) domus non amplius habitari potuisset?* Tunc inquilinus solum pro rata temporis habitationis pensionem solvere deberet.

3463. *Quid si casu non fortuito, sed locatori imputabili (v. g. quia neglexerit reparationes), ruina domus evenisset?* Tunc inquilinus ad compensationem damnorum ius haberet, sed pro rata temporis, quo domum inhabitavit, pensionem solvere teneretur.

3464. *Quid si locator, propter malam inquilini agendi rationem, ius haberet ante tempus illum eiiciendi?* Tunc locator posset exigere ut inquilinus recte se gereret, aut, illum eiiciendo, pensionem pro rata et reparationem damnorum exigere posset.

3465. *Quid si inquilinus sponte sua ante tempus discedere et inique contractum rescindere praetenderet?* Tunc locator ad contractus continuationem ius haberet; ita tamen ut, si iure isto uti vellet, inquilino quoque (etsi forte discederet) ius immaneret ne domus alteri locaretur.

3466. *Si inquilinus, finito locationis tempore, discedere inique recusaret, possetne dominus auctoritate propria eius mobilia extra domum eiicere?* Negative, sed ad iudicem recurrere deberet. Videtur tamen quod iure dominii posset domum suam (v. g. auferendo portas, fenestras, tectum etc.) ad habitandum ineptam reddere.

3467. *Licetne conducere fundum, si locator non dominus sed usurpator esset?* Negative, nisi id fieret ex tacita vel praesumpta domini voluntate, et cum intentione standi eius mandatis (forte secuturis). Exemplum habes in fundis Ecclesiae usurpatis.

B.

De locatione operarum.

3468. *Quid est locatio operarum?* Contractus quo quis ad tempus se obligat ad praestandum alteri pro pretio operas suas nempe suum laborem; prout contingit in operariis, famulis, ministris, medicis, magistris, officialibus etc. Qui operas praestat *locator*, ille autem cui operae praestantur *conductor* appellatur.

3469. *Locator operarum ad quid tenetur?* 1° Non acceptare quod (propter defectum virium, peritiae etc.) satisfacere nequeat: 2° Se habilem servare (quid enim si famulus, maxime vero medicus, fere semper ebrius esset?): 3° Diligentiam, promptitudinem et assiduitatem (circumstantiis et rerum gravitati proportionatam) adhibere: 4° Excusationibus iuxta contractum non considerandis ab operis praestandis non se eximere: 5° Deservire personaliter, nisi conductor consentiret ut alium substituere posset.

3470. *Quid notandum in particulari circa obligationes medicorum?*

I. Medici (intellige si sint stipendio conducti) toties quoties advocentur, quacumque hora sive die sive nocte, et non obstantibus magnis incommodis propter intemperiem longum iter etc., accurrere debent; et quidem prompte, nisi forte certe scirent aliquam dilationem noxiam non futuram; neque differentiam inter divites et pauperes facere possunt. Tempore pestis propriam operam praestare debent, non obstante periculo vitae.

II. In casibus gravioribus maiorem attentionem et assiduitatem praestare debent. Agitur, v. g. de morbo, cuius species non bene dignoscitur, aut qui facile complicari potest? Tunc indagines speciales necessariae erunt, ne forte remedia inutilia aut noxia praescribantur; neque deerunt casus, in quibus curandum erit ut medicus magis peritus aegrotum invisat et consilium suppeditet.

III. Quando certum est aliquam medicinam vel aliquam curandi methodum infirmis nedum non nocituram sed profuturam esse, tenentur illam adhibere, omissis medicinis et curationibus dubiis et incertis. Si pharmaca certa desint, tunc probabiliora minus probabilibus praeferenda sunt. Medicinae quae possunt prodesse et obesse (nempe sanitatem afferre et mortem accele-

rare) non sunt praescribendae, nisi forte innocuae deficerent et de morbo lethali ageretur. Vide s. Lig. I. 46.

IV. Medicus non potest se opponere si aegrotus eiusve familia alium medicum consulere velit; attamen nequiret approbare medicinam indicatam a medico consulto, si illum errasse clare cognosceret. Si electio medici consulendi medico curanti committatur, hic non potest medico magis perito amicum vel consanguineum, vel munera praebentem, praeferre.

V. Lucri causa visitationes inutiles multiplicare, aut de industria morbum ipsum protrahere vel novos morbos provocare; pharmaca superflua praescribere ad favendum pharmacopolis amicis; consultus inutiles proponere ad favendum alicui medico amico; testari falso de infirmitate, ut aliquis ab officio impune eximatur, vel pensionem obtineat (*cf. Cod. poen. art.* 360); honorarium excessivum exigere; aut (si a municipio mercedem iam recipiat) illos qui munera non praebent negligere; hae sunt iniustitiae magnae; utinam rarae!

3471. *Quid notandum in particulari circa obligationes famulorum?* Ex pacto implicito 1° tenentur admonere herum tempestive (iuxta consuetudinem) si finito tempore contractum renovare non intendant. 2° Teneri possent ad defensionem heri, atque ad custodiam domus et rerum illius (iuxta dicta *n.* 3214). 3° Tenentur domino patefacere ea quae forte noverint magnum detrimentum ei afferre posse, saltem si absque gravi incommodo illum certiorem utiliter facere valeant. 4° Tenentur res domesticas (quae occultari debeant) aliis non manifestare. Non autem tenerentur ad labores excessivos, vel (secluso pacto speciali et iusto) ad solvendum pretium pro rebus casu fractis (iuxta dicta *n.* 3011). An possint se compensare propter mercedem iusto minorem, vide dicta (*l. c.*).

3472. *Ad quid tenentur ex iustitia alienarum operarum conductores, scilicet domini erga operarios et famulos?*

I. Non gravare eos laboribus ultra pactum expressum aut implicitum, vel ultra discretionem quae a bonis dominis adhibetur et iure naturae exigitur. Sic, v. g., adhibenda est discretio 1° quoad horas laboris iuxta diversum defatigationis gradum; maxime vero ut tempus cibum sumendi et necessario somno indulgendi miseris operariis remaneat: 2° quoad dies, ut scilicet operariis relinquantur dies festivi, quibus vires reassumant, cultui divino et rebus spiritualibus attendant, familiae negotiis provideant, atque etiam oblectamentum aliquod capere possint. Discretio autem specialissima quoad foeminas, maxime vero

quoad iuvenculos et pueros, semper haberi debebit. Haec omnia iure naturae ita exiguntur, ut, non obstantibus pactis in contrarium, iniustitia remanere possit. Loquendo autem de famulis, recolenda sunt supra dicta (*n.* 3011 *v. Quoad secundum*).

II. Praeterea domini debent operariis et famulis iustam mercedem (inspecta loci consuetudine et particularibus circumstantiis, iuxta dicta *l. c. v.* R. *Primum*) praebere; et quidem, statuto termino adveniente, sine mora. Si autem pro mercede alimenta quoque sub pacto venissent, haec congrua esse deberent. Dixi *inspecta loci consuetudine;* sed notandum quod merces operariorum potest esse adeo exigua, ut iam (non obstante loci consuetudine atque operariorum acceptatione) minor iusto sit. SS.mus D. N. Leo XIII (Enciclica *Rerum novarum* v. *Rem hoc loco*), verba faciens de illis operariis, qui ex necessitate victum sibi comparandi laborant, dicit: « Alendo opifici, « frugi quidem et bene morato, haud imparem esse mercedem « oportere ». Si peteres an merces debeat esse sufficiens nedum pro alendo operario, sed etiam pro alenda eiusdem familia, responderem debere esse sufficientem etiam pro familia, ita tamen ut quotquot in familia ad laborem apti sunt, laborare debeant, et sic ex complexu mercedum generatim familiae (comprehensis etiam pueris aliisque personis ad laborem ineptis), quin intolerabili premantur inopia, vivere possint. Si peteres quomodo *practice* discerni valeat an merces sit iniusta, responderem sensui communi proborum standum esse, et, si generatim nimis exigua iudicetur, ex iustitia esse adaugendam.

III. Quoad famulos debent domini eos (iuxta consuetudinem) admonere tempestive, si pro alio mense vel anno contractum renovare non intenderent.

3473. *Quid de voluntariis operarum intermissionibus (it. scioperi), quibus scilicet omnes aut fere omnes alicuius loci operarii ex condicto se dant otio, ut ad augendam mercedem vel ad minuendum laborem dominos cogant?* Huiusmodi agendi ratio est certe iniusta in tribus casibus: 1° si fiat ad extorquendam mercedem iusto maiorem: 2° si fiat quidem ad obtinendum augmentum mercedis intra limites iustitiae; sed ita ut, sive contra dominos, sive contra alios operarios (qui laborem intermittere nollent) media violenta vel dolosa adhibeantur; 3° si conventio praecessisset de praestandis ad tempus statutum operibus pro certa et iusta mercede, atque idem tempus nondum transactum fuisset.

Caeterum, praescindendo etiam ab iniustitia, hae operarum

intermissiones vix unquam non erunt graviter illicitae; practice enim (prout hodie accidere solet) nedum dominos sed etiam operarios ipsos damno afficiunt; mercaturis et reipublicae utilitatibus obsunt; turbas concitant, seditionemque efformant; tranquillitatem publicam in discrimen adducunt, atque a sectariis ad fines perversissimos procurantur. Cf. Encycl. cit. SS.mi D. N. Leonis XIII (v. *Longinquior*).

3474. *Quid de iure rescindendi contractum locationis operarum ante tempus?*

I. Certe rescindi potest; sed solum ex causis iustis.

II. Ad determinandum an haec vel illa causa sit iusta, regula potior desumitur a consuetudine proborum. Generatim sufficiunt causae minores illis, quae ad dissolvendam locátionem et conductionem domorum et praediorum exigerentur. Sic, v. g. locator domus nequit locationem dissolvere quia ipse illâ indigeat (*A*. 1612); sed locator operarum (v. g. famulus) potest contractum dissolvere, si libertate sua indigeat gravi de causa, v. g., ad matrimonium contrahendum, ad parentes suos adiuvandos, ad inimicum declinandum etc. monito tamen domino antea, si fieri possit. A fortiori contractum dissolvere posset, si conductor pactis non staret, aut nimis male illum tractaret etc. Idem dic de famula quae impudice ab hero tentaretur. Conductor autem poterit quidem ante tempus dimittere operarum suarum locatorem ob magnos atque intolerabiles defectus (sive culpabiles sive etiam inculpabiles) in ipso deprehensos; non vero ob defectus ordinarios, aut quia eveniat casus, propter quem ante tempus in contractu definitum eius opera non indigeat. Excipe nisi ex consuetudine contractus ita celebratus censeretur, ut si tale vel tale quid eveniat, rescindi debeat. Casum habes, v. g., in operariis rusticis ad diem conductis, si forte ex pluvia ingruente dominus eorum opera non amplius indigeret.

3475. *Quid de iure exigendi reparationem damnorum?* Ius istud adest solum quando ex locatoris iniustitia formali conductori, aut viceversa, damna contingunt. Exemplum habes si ante tempus famulus dominum desereret, aut hic illum dimitteret (intellige semper absque iusta causa); vel si famulus ita infideliter et negligenter laboraret, ut domino exinde non leve lucrum cessans aut damnum emergens obveniret, prout quoad famulos piscatorum, pastorum, et artificum facile contingere potest.

3476. *Quid de iure imminuendi mercedem promissam?* Ius istud intervenire potest, eo quod operae fuerint quidem prae-

stitae, sed non integre, vel non usque ad tempus in contractu statutum. Hoc in puncto destinguendum est, et videndum imprimis an fortuito casu an vero ex culpa defectus intervenerit.

3477 *Quid si fortuito casu operae impeditae fuerint?* Impedimentum istud respicere potest 1° directe personam conductoris, qui, v. g. propter mortem, vel necessitatem alibi se conferendi etc., famuli opera non amplius uti possit; 2° directe personam locatoris, qui, v. g. ob infirmitatem, servitium deserere cogatur; 3° directe operam ipsam, ut in supradicto casu pluviae, quae operarii rustici operam impediat.

Si impedimentum respiciat directe personam conductoris, tunc ille (aut, si mortuus fuisset, eius haeres) mercedem integram solvere tenetur; ex consuetudine enim hic contractus cum hoc pacto iniri intelligitur. Excipiendus casus, in quo famulus liber remanere et aliud servitium inire intenderet. Aliqui etiam excipiunt casum, in quo famulus *facile* aliud servitium invenire posset; idque mihi valde probabile videtur, sed solum casu quo primum servitium adhuc ad longum tempus (v. g. annum) durare debuisset.

Si impedimentum respiceret directe personam locatoris, regula generalis esset, ut merces pro rata imminuatur. Attamen defectus posset esse adeo brevis, ut ex consuetudine pro nihilo haberi deberet; et tunc merces imminui nequiret. Casum habes in famulo paucis diebus aegrotante; attamen iuxta distinctiones *n.* 3011 expositas.

Denique si impedimentum respiceret directe operam ipsam, ex consuetudine manifestissima patet, quod merces pro rata diminui posset.

3478. *Quid si ex culpa locatoris (famulo, v. g. inique ante tempus discedente) defectus evenisset?* Famulus inique recedens 1° non potest mercedem temporis subsequentis exigere: 2° illam forte receptam restituere deberet: 3° redire deberet ad dominum, qui tamen ad illum iterum recipiendum non obligaretur: 4° deberet etiam compensare domino quidquid damni pro iniusto discessu subiisset: 5° secluso autem omni damno domini, non videtur famulus privandus ex toto mercede temporis praeteriti: 6° illâ tamen privari posset in parte, famulo enim ad libitum suum (imo contra pactum) discedenti minor sine dubio merces debetur. Cf Praxis (*n.* 1994).

3479. *Quid si ex culpa conductoris (domino, v. g. inique famulum ante tempus eiiciente, aut malis tractationibus ad abeundum cogente etc.) defectus accidisset?*

Dominus deberet famulum forte redire volentem acceptare, eique usque ad definitum tempus pro se laboranti integram mercedem solvere. Illum tamen nec ad redeundum, nec ad lucrum alio modo sibi comparandum cogere posset. Illi autem compensare debebit damna omnia, quae (v. g. si honoris quoque iacturam fecisset) adeo gravia esse possent ut integrae mercedis solutio non sufficeret. Sed quid si damna non subiisset? Certe tunc quoque non esset satis ei solvere mercedem statutam correspondentem tempori quo servitium praestitit; si enim maior merces deberetur famulo qui ex pacto ad nutum domini quovis momento dimitti posset, adhuc maior debebitur si contra pactum ita dimittatur. Multi dicunt famulum sic inique dimissum, in quovis casu ius habere ad mercedem integram; sed hoc (speciatim si longo adhuc tempore servire debuisset) verum non videtur; ex una parte enim ille in libertate remaneret, et ex alia merces integra integre servienti debetur. Quum itaque nec tantummodo pars servitio praestito correspondens, nec merces integra ei debeatur, restat ut iudicio viri prudentis et pro bono et aequo, quod ei debeatur, determinetur.

C.

De locatione operum.

3480. *Quid est locatio operis?* Contractus quo quis opus aliquod (v. g. fabricam, statuam etc.) alteri pro pretio acceptanti committit. Locatio operis differt a locatione operarum, quia in ista circa operas, et in illa circa opus, pretium statuitur; acceptans autem in locatione operarum directe de operis suis tantummodo (quas ad diem, vel hebdomadam, vel mensem etc. locat), et in locatione operis directe de opere ipso, quod (ut italice dicimus) *non a giornate, ma a cottimo. od a misura. od a pezzi*, perficiendum suscipit, respondere debet. Differentia est etiam quia, dum acceptans in locatione operarum *locator* (ut dixi supra) appellatur, in locatione operis *conductor* dicitur. Dici solet etiam it. *appaltatore, impresario, imprenditore, cottimista etc.* Cod. adnot. *Cattaneo (A.* 1635*)*.

3481. *Locatio operis quotuplex esse potest?* Prima est distinctio supra exposita; idest 1° *A cottimo*: (latine; ad corpus seu ad aversionem); ita ut conductor opus completum tradere debeat, pro eoque unicum recipere pretium: 2° *A misura* (lat. ad mensuram): 3° *A pezzo* (lat. ad partes); ita scilicet ut condu-

ctor ius habeat ut pro mensuris vel partibus executis pretium recipiat, sive opus usque ad finem prosequi debeat sive non. 4º Cum pacto ut conductor *solum artificium, aut etiam materiam* ponat. 5º *Dependenter*; ita scilicet ut conductor a directore, quem dominus deputaverit, dependere et iuxta eius placitum in omnibus se gerere debeat; vel *independenter*.

3482 *Quaenam sunt obligationes conductoris operis?* Perficere, sub poena refactionis damnorum, opus (vel mensuras, aut partes operis) 1º more viri probi; 2º prompte aut intra tempus praefixum: 3º pretio statuto, vel (si statutum non fuisset) iusto: 4º personaliter; sed hoc intellige si peritia sua personalis (quoad executionem aut directionem) electa fuisset. Attamen si alios sibi susbtituere posset, de bona executione ipse semper respondere debebit. 5º Si materiam in opere adhibendam a locatore accepisset, illam examinare atque etiam custodire deberet, ita ut furto etiam (qui defectum custodiae supponere faciat) antistare teneatur.

3483. *Si in operis executione additiones aut variationes magni momenti factae fuissent, possetne conductor augmentum pretii in contractu statuti exigere?* Iure naturae affirmative, si mandante vel consentiente locatore locum habuissent: sed iure civili oporteret ut de illis novus contractus in scriptis fieret (*a.* 1640).

3484. *Possetne conductor augmentum pretii exigere eo quod pretium infra minimum fuisset statutum et ex errore acceptatum; vel eo quod postea rerum aut operarum pretia nimis crevissent?* In primo casu, affirmative, nisi contractus sub hasta celebratus fuisset. In secundo, negative (*A. cit.*).

3485. *Potestne locator, opere quoque incoepto, contractum rescindere?* Affirmative, dummodo conductorem nedum quoad partem peractam, sed etiam quoad totius operis lucrum (et a fortiori quoad damna) compenset (*a.* 1641).

3486. *Mortuo conductore ante finem operis, contractus transitne ad eiusdem haeredes, qui proinde ius habeant opus ipsum perficiendi?* Negative; illos tamen locator pro parte peracta compensare debebit.

3487, *Quandonam res censetur locatori tradi?* Si sit ad corpus, solum in fine, quando scilicet locator opus iam completum approbat (it. *lo collauda*) et acceptat. Si sit ad mensuram vel ad partes, tunc pars mensurata vel partes acceptatae, traditae censentur.

3488. *Quid si opus, vel pars operis, antequam traderetur,*

periisset? Si conductor (laborans independenter, iuxta dicta *n.* 3481) artificium simul et materiam posuisset, totum illi periisset. Excipe nisi locator fuisset in mora opus acceptandi. Si autem locator materiam (aut pecuniam ad materiam emendam) conductori dedisset, tunc conductor (dummodo non fuisset in culpa) operam suam tantummodo perdidisset; imo ne hanc quidem, si ex vitio materiae (sine culpa acceptatae) ruina accidisset, aut si locator in mora (ut supra) fuisset.

3489. *Opere iam tradito, conductor liberaturne a quacumque respondendi obligatione pro casu ruinae quae postea sequatur?* Si conductor perfecisset opus *dependenter*, tunc ad nihil teneretur. Si vero illud perfecisset *independenter*, tunc (intellige si agatur de aedificio, vel muro) de operis soliditate respondere deberet ad decennium, dummodo ex una parte ruina (sive totalis sive partialis), aut eiusdem evidens periculum, evenisse probetur ex vitio constructionis aut soli (non bene explorati); et ex alia infra duos annos a die ruinae, vel periculi detecti, actio iudicialis contra conductorem ipsum promota fuisset.

D.

De locatione et conductione vecturarum.

3490. *Quid notandum in particulari circa locationem et conductionem vecturarum?*

I. Vectura (sive terrestris sive marittima) potest esse hominum vel rerum; et, quatenus sit rerum, implicat contractum depositi.

II. Aliquando conducitur vectura tota (v. g. currus vel navis) et proinde cum iure ne in illa alii introducantur; et aliquando quaeritur solum ut persona vel res transvehatur.

III. Locator vecturae debet ex iustitia servare ea, quae lege vel consuetudine servanda sunt, aut pacto speciali constituta fuerunt. Debet speciatim 1° esse exactus circa tempus et horam tum discessus, tum adventus ad locum destinatum: 2° res transvehendas in tuto collocare, et providere ut incolumes serventur. Si autem clausae sint, involucra vel capsas minime aperire.

IV. Si, contractu celebrato, iter non susciperetur, vel susceptum interrumperetur aut non finiretur, videndum an voluntarie an vero necessario id contingeret. In primo casu (seclusa nova conventione) conductor (si ipse esset reus) de integro naulo solvendo; et si reus esset locator, ipse de damnis teneretur.

In secundo casu autem, qui multis nimisque variis modis accidere potest, quid dicendum sit, consulantur iurisperiti, v. g. Troplong (*Locaz. delle opere n.* 910) et Cod. Commercii (*A.* 396 *et* 419).

E.

De coloniis partiariis.

3491. *Quid est colonia partiaria?* Colonia partiaria (it. *mezzadria* aut *masseria*) est contractus quo quis fundum rusticum tradit alteri colendum, cum pacto dividendi fructus ad medietatem (*A.* 1647). Qui fundum sic acceptat, *colonus* (it. *mezzaiuolo, mezzadro, massaro, colono*) appellatur.

3492. *Cuiusnam naturae est contractus iste?* In substantia ad contractum locationis conductionis reducitur, et proinde eius legibus, prout supra (*n.* 3453-3467), magna ex parte subiicitur. Dixi *magna ex parte*; propter speciales enim rationes, et maxime quia in hoc contractu locatori interest ut fructus quotannis abundent et fundus bene colatur, aliquae differentiae interveniunt; unde quoad labores a colono praestandos, quoad fundi custodiam, quoad dependentiam a locatore, quoad partem ei tribuendam, denique quoad finem vel rescissionem coloniae, sequentia notari debent.

3493. *Quid de laboribus a colono praestandis?* 1° Colonus *per seipsum suamque familiam* laborare debet; locator enim qualitates personales maxime respexit; unde colonus ius suum alteri tradere, atque adeo (secus ac contingit in aliis locationibus) fundum sublocare nequit. Sublocatio esset invalida, et locator in possessionem sui fundi redire, et, propter contractum non adimpletum, reparationem damnorum exigere posset (*A.* 1649). 2° Laborare debet *diligenter;* ita ut, v. g. quoad fimum, terrae praeparationem, sementem, malarum herbarum expurgationem, fructuum collectionem, ingruentium periculorum evitationem etc., tempestive et recte ea omnia praestet, quae a colonis probis et diligentibus communiter praestari solent. Ad curam tamen extraordinariam, exquisitam et diligentissimam, minime tenetur (*A.* 1657). 3° Sine consensu locatoris, vecturas (*it. carreggi*) pro aliis facere nequit (*A.* 1650). 4° Quoad arbores, potationes periodicas ramorum (prout de more) facere debet. Ad illum quoque spectant caesiones (si adsint sylvae caeduae) quoad partem necessariam pro sustentandis vitibus, aut pro aliis usibus fundi (*A.* 1661). Denique ad illum spectant plantationes

ordinariae, quae pro arboribus demortuis aut casu fractis quotannis exigi solent: locatore plantas loco avulsarum ponendas ei subministrante (*A*. 1658). Idem dic de vitibus, loco demortuarum, collocandis. Quod autem dicitur de plantarum plantatione, de earundem quoque stercoratione modica, et cura successiva, intelligi debet. 5° Fossas, quae fundum circumdant iuxta publicam viam, et si quid praeterea a Municipio praecipiatur, colonus suis expensis exequi tenetur (*A*. 1659). 6° Vecturas non solum pro advehendis fructibus ad locatorem (intellige nisi extra Municipii territorium valde distaret), sed etiam pro reparationibus fundi et domus colonicae, si sint ordinariae, ad colonum spectant (*A*. cit.). Caeterum integras plantationes (it. *scassati, filari*), fundi complanationes, vecturas sive extraordinarias prorsus sive ad fundum non spectantes, colonus, secluso pacto speciali (eoque iusto), peragere non tenetur.

3494. *Quid de mediis ad praedicta praestanda necessariis?* Haec spectant ad colonum, qui proinde non solum instrumenta, sed etiam animalia ad fundum colendum et stercorandum necessaria habere debet (*A*. 1655). Debet insuper famulos aut alios operarios suis expensis sibi adsciscere toties quoties oporteat. Attamen 1° Quoad vites praeservandas a crittogama, colonus (apud nos) solum operam suam et tertiam partem sulphuris ponit. 2° Quoad triticum ope machinae (vulgo *trebbiatrice*) triturandum, colonus ponit operas et cibaria, sed quota tritici domino machinae solvenda ex massa communi sumitur. 3° Quoad animalia, etsi primo anno colonus in hyeme ex proprio foeno secum advecto illa alere debeat, tamen in posterum ius habet eadem alendi ex fundo, atque adeo seminandi herbam; attamen solum in parte, iuxta loci consuetudinem, fundo proportionata (quae apud nos est decima circiter). Si autem talis herbae quantitas non sufficeret, et foenum emi deberet, haec emptio ad colonum (vel ad animalium dominum) spectaret. 4° Quoad stramen vel quid simile pro lecto animalium, si collectum in fundo non sufficeret, aliudque emendum esset, haec emptio (apud nos) solum pro tertia parte ad colonum spectaret. 5° Idem dic si fimus emendus esset.

3495. *Quid de fundi custodia?* Praeter obligationem communem aliis conductoribus vigilandi ne servitutes efformentur, colonus vigilare debet ne in sepibus aditus aperiantur; ne uva surripiatur; ne sata ab animalibus damnum patiantur, etc.

3496. *Quid de dependentia a locatore?* Colonus (iuxta consuetudinem) tenetur neque colligere neque triturare grana, neque

colligere uvam, quin prius a locatore licentiam obtinuerit (*A*. 1660).

3497. *Quid de fructibus aliisve praestationibus locatori tribuendis?* De regula ordinaria fructus omnes ad medietatem dividi debent (*A*. 1661). Dixi *de regula ordinaria*; videndum enim ne locales consuetudines, vel pacta specialia apponant exceptiones; quae possunt esse iustissimae; interdum enim fundi possunt esse ita steriles, ut colonus non satis compensetur fructuum medietate, et proinde plus habere debeat; interdum e contra fundi esse possunt ita fertiles, ut fructuum medietas laboris valorem superet; unde colonus vel partem medietate minorem, vel non omnium fructuum medietatem habere, vel, praeter fructuum medietatem, certam quoque pecuniae summam, aut alias praestationes, locatori dare debeat. Sic apud nos locatores solent sibi reservare folia mororum, atque insuper exigere taxam in pecunia, pullis et ovis, fundi extensioni et fertilitati proportionatam. Quaedam autem minuscula, v. g., sarmenta vitum, spinas sepum, cucurbitas atque glandes pro suibus, ex toto relinquunt colono. Interdum etiam contingere potest quod colonus aliquorum fructuum (v. g. uvae) partem habere non debeat, eo quod circa illos non laboret, colendo fundum, ut nos dicimus, *a terra spogliata*. Interdum denique non ad medietatem, sed solum ad tertiam partem ius habet, quia locator instrumenta agraria ei suppeditet etc.

3498. *Quid si aliquo anno, casu fortuito, v. g. extraordinariae sterilitatis, calamitatis, alluvionis, etc, fructus ex toto aut magna ex parte perirent?* Ex hoc colonus nullum ius contra locatorem acquireret, (ad differentiam aliorum conductorum iuxta dicta *n*. 3456); sed infortunium sustineri deberet in communi (*A*. 1648). Excipe nisi alteruter in culpa vel in mora fuisset (*A*. 1619).

3499. *Circa fructuum divisionem, estne aliquid aliud notandum?* Notanda sunt sequentia: 1° Obligatio dandi medietatem locatori, non ita rigide intelligi debet, ut colonus eiusque familia nequeat uti sive uva sive faba ad manducandum antequam collectio fiat. Dixi *ad manducandum;* non vero ad tradendum aliis. 2° Colono dari censetur facultas tenendi pullos gallinaceos, etsi (uti patet) parti dominicali aliquod damnum inferant (attamen solum in quantitate fundo proportionata); atque insuper sues, et (secluso pacto contrario) alia animalia, quae in loco communiter teneri soleant; dummodo debitas cautelas adhibeat, ne nimis noceant. 3° Nullum ius habet (praeter dicta *n*. 3493. 4°)

quoad arborum truncos (etsi vetustate aut alio casu perierint), nec quoad sylvas caeduas. Quoad ramos, iuxta legem civilem, ius habet solum ad partem sibi necessariam pro igne aut pro usibus fundi (*A.* 1661); sed hac in re standum erit consuetudini locali aut pactis specialibus. 4° Ultimo anno ius habet asportandi foenum.

3500. *Quid de semente?* Iuxta legem civilem, apud nos, sementes omnes spectant in communi locatori et colono (A. 1656). Sed hoc etiam in puncto standum erit consuetudini locali, aut pactis particularibus.

3501. *Quomodo cognoscitur an pacta sint iusta?* 1° Si sint omnia iuxta consuetudinem et communem praxim, et talia ut communi sensu discreta et iusta censeantur: 2° Si aliquod pactum non esset quidem de consuetudine (ita ut communiter ea de re a locatoribus nihil aut minus exigeretur), sed imminutiones in aliis pactis adhibitae gravamen compensarent. Vide dicta (*n.* 3009).

3502. *Quid si colonia inita fuerit absque temporis determinatione?* Intelligitur ad annum (*A.* 1664).

3503. *Colonia cessatne unquam ipso iure?* Negative. Etsi ad tempus expresse determinatum, inita fuisset, intimatio tempestiva (sive a parte coloni, sive a parte locatoris) semper exigitur, ut colonia cesset (*A.* 1651). Illâ non factâ (ante finem mensis Martii vel iuxta consuetudinem), colonia ad alium annum renovari censetur (A. 1664).

3504. *Colonia potestne rescindi ante tempus?* Affirmative. Solum tamen (secluso partium consensu) auctoritate iudicis et ex iustis causis, v. g. si colonus muneribus suis graviter deficeret, vel ad fundum colendum per se vel familiam impotens evasisset.

3505. *Quid iuris pro casu mortis coloni?* Tunc colonia solvitur finiente anno in cursu. Attamen (ad favendum familiae defuncti) leges nostrae (*A.* 4653) statuunt, ut si mors evenerit ultimo quadrimestri, familia quae cohabitat cum defuncto, aut vidua illius, habeat ius continuandi anno sequenti; ita tamen ut locator possit propriis expensis (a parte colonica postea deducendis) fundum colere, si ab iisdem male coleretur.

3506. *Superestne aliquid aliud notandum circa locatoris obligationes erga colonum?* Praeter dicta *n.* 3455 et *n.* 3009, notandum superest quod in fine anni tenetur ex iustitia rationes componere (it. *far i conti*); colonus enim ius habet sciendi quotannis an et pro quanto sit debitor vel creditor; idque non solum ad exigendum creditum suum si forte adesset;

sed etiam quia, propter oblivionem, confusionem et complicationem, difficile in posterum iura sua tueri posset. Adde periculum ne debita nimis accumulentur: denique colonus tali notitia destitutus alium fundum, difficilius inveniet; domini enim fundum non dant nisi prius colonum a debitis liberum esse sciant.

§ VI.

De emphyteusi

3507. *Quid est emphyteusis?* Contractus quo sive in perpetuum sive ad longum tempus conceditur fundus quoad dominium utile, cum obligatione illum meliorandi, et solvendi annuum canonem (ordinarie valde modicum et fructibus non proportionatum) sive in pecunia sive in fructibus naturalibus. Qui fundum concedit *directarius* (dominus directus), et qui accipit *emphyteuta* appellatur (*A.* 1556). Emphyteusis differt a feudo, quia (praeter alia) emphyteuta canonem, et feudatarius obsequium praestare debet.

3508. *Quid de normis huius contractus?* Aliquae sunt necessariae, aliquae naturales, et aliquae conventionales.

3509. *Quaenam sunt normae necessariae?* Sunt quae necessario exiguntur, et pactis specialibus mutari nequeunt. Apud nos sunt sequentes:

I. Emphyteuta sive per contractus sive per testamentum de bonis emphyteuticis disponere potest; quin hodie novus emphyteuta aliquid (praeter canonem) directario solvere debeat (*A.* 1562). Dixi *hodie* quia olim occasione translationis (it. *reinvestitura*) novus emphyteuta (sicut novus feudatarius) *laudemium* solvere tenebatur.

II. Quovis vigesimonono anno recurrente, directarius (si velit dominium suum conservare) exigere debet recognitionem proprii dominii per documentum renovationis tituli, expensis emphyteutae (*A* 1563).

III. Emphyteuta (iuxta novas leges) semper redimere potest fundum emphyteuticum ab onere canonis, (et sic illius dominium directum acquirere) solvendo capitalem summam canoni et tempori durationis emphyteusis proportionatam, prout explicatur *A.* 1564. Dixi *iuxta novas leges,* antea enim, sine consensu domini directi qui dominium suum cederet, emphyteuses redimi non poterant.

3510. Notandum insuper quod fundi emphyteutici, quorum

dominium directum ad fiscum vel ad corpora moralia (vulgo *di mano morta*) spectet, redimi possunt (intellige iuxta legem civilem) sequenti modo: « I beni immobili, e quelli considerati per « legge come tali, che siano gravati da canoni enfiteutici, livelli, « censi, decime, legati pii ed altre simili prestazioni annue « *perpetue*, sì redimibili che irredimibili, a favore del Demanio, « o di qualunque altra amministrazione dello Stato, di stabili« menti pubblici, corporazioni, istituti, communità ed altri « corpi morali di mano morta, potranno dai rispettivi possessori « o debitori essere liberati dall'annua prestazione, mediante « cessione, a favore del Demanio o dello stabilimento di mano « morta creditore, di un'annua rendita scritta sul gran libro « del Debito Pubblico al 5 p. % eguale all'ammontare dell'an« nua prestazione ». Ita lex 24 Ianuarii 1864, quae insuper declarat praestationes, quae derivant a concessionibus annis 99 vel amplius (aut ad tres generationes) duraturis, tamquam perpetuas haberi. Vide Rivarolo (P. IV. Cap. II).

Sic itaque emphyteuses, census etc. ad corpora moralia spectantes non solum pecuniâ, sed etiam schedulis (it. *cartelle*) debiti publici, quae utique pecuniâ minus valere solent (atque adeo cum novo damno domini directi) redimi seu affrancari possunt.

In conscientia tamen affrancationes huiusmodi (si agatur de bonis ecclesiasticis) fieri nequeunt sine consensu Ecclesiae; quin tamen ordinarie beneplacitum apostolicum exigatur; hodie enim Episcopi solent habere facultates (supra *n.* 2045 *et sqq.* expositas) vi quarum (nisi summa capitalis triginta libellarum millia excedat) consensus Episcopi sufficit.

3511. *Quaenam sunt normae contractui emphyteusis naturales?* Sunt quae non necessario, sed solum deficientibus pactis specialibus in contrarium, servari debent. Apud nos sunt sequentes:

I. Tributa et alia onera fundi emphyteutici spectant ad emphyteutam. (*A.* 1558).

II. Ratione extraordinariae sterilitatis, quae aliquo anno contingat, emphyteuta non eximitur a solutione canonis (*A.* 1559). Aliud esset si fundus periret ex integro (*A.* 1560).

III. Emphyteuta gaudet non solum fructibus, sed etiam accessionibus quae forte fundo superventurae essent. Idem dic (ad differentiam usufructuarii) de thesauris et fodinis (*A.* 1561).

IV. Directarius exigere potest quod emphyteuta aut redimat fundum (ut supra *n.* 3509 III.), aut illum restituat, in duobus

casibus; scilicet 1° si, quamvis legitime interpellatus, duobus annis consecutivis canonem non solverit; 2° si fundum deterioraverit, aut iuxta suam obligationem non melioraverit (*A*. 1565).

3512. *Quaenam sunt normae conventionales?* Sunt pacta specialia, quae normis necessariis (ut supra *n*. 3509) contraria non sint.

§ VII.

De censu.

3513. *Quid est census?* Census iuxta diversas leges diverso modo definiri deberet. Definitio, quae legibus omnibus magis aptetur, videtur sequens: Census est contractus qui dat ius ad pensionem annuam, obligato fundo stabili, atque ita ut creditor pensionis nequeat (seclusis rarissimis casibus de quibus infra) cogere debitorem ad illam redimendam, nempe ad sibi solvendum capitale, quo a pensione ipsa solvenda in posterum liberaretur. Hinc, si ad censum acquirendum capitale datum fuisset, hoc (ad differentiam mutui) esset *irrepetibile.*

Pensionis creditor *censualista;* debitor *censuarius;* ipsa pensio *fructus* vel *reditus* appellatur.

Pensio solvenda in pecunia, *pecuniaria;* in fructibus naturalibus (quod tamen vix unquam fuit in usu) *fructuaria* appellatur.

3514. *Census fueruntne semper creati eodem modo?* Negative. Aliter enim ante Bullam *Cum onus* S. Pii V; et aliter post ipsam Bullam (quae 19 Ian. an. 1569 edita fuit) creabantur. Aliter etiam in locis ubi haec Bulla recepta non fuit. Denique aliter creari possent hodie iuxta nostrum codicem civilem, qui I. Ian. 1866 vigorem habere incoepit. Dixi *creari possent;* de facto enim hodie census vix unquam creantur. Quum autem census antiquissimi, ante Pium V. creati, sint pauci admodum, pro praxi sufficit si de censibus creatis ad formam Bullae Pii V (qui *bullarii* a Iurisperitis appellantur) sermo fiat, et de aliis aliquid tantummodo innuatur.

3515. *Quid itaque de censu ad formam Bullae Pii V creato?*

I. Potest esse *reservativus* et *consignativus*. Reservativus est quando ita creatus fuit ut dominus fundi dederit fundum ipsum alteri, reservando sibi pensionem annuam *ex eiusdem fructibus* (in natura, vel in pecunia aequivalenti) solvendam. Consignativus est quando quis summam pecuniae dedit domino alicuius fundi, qui *eodem modo* ad pensionem solvendam se

obligavit. Fundus debebat esse immobilis, fructiferus et certis finibus determinatus.

II. Huiusmodi census dat ius nedum personale (contra censuarium eiusque haeredes), sed etiam *reale* contra fundum censitum (ad quemcumque possessorem, sive per haereditatem, sive per venditionem, sive per quamlibet aliam alienationem, transiturus fuisset); idque (secus ac esset iuxta novas leges) independenter ab hypotheca. Ricci (*Tit. IX n.* 133).

III. Hi census sunt omnes *redimibiles* a parte censuarii (debitoris). Quamvis a parte censualistae (creditoris) redemptio exigi nequeat, atque adeo capitale (sive ab initio datum, sive utcumque pensioni correspondens) sit irrepetibile, ut (*n.* 3513) dixi; tamen censuarius (admonito censualista bimestri antea) censum redimere (it. *affrancare*, *riscattare, estinguere*), non obstante quovis pacto in contrarium, (sortem, scilicet dictum capitale, solvendo) semper poterit.

3516. *Census qui ante Bullam Pii V ita creati fuerunt ut essent irredimibiles, perdurantne esse tales etiam hodie?* Iure civili negative (*Art.* 30 *Disp. trans.*). Iure canonico (quoad bona ecclesiastica) affirmative; et proinde censuarii ad huiusmodi redemptionem sine venia S. Sedis (aut Episcopi delegationem habentis) procedere non possent.

3517. *Quoad census, qui ad formam Bullae Pii V creati fuerunt, capitale estne repetibile in aliquo casu?* Affirmative, nempe si censuarius admonuisset censualistam se velle censum redimere (ut supra), et postea a proposito recedere praetenderet. Alii casus adessent iuxta nostrum Cod. civ. (*A.* 1785); sed vigerent solum pro censibus post eius promulgationem creatis, non vero pro aliis. (*A.* 29 *Disp. trans.*). Ricci (*l. c.* 171).

3518. *Quum novae leges in censibus creditum personale tantummodo, non vero reale* (*seclusa hypotheca*), *recognoscant,* (*ut dixi*), *haec dispositio efficitne ut census creati ad formam Bullae Pii V, nunc solam actionem personalem* (*si forte hypotheca nunquam sumpta fuisset, vel non fuisset renovata*) *suppeditent?* Negative: census antiqui enim iuxta leges antiquas regulari debent (*A. cit, Disp. trans.*). Actio realis itaque, quae prius aderat contra fundum censitum, nunc quoque perseverat. Defectus itaque hypothecae id solum efficeret quod, si fundus censitus hypothecis subiectus ab aliis fuisset, tunc dictum ius reale inane evadere posset.

3519. *Utrum onus tributorum sustineri debeat proportionaliter etiam a censualistis, an vero pensio integra et libera a*

quibuslibet taxis solvenda sit? Secluso pacto speciali et rei natura inspecta, onus tributorum sustineri debet pro rata; tributa enim gravant fructus, quorum partem (in se vel in aequivalenti) censualista percipit. Hinc non ita pridem censuarii a pensione partem (it. *rata commodo*), quae erat 10 et aliquando 20 p. °/₀ praelevabant. At vero lex italica (27 Maii 1875) in posterum id fieri vetuit, et supra censuum pensiones directe taxam (it. *di ricchezza mobile*) imposuit (quae hodie est 20 p. °/₀). Adde (quoad census ad Ecclesiam spectantes) aliam taxam *di mano morta* (nunc 4,80 p. °/₀).

Dixi *secluso pacto speciali*, census enim non pauci creati fuerunt cum pacto quod pensiones solvi debeant liberae a quovis tributo imposito vel imponendo. An autem pactum istud vim habeat post legem 22 *Iul.* 1894 (et praecise propter celebre emendamentum *Antonelli* in ipsa inclusum), iurisprudentia tranquilla adhuc esse non videtur.

3520. *Quomodo extingui potest census?* Praecipue redemptione et praescriptione. Cf. Praxis (*n.* 2351).

3521. *Quomodo extinguitur ope redemptionis?* Dando censualistae sortem; videlicet, si census sit consignativus (*cf. n.* 3515), capitale receptum; si vero sit reservativus, capitale correspondens fructui 5 p. °/₀ (*cod. civ. a.* 1784); et hoc (iuxta cod. ipsum *Disp. tran. A.* 30) verum esset quamvis in census bullarii constitutione fructus maior statutus fuisset, nec pacta in contrarium ullatenus obstarent. Dixi *hoc esse verum iuxta cod. civ.*; si enim ageretur de censu in favorem Ecclesiae (quae huic legi sibi damnosae non consentit), capitale correspondens fructui statuto dare oporteret. *

Recolendum autem quod, si censualista sit corpus morale, census redimi potest non solum pecunia, sed etiam schedulis gubernativis, ut iam vidimus supra (*n.* 3510). In conscientia tamen, si census esset in favorem Ecclesiae aut loci pii, censuarius supplere deberet pro quanto minus pecuniâ dictae schedulae valent; unde in manus Episcopi supplementum consignandum esset.

Si vero censuarii census ita redimere vellent, ut regulae canonicae non servarentur, tunc administratores ecclesiastici

* Hoc fit peragendo redemptionem per instrumentum publicum ad normam legis civilis, simulque privatim consignando supplementum in manus Episcopi. Instrumentum autem fieri potest solum interveniente Regio Oeconomatu, qui pecuniam pro redemptione receptam prius *in un vaglia del tesoro*, et postea *in un certificato nominativo di rendita pubblica* convertit.

consentire nequirent. Recipere quidem poterunt quod eis dabitur; sed iudicialiter citati se contumaces reddere debebunt.

3522. *Quomodo extinguitur census ope praescriptionis?* Hoc titulo amitti potest ius ad fructus quinquennio anteriores, quorum exactio neglecta fuisset. An vero extingui possit ius ad sortem, distinguendum est. In favorem originarii debitoris eiusque haeredum (qui illum repraesentant) certe census quoad sortem nunquam extingui potest directe, quia creditor sortem nunquam petere potest, et *contra non valentem agere non currit praescriptio.* Dixi *directe*, si enim ad censum tutum reddendum hypotheca sumpta non fuisset aut evanuisset, et fundus censitus ex integro aliis hypothecis gravatus fuisset, utique tunc indirecte census (ut supra innuebam), etiam in favorem originarii debitoris, evanesceret. In favorem autem tertii possessoris census vere extingui potest ope praescriptionis, et casus esset si, dum fundus censitus iam transiisset ad tertium possessorem, ille de fructibus solvendis nunquam inquisitus fuisset, et sic trentennium transiisset. Nec valeret si interim fructus soluti fuissent ab aliis (v. g. ab originario debitore), imo ne valeret quidem si hypotheca super ipsum fundum censitum conservata et renovata fuisset, praescripto enim et cessante principali (censu), accessorium quoque (hypotheca) praescribi et cessare debet. Cf. Rivarolo (*Parte V. C. VI. n. IV*).

3523. Hinc pro praxi duo notanda sunt: 1. Oportet ut tertii possessores recognoscant censum et obligationem solvendi fructus; qua de re censualistae ius habent exigendi titulum recognitorem quolibet vigesimo nono anno, ne forte iidem possessores denegent se debitum recognovisse et solvisse fructus, atque ita praescriptionem iam completam fuisse autument. 2. Oportet ut hypothecae assumantur et renoventur valide. Quid autem exigatur pro valido, expositum fuit supra *n.* 3321 et seqq. Hic adde (tam in prima hypothecae inscriptione quam in eiusdem renovatione) necessariam esse imprimis indicationem debitoris, imo et actualis possessoris fundi hypothecati, ita tamen ut valeat inscriptio eius antecessoris defuncti, nisi iam inde a tribus mensibus in publicis regestis nomen successoris (vel successorum) appareat (*A. 1996 et 2006*).

3524. *An administratores ecclesiastici, ad declinandam census redemptionem, consentire possint ut pensio imminuatur?* Non licet 1° Cum damno Ecclesiae aut loci pii: 2° Ex pacto irrevocabili et sine consensu Episcopi. Licet autem ex pacto amicabili et revocabili simulque sine damno Ecclesiae. Cf. Praxis (*n.* 2356).

§ VIII.

De communione bonorum.

3525. *Quid est communio bonorum?* Contingit quando duo vel plures rem aliquam, cuius pro rata dominium habent et conservant, indivisam retinent sine intentione ineundi exinde societatem pro lucro vel maiori commodo. Qui aliquid sic in communi habent, *communistae* aut *participantes* dicuntur. Casum habes, v. g., in atrio, ianua, scala, puteo, cavaedio, latrina etc. communi; in muris communibus domorum contiguarum. Item aliquando in rebus commixtis, iuxta dicta *n.* 3044. Item dum haeredes vel legatarii habent haereditatem adhuc indivisam etc. Ut plurimum communio bonorum non provenit a contractu et personae veluti casu in illam incidunt (prout in haeredibus); sed interdum contractus intervenit, v. g., quando duo emunt fundum postea inter sese dividendum.

3526. *Quaenam sunt normae principales circa bonorum communionem?* Praescindendo a pactis specialibus, sunt sequentes:

I. Communista participat tam de utilitatibus quam de oneribus rei communis, proportionaliter ad suam quotam.

II. Quilibet communista ius habet utendi re communi, sed solum iuxta eiusdem destinationem naturalem aut consuetudinariam, et dummodo non impediat ne alii eodem iure suo utantur. (A. 675).

III. Ius habet etiam ad conservationem rei communis, atque adeo exigendi ut alii contribuant pro rata ad reparationes necessarias.

IV. Facere nequit mutationes in re communi, etsi aliis communistis utiles essent, nisi ipsi consentiant. (A. 677).

V. Res communis (v. g., haereditas indivisa) ut plurimum administratur ab aliquo ex ipsis communistis, cui mandatum sive expressum sive tacitum de hoc datum fuerit (prout contingere solet inter fratres). Si tamen communistae mandatarium non constituissent, neque pacifice inter sese de hoc convenirent, tunc, pro administratione et meliori fruitione rei communis, ad maioritatem communistarum decisionis auctoritas devolveretur, cui minoritas consentire omnino cogeretur. Maioritas autem ex personis, quatenus non tantum numero quantum entitate quotae participant, aestimari deberet (A. 678).

VI. Quilibet communista conservat verum dominium suae quotae non divisae (ut supra innuebam), eiusque fructuum; il-

Iamque proinde potest alteri vendere, vel donare, vel in usumfructum dare, vel hypothecae subiicere, vel locare etc.; ita tamen ut iura aliorum exinde in nihilo laedantur, et successor non plus iuris habeat, quam ipse alienans; et dummodo etiam de iure mere personali (v. g. usus vel habitationis) non agatur. (A. 679). Si communista venderet obiectum in communione adhuc existentem, venditio esset valida solum sub conditione quod futurum sit ut in divisione ei contingat. Cf. A. 1034 et Troplong (*della vendita* n. 176).

VII. Excepto pacto speciali, nemo cogitur remanere in communione, si tamen divisio possibilis sit, dantur enim casus in quibus res communis divisionem non patitur, et si divideretur ad usum destinatum amplius deservire nequiret. Exemplum habes in muris domorum continguarum, in porta, atrio, puteo, scala communi etc. (A. 683). Interdum tamen non equidem naturalis sed civilis divisio locum habere posset; idque contingeret si res ipsa (v. g. taberna, equus etc.) commode vendi (sub hasta), eiusque pretium dividi valeret.

§ IX.

De societate.

A.

Exponuntur quaedam generalia.

3527. *Quid est societas?* Heic loquimur de societatibus lucrativis; et hoc sensu societas est contractus quo duo vel plures paciscuntur ut singuli suam partem praestent ad lucrum vel commodum commune (A. 1697). Dixi *vel commodum;* et casus esset si plures, v. g., ad habendam mensam communem, aut vecturam communem, aut oblectamenta communia etc. societatem inirent.

3528. *Quotuplex potest esse societas?* 1° Expressa vel tacita 2° Ad tempus indeterminatum, vel determinatum. Temporis determinatio potest esse explicita (dicendo v. g. ad annum, ad triennium etc.), vel implicita (dum scilicet socii negotium vel fabricam suscipiunt, fundum conducunt etc.; tunc enim societas iniri intelligitur donec perficiatur negotium, duret locatio etc.). 3° Commercialis vel civilis: 4° Universalis vel particularis.

3529. *Quid est societas universalis?* Circa istam praenotanda

sunt sequentia: 1° Dotes (quas forte habeant socii coniugati) nequeunt conferri in commune nisi quoad usumfructum. 2° Turpia lucra ex delicto provenientia non censentur conferenda. Si tamen haec (iam acquisita) in societatem collata fuissent neque restitutionis oneri subiacerent, repeti nequirent. 3° Societas *universalissima*, scilicet bonorum omnium nedum praesentium sed etiam futurorum, comprehensis quoque futuris donationibus atque haereditatibus (etiam quoad proprietatem), iuxta novas leges (*A*. 1701) pro foro externo non valet. His praemissis, societas universalis (a novis quoque legibus admissa) duplex esse potest.

Prima est societas omnium quaestuum (it. *guadagni*), qui scilicet ex labore vel industria qualibet, simulque ex fundorum vel capitalium fructibus, durante societate proventuri erunt. In huiusmodi societate lucra merae fortunae (v. g. per victoriam *alla tombola*), secluso pacto speciali, comprehendi non censentur.

Secunda est societas omnium bonorum praesentium (etiam quoad proprietatem), atque illorum quae ex iisdem, vel ex industria in posterum oritura erunt; sed non donationum vel haereditatum futurarum, nisi quoad earundem fructus (*A*. 1701).

Huiusmodi societates universales (exceptis fratribus et individuis eiusdem familiae) inter nos rarissimae sunt. Societates particulares e contra frequentissimae esse solent.

3530. *Quid est societas particularis?* Est quae ad negotium particulare, vel ad aliquas particularium negotiorum species, restringitur. Exemplum habes in societate artificum simul laborantium, vel si plures opus vel fundum conducant etc.

3531. *In societate possuntne commisceri alii contractus, quibus socii inter se adstringantur?* Utique. Casus frequentiores sunt sequentes:

I. Interdum admiscetur donatio; si nempe qui plus contribuit vel minus consumit, contentus sit dividere aequaliter cum aliis; dummodo scilicet id fiat, ut ait Lugo (*XXX* 10) « non ex « necessitate vel ignorantia, sed propter amicitiam aut libe« ralitatem », prout in societate fratrum contingere solet.

II. Saepe admiscetur locatio operae; societates enim indigent administratione, itineribus etc. Haec autem praestare possunt socii ipsi interdum qua tales (conferendo ista quoque pro lucro in fine proportionaliter dividendo), et interdum tamquam extranei, recipiendo mercedem, quae pro administratione vel itinere (ad quae omnia se obligent) extraneo daretur. In hoc secundo casu locatio operae (uti patet) societati commisceretur.

III. Interdum admiscetur communio bonorum; dum, v. g.

fratres bona paternae haereditatis indivisa retinent, simulque de ipsorum bonorum fructibus propriaque industria societatem ineunt.

IV. Denique aliquando admiscetur assecuratio; dum, v. g. pastor domino gregis (cum quo societatem inivit) capitale assecurat.

3532. *Suntne personae, quae contractum societatis inter sese inire nequeunt?* Praeter regulas quibuslibet contractibus communes (iuxta dicta n. 3277), hac in re notandum speciatim quod societas universalis (etiam quoad bonorum proprietatem), ne illius praetextu pallietur donatio in fraudem creditorum, interdicitur iis qui sibi invicem donationes facere nequeunt (*A.* 1704); prout sunt coniuges durante matrimonio (*A.* 1054).

3533. *Quaenam normae prae oculis habendae erunt, ut iudicetur talem vel talem societatis contractum esse iustum?*

Norma tutissima (quando haberi potest) est consuetudo et sensus communis etiam proborum: si nempe contractus in loco sic celebrari soleat cum tranquillitate perfecta, neque de iniustitia incusetur, neque lamenta audiantur etc.

Secunda norma est, si adsit proportio inter id quod unusquisque socius apponit ex suo, et lucrum cui participat. Videndum scilicet quid (sive in capitali, sive in solo usufructu, sive in opera et industria, sive in expensis, sive in periculo iacturis antistandi etc.) apponat unus, et quid apponat alter. Si singuli apponant aequaliter vel aequipollenter, tunc contractus erit iustus, si de lucris quoque participare debeant aequaliter. Si vero unus plus et alter minus apponat, tunc in proportione ille plus et iste minus de lucris participare debebit. Lugo (*XXX.* 10).

Attamen circa hanc secundam normam notanda sunt sequentia:

I. Valet solum in defectu primae; interdum enim, sub pacto dividendi lucrum aequaliter, multo plus prima fronte apponere videtur unus quam alter, et nihilominus contractus, qui videri posset iniquissimus et talis reapse alibi esset, in loco summa omnium tranquillitate iustus censetur et est. Ratio autem (saepe recondita) pendet a diversitate circumstantiarum, ut puta, si adessent compensationes, vel si labor et industria minus valeret in uno loco quam in alio etc.

II. Quando praxis communis rem non definierit, tunc quanti valoris sint opera, industria, periculum etc., difficile et nonnisi valde grosso modo aestimari poterit. Hinc in tali casu practice aequalitas et iustitia magnam latitudinem facile habebit; et sic (nisi aperte constaret, terminos omnes transgressos fuisse) conventioni standum erit. Lugo (*l. c.* 13).

III. In hoc contractu multum admisceri solet alea, et bene contingere potest quod opera, industria, expensae, pericula etc. actu contractus iure aestimentur aequalia, quia ut plurimum sic circiter esse solent; de facto autem postea inaequalia evadant. Inaequalitas ista subsequens (de qua ab initio non constabat) profecto iustitiae et firmitati contractus minime obstat; quae enim in casu fuerunt, v. g., maiora, potuissent esse minora. Lugo (*l. c.* 27).

IV. Etsi contractus esset iniustus ex uno latere, posset esse iustus propter compensationes quae ex alio latere in contractu ipso statuerentur (ut supra innuebam). Imo aliquando intervenire possent compensationes ob circumstantias non expressas, vel etiam contractui ipsi prorsus extraneas; ut puta, si dominus fundi, in contractu societatis animalium, colonum suum plus aequo gravaret, sed interim pro fundo pensionem iusto minorem ab illo exigeret.

V. Recolendum est denique quod defectus aequalitatis ex libera et spontanea donatione seu liberalitate legitimari potest, ut supra dicebam (*n.* 3531).

3534. *Quaenam sunt obligationes sociorum?* 1° Praestare ea omnia ad quae se obligarunt: 2° Non abuti rebus aut nomine societatis: 3° Conferre ea omnia quae divisioni subiici debent 4° Remanere in societate toto tempore debito: 5° Rationes reddere.

3535. *Quaenam socii praestare tenentur et quomodo?* Hoc pendet ex natura societatis et pactis particularibus. Aliquando res, aliquando pecuniam, et aliquando operam industriamve suam praestare debent. Quoad *res* (v. g. machinas, aedificia, animalia etc.), notandum quod iis praestitis tenerentur de evictione. Quoad *pecuniam*; si socius statuto tempore eam non solveret, teneretur de fructibus a tempore morae persolvendis, imo ad plus si ad damna reparanda plus exigeretur. Quoad *operam* vel *industriam*, socii ad illam tenentur diligenter et more boni patris familias; severius autem si pro tali vel tali negotio specialem mercedem (quasi in ea parte extranei essent) reciperent. Operam autem vel industriam adhibere debent personaliter; nec possunt (consociis invitis) alium sibi substituere. An socius, qui res sociales sub sua administratione et cura habet, si forte necesse foret expensas sustinere ad illas eripiendas a periculo (v. g. incendio naufragio, morbo etc.), neque ad hoc pecuniam societatis in promptu haberet, teneatur illam suppeditare de proprio, et quasi mutuare societati, ut postea id totum repetat? Affirmative; debet enim ex iustitia ita se gerere quoad res sociales suae

curae commissas, sicut se gereret in rebus propriis; secus contra debitam administrationem delinqueret. Excipe si hoc nimis grave illi foret, ut puta, si prudenter timeret, fore ut sumptus non modicos ex suo faciendos socii postea solvere renuant, nec repeti ab eis efficaciter et sat facile possint.

3536. *Quid de abusu rerum aut nominis societatis?* Casus esset v. g. si socius nomine societatis uteretur ad obtinendam pecuniam mutuam ad propriam utilitatem; aut ex capsa sociali pecuniam sumeret pro se (quo casu ad interesse legale quoque solvendum teneretur); aut rebus socialibus (v. g equis, bobus etc.) contra consuetudinem et voluntatem consociorum, in suum commodum, vel ad lucrum clandestine sibi procurandum uteretur, aut si pecuniam societatis in donationibus, vel (prout facile contingere solet in societate fraterna) in ludis vel crapulis impenderet, aut quovis alio modo prodigeret.

3537. *Quid de conferendis iis omnibus, quae divisioni subiici debent?* Hoc in puncto delinqueret socius, si aliquid non adhuc divisum (seclusa ratione iustae compensationis) absconderet et clandestine sibi applicaret; aut mendaciter diceret ex venditionibus minus fuisse receptum, expensas et iacturas fuisse maiores etc. Res plana est; attamen ex legibus nostris (praeter alia) notandum quod si socius a debitore erga societatem recepisset suam portionem totam, quae ex tali debito sibi competeret, et postea idem debitor evaderet insolvibilis erga alios socios, tunc dictam portionem receptam in divisione conferre deberet.

3538. *Quandonam recessus a societate esset indebitus?* Distinguendum est inter societatem ad tempus determinatum, et ad tempus indeterminatum. Si sit ad tempus expresse vel implicite determinatum, termino non advento et sociis invitis, recessus erit indebitus atque iniustus, nisi causae arbitrio iudicis vere legitimae recedentem excusarent. Casum habes si ipse ex morbo habituali incapax redderetur, vel si pacta ei non servarentur etc. (A. 1735). Si vero societas esset ad tempus indeterminatum (et idem dicendum si foret ad vitam); tunc socius recedere poterit quando voluerit, sub tribus conditionibus; dummodo scilicet 1° recessum suum sociis omnibus significet; 2° non recedat malitiose; 3° non recedat intempestive (A. 1733. 1708). Recederet malitiose, si id faceret ad applicandum sibi lucrum quod socii in communi obtinere proposuissent, ut puta, si societas emptionem lucrosam exequi statuisset, et socius recederet ut ipse emeret, alii vero emere non possent. Intempestive recederet si aliquod negotium (v. g. aedificium) incoeptum

fuisset, et recessus negotii ipsius prosecutionem cum societatis damno impediret. (A. 1734)

3539. *Quid de redditione rationis?* In societatibus fere omnibus sive expresse sive tacite rationem reddendi (suo tempore) contrahitur obligatio ex iustitia. Hoc enim sociis quam maxime interest, atque ad fraudes, negligentias et obliviones praecavendas omnino necessarium est. Rationes autem reddere debent non solum administratores, sed (iuxta modum societatis) etiam socii, pro parte scilicet quae ipsis commissa fuisset.

3540. *Quid si socius obligationibus suis non satisfecisset?* Ad restitutionem non solum pro damno emergenti, sed etiam pro lucro cessante (si nempe societas hac de causa minus lucrata fuisset) teneretur.

3541. *Quid de obligationibus sociorum erga tertios societati extraneos, qui contra societatem iura vel credita habeant?* In societate civili quilibet socius tenetur non in solidum, sed tantummodo pro sua parte; ita tamen ut (praescindendo a pacto speciali) creditor ius habeat singulos socios taxandi aequaliter (ita disponente lege civili) etsi forte ipsi portiones inaequales a societate habere deberent (A. 1726. 1727). Ut autem socii erga extraneum creditorem teneantur, oportet ut qui nomine societatis debitum contraxit, mandatum et auctoritatem illud contrahendi habuerit, vel ut creditor probare possit rem in societatis utilitatem versam fuisse. (A. 1729). In societate autem commerciali socii teneri possunt in solidum; sed de re ista consulendus est codex commercii.

3542. *Quibus modis finire potest societas?* 1° Consensu omnium sociorum; 2° Adveniente termino statuto (intellige nisi fiat prorogatio); 3° Finito negotio pro quo unice inita fuisset; 4° Morte vel interdictione, vel decoctione (it. *fallimento*), vel recessu unius ex sociis, vel decoctione ipsius societatis; 5° Interitu rei. Sed aliqua ex istis sunt explicanda.

3543. *Quid notandum circa mortem, decoctionem, vel recessum unius ex sociis?* Tunc societas (si sit civilis) cessat quidem, sed sub tribus limitationibus. Prima est si ex pacto vel statuto speciali societas continuari deberet cum haerede, vel cum sociis superstitibus aut aliis substituendis (A. 1732). Secunda est si societatis abruptio statim fieri nequiret, et aliqua dilatio necessaria esset, ut puta, si societas pro colonia inita fuisset et annus agrarius completus non esset etc. Tertia est si socius defunctus cum solo capitali concurreret, et hoc, non obstante eius morte, in societate remanere deberet. Dixi societatem

cessare, *si sit civilis*; societates commerciales enim specialibus regulis hoc etiam in puncto subiacent, ut videre est in Cod. Comm. (A. 166).

3544. *Quid notandum circa interitum rei?* Imprimis societas ex hoc capite non dissolvitur si contractus ita celebratus fuisset ut, re pereunte, alia substitui deberet. Praescindendo ab hoc casu, societas dissolvitur 1° Si id, quod fundum communem efformabat, pereat, sive totaliter, sive ita ut quod superest ad societatis finem non amplius deserviat. 2° Si id quod ab aliquo socio praestari debuisset, antequam societati traderetur, periisset. 3° Dissolvi posset etiam si res periisset post traditionem; sed tunc non semper, ut videre est in *Praxi* (n. 2459).

3545. *Quid est divisio?* Est determinatio partis, quae, in fine societatis, aut dum rationes statutis epochis redduntur, ad singulos socios spectat.

3546. *Quo modo fieri debet divisio ut iusta sit?* Oportet 1° ut socii (ut supra dicebam) nihil abscondant, atque insuper, si forte societati damna attulerint, compensationem in massa communi ponant. Oportet 2° ut definitivum societatis capitale, quod lucris compraehensis aderit, appareat purum ab omnibus expensis et refactionibus damnorum quae a societate in communi reparari debeant. Oportet denique 3° ut, iuxta pacta iuste iam conventa, vel (iis deficientibus) iuxta regulas in loco consuetas, vel (his quoque deficientibus) in proportione partis a sociis positae, divisio fiat. Suborta controversia, socii poterunt se remittere arbitrio alicuius (sive extranei, sive etiam consocii A. 1718). Iusta erit quoque divisio, si socii ipsi, ignorando quid iustum sit, aleae se committant, et pacifice inter sese conveniant.

B.

Exponuntur aliqua in particulari circa societatem fraternam.

3547. *Quaenam praecipue notanda sunt circa societatem fraternam?*

I. Talis dicitur non solum quae inter fratres (mortuo patre), sed etiam quae inter alios eiusdem familiae individuos (v. g. cum patruis, consobrinis, cognatis, etc.) initur. Ut plurimum est tacita.

II. Interdum est solius mensae et habitationis. Interdum respicit solum aliquod negotium. Interdum est universalis omnium

quaestuum. Interdum denique (saltem de facto et quoad praeteritum) est universalissima. (Recole dicta *n.* 3529).

III. In huiusmodi societatibus, propter mutuum amorem, specialissimo modo admisceri solet liberalitas; neque fratres respiciunt differentias sive praesentes, sive in posterum secuturas; salvo solum iure recedendi a societate quando voluerint; atque ita ut tunc, quomodocumque res processerint, aequaliter dividere debeant. Hinc

IV. In societate mensae et habitationis non attenditur si aliquis numerosiorem familiam habeat, aut famulos (utique in communi manducantes) teneat, aut amicos ad mensam invitet. Intellige moderate, et nisi alii reclament.

V. Societas universalis quaestuum inita intelligitur si fratres non tantum haereditatem parentum indivisam habuerint, sed etiam lucra omnia et damna communicaverint, nec a se invicem rationem unquam exegerint. (*Adnot. A.* 679 *n.* 7).

VI. In huiusmodi societate non includitur ius donandi; bene vero unusquisque ius habet providendi familiae suae ex bonis communibus non solum quoad victum et vestitum, sed etiam propter educationem, dummodo expensae sint statui et conditioni proportionatae.

VII. Dotes, quae filiabus dantur, constitutio patrimonii ecclesiastici, aliaque similia, quae paternae haereditatis partialis anticipatio considerentur, non ad societatem, sed ad patrem spectant; et proinde (contingente societatis divisione) ex portione patris subtrahendae erunt. Excipe nisi ex pacto expresso vel ex specialibus coniecturis arguendum esset, fratres consensisse ut haec omnia a societate suppeditarentur, et ex bonis communibus absolute sumerentur. Cf. Praxis (*n.* 2465 *III*).

C.

De societatibus circa animalia bovina.

NB. Haec nimis minuta videri possent, sed pro praxi (speciatim ruri atque ad normam confessariorum) necessarium est ut pertractentur.

3548. *Quid de societatibus et similibus aliis contractibus circa huiusmodi animalia?* Videndum an contractus fiat cum colono, qui animalibus (saltem magna ex parte) utitur ad colendum fundum (it. *bestie da lavoro*); an vero agatur solum de animalibus mere alendis ut crescant vel saginentur (it. *bestie da guazzo, da scarto, da guadagno*), prout sunt vituli, vaccae lactariae, et boves saginandi et lanioni vendendi.

3549. *Quid de primo casu, si nempe animalia ad colendum fundum deservire debeant?*

I. Imprimis colonus in quovis casu ius habet ut dominus fundi ei non solum stabulum, sed etiam (ut innui *n.* 3494) ei suppeditet 1° quamdam terrae partem, in qua pro alendis animalibus herba seratur (attamen iuxta quamdam proportionem tantum); 2° stramen vel quid simile pro ipsorum animalium lecto; ita tamen ut colonus pretium tertiae partis solvere teneatur, si forte non ex fundo colligeretur, sed emi deberet. Dominus fundi autem (pariter in quovis casu) ius habet, ut totum stercus pro fundo insumatur, neque alibi asportetur. His praemissis:

II. Videndum an animalium proprietas sit tota coloni; vel sit communis (it. *a metà*) cum domino fundi, aut cum tertia persona; vel sit tota domini fundi, aut tertiae personae. Apud nos autem regulae particulares pro iustitia contractus sunt sequentes:

3550. Si animalium proprietas sit tota coloni; tunc eiusdem erit etiam lucrum totum, et, praeter mox dicta, nihil notandum superest.

3551. Si proprietas sit communis, tunc lucra et damna omnia atque expensae omnes aequaliter dividuntur. Quia tamen (dum dominus nihil facit) colonus multam operam praestat, ad animalia ipsa alenda et custodienda etc.; iustitia vult ut de hoc compensetur, quod fit nihil exigendo ab illo pro usu seu labore animalium (dummodo tamen illis utatur solum pro fundo), et relinquendo ei lac; quae omnia dicuntur iuvamentum (it. *giovatico*). Nihil autem refert sive cum domino fundi sive cum tertia persona colonus animalium proprietatem communem habeat.

3552. Si denique proprietas sit tota domini fundi (vel tertiae personae); tunc colonus dividit lucrum atque iacturam, quin tamen damnum mortis alicuius animalis (sine eius culpa secutae) subire debeat. Pro labore autem et lacte animalium, debet dominum compensare, proportionatam (iuxta numerum animalium et loci consuetudinem) tritici quantitatem ei solvendo; et hoc italice dicitur *pagare il giovatico*. Dixi quod colonus damnum mortis alicuius animalis non subit; sed hoc verum non esset si ageretur de vitulo qui unum et idem cum matre consideraretur nec adhuc aestimatus fuisset; mater enim, quae sic sine vitulo remaneret, utique minus valeret, et haec iactura in communi sustineri deberet. Caeterum, praescindendo ab huiusmodi vitulis, si animalis mors accidat, colonus perdit quidem lucrum (perinde ac si animal, cui infortunium istud accidit, nunquam ei traditum fuisset), sed

nullum aliud damnum subit. Quod autem dicitur de morte, intelligitur etiam de casu, in quo aliquod animal venditum fuisset, sed (emptore decocto) pretium vel magna pars pretii, recipi non potuisset.

Quoad divisionem lucri vel iacturae, notari debet quod prius computandae sunt expensae, quae sunt 1° tributa, quae forte pro animalibus solvi debeant; 2° mercedes proxenetarum in emptionibus et venditionibus; 3° pretium foeni, quod forte emi debuerit; 4° expensae in medicinis, veterinario, et pro tauro.

3553. *Quid de secundo casu, si nempe agatur de animalibus mere alendis, ut crescant vel saginentur, et quorum proprietas est tota domini fundi aut tertiae personae?* Valent dicta n.° praecedenti cum tribus exceptionibus; scilicet 1° Socius, cui animalia tradita fuerunt (it. *casante*) pro stramine (secus ac dictum fuit *n.* 3549. *I.*) nihil solvit; 2° Lac dividitur; 3° Quum in hoc casu animalia non laborent, socius pro iuvamento nihil pariter solvit.

D.

De societatibus circa animalia ovina.

3554. Distinguendum est inter greges (ut plurimum parvos) qui tenentur a colonis et pascuntur toto anno in fundo quem ipsi colunt; et greges (ut plurimum magnos) qui, a mense augusti usque ad mensem maii, ad hyemandum (it. *da svernare*) traduntur pastoribus, qui huc et illuc ad valles pergunt, ubi pascua quaerunt et prouti possunt gregem sustentant.

3555. *Quid de primo casu; quid scilicet si colonus habeat et teneat toto anno parvum gregem in fundo quem colit?* Videndum an proprietas sit communis inter colonum et dominum fundi (it. *alla metà*); vel sit tota domini fundi; vel sit tota coloni; vel sit tota tertii; vel sit partim tertii et partim coloni.

3556. I. Si grex sit communis inter colonum et dominum fundi; tunc inter ipsos quoque omnia, scilicet lucra, tributa, expensae, iacturae (morte etiam ovium comprehensa), communia sunt; et stercus pro fundo totum insumendum est. Quia autem colonus custodiam et operam suam praestat, pro hac differentia compensationem aequam aliquo modo habere debet, quae ut plurimum in praestatione lignorum pro igne atque cuiusdam quantitatis vini consistit.

3557. II. Si grex sit totus domini fundi; tunc contractus iuste

peragi solet duobus modis: 1° si colonus habeat tertiam partem lucri et mors ovium damno domini ex toto sit; 2° si colonus habeat medietatem lucri; sed ita ut, si forte oves aliquae moriantur, huius iacturae medietatem subire debeat.

3558. III. Si grex sit totus coloni; tunc dominus fundi (praeter stercus insumendum ut supra) medietatem casei dumtaxat habere debet.

3559. IV. Si denique grex sit totus tertii, vel medietas sit tertii et medietas coloni; tunc ius domini fundi est semper prout n.° praecedenti; tertius autem, qui vel ovium omnium vel medietatis earum dominus est, contractum facit (ut plurimum) cum assecuratione capitalis (quod ipse tradit) aestimati, annuatim libellam unam (Fr. 1) pro quavis ove, aut (quod in idem recidit) circiter 6 p. °/₀, exigendo.

3560. Notandum quod in omnibus praedictis casibus, si stramen pro ovium lecto emi deberet, colonus ad tertiam partem huius expensae teneretur.

3561. *Quid de secundo casu; quid scilicet si pastori grex ad hyemandum* (*ut dixi n.* 3554) *tradatur?* In hoc casu contractus absque laesione iustitiae quatuor modis fieri solet:

I. Dominus gregis dat oves pastori tamquam mero famulo seu mercenario; qui proinde consuetam mercedem recipit, et de caetero neque lucris gaudet, neque iacturis et damnis subiicitur.

II. Dominus gregis, impresso signo in vellere vel aure uniuscuiusque ovis, gregem ipsum consignat pastori cum pacto, ut ille pro unaquaque ove (fructifera) ei tradat libellam unam cum dimidio (Fr. 1,50), et de caetero lucra omnia habeat, expensas omnes sustineat; sed ovium morti antistare non debeat; restituendo oves superstites, et mortuarum vellera (signata, ut dixi).

III. Dominus gregis (semper impresso dicto signo) tradit oves pastori cum pacto ut ille expensas omnes sustineat; morti tamen antistare non debeat; lanam, caseum, agnos aliosque proventus habeat; sed non agnas; quas, simul cum ovibus superstitibus et velleribus mortuarum, ei restituere debebit.

IV. Dominus gregis tradit pastori gregem aestimatum cum pacto assecurationis, circiter ut supra (*n.* 3559).

3562. *Quid de contractu pastorum hyemantium cum illis colonis, in quorum domibus se collocant?* Contractus iuste peragi solet sequenti modo:

Pastor recipit habitationem pro se et familia (si illam habeat) et stabulum stramine provisum pro lecto ovium. Recipit insuper modicam quantitatem vini pro potu et lignorum pro igne sibi

necessario. Recipit praeterea, tempore quo oves dormiunt in agro, duos centesimos pro unaquaque ove; tempore autem quo (propter nivem vel pluviam) dormiunt in stabulo, mensuram frumenti valoris circiter septem libellarum (*Fr.* 7) singulis mensibus, si habeat centum oves; minus autem si grex sit minor, et plus si maior (in proportione). Pro his omnibus dat stercus ovium; se obligat scilicet ut oves sive in stabulo sive in agro (ut supra) noctibus omnibus dormiant.

E.

De contractu societatis circa animalia suina.

3563. I. Apud nos contractus coloniae ita peragi solet, ut colonus teneat sues de proprio; unde dominus fundi tribuit colono facultatem utendi herba, cucurbitis et glandibus fundi, quin dominus ipse, praeter stercus (in fundo insumendum), ex suibus ullam aliam utilitatem recipiat. Colonis autem valde interesse solet, ut sues de proprio teneant; sic enim (sciendo quod cum nemine lucrum dividendum sit) animose ad illos bene alendos et valde saginandos incumbunt, atque ita sensim sine sensu, quasi ad modum loculi (it. *salvadenaro*), medium sibi comparant tributum (vulgo *regalie*) in fine anni domino solvendi, et propriis necessitatibus prospiciendi. Etsi autem hac in re dominus damnum pati videatur, damnum istud ex aliis pactis magis domino quam colono favorabilibus (iuxta loci consuetudinem) compensatur. Hinc fit ut, si dominus sues ad medietatem tenere vellet, iniustus esset; neque ab iniustitiae labe purgari posset, nisi alia pacta leviora redderet.

3564. II. Si vero sues teneantur non a colono, sed ab alio socio, qui solum in parte fundum colit et apud nos dicitur *casante;* tunc contractus societatis iustus censetur, si sequenti modo peragatur. Dominus emit sues parvulos de proprio, eosque praedicto socio consignat. Socius eos alit ex herba, cucurbitis et glandibus fundi, et cum aliquibus rebus propriis, usquedum circa mensem novembris incipiatur saginatio, cuius expensas socius ex toto sustinet. Sues saginati venduntur, et pretium inter dominum et socium aequaliter dividitur. Sic itaque dominus confert expensas emptionis et fere medietatem alimentorum usque ad initium saginationis; socius autem confert expensas saginationis, partem alimentorum ante sagitationem, et denique custodiam operamque suam. In hoc itaque contractu facile perspicitur quod

aliquando iniustitia sive a parte domini sive a parte socii intervenire posset. Interveniret a parte domini si sues valde parvulos emisset et saginationem magnam (quin ad illam concurreret) praetenderet. Interveniret a parte socii, sive quia sues plus aequo grandiores exigeret, sive quia nimis cito illos vendere vellet. Decisio autem a consuetudine locali (quae tranquilla sit) pendebit.

F.

De contractu societatis quoad bombyces et apes.

3565. 1° *Quoad bombyces;* quum in cultura bombycum multum conferat qui operam praestat, multum etiam conferre debet alter qui bombyces colendos tradit. Apud nos contractus iste iuste celebrari censetur sequenti modo. Dominus suppeditat totum semen (aut saltem medietatem): suppeditat insuper folia ex toto. Cultor suam operam (ad folia colligenda atque ad bombyces alendos) et instrumenta praestat. Quod autem ex venditione folliculorum recipitur, ad medietatem dividitur. In locis tamen ubi (secus ac apud nos) folia mororum domino fundi non reservantur et remanent in communi inter dominum fundi et colonum, iustum esse potest ut in pactis coloniae hoc quoque ponatur, ut colonus bombyces tenere debeat, dictis foliis utendo, atque in fine quod ex venditione recipietur aequaliter dividatur.

3566. *Quoad apes*, contractus iuste celebratur si quis examen apum colono vel cuilibet alteri emat vel consignet, sub pacto ut fructus illius ad medietatem dividantur; et mel et cera, quae in dicto primo examine aderat, sibi restituatur.

PUNCTUM II.

De contractibus gratuitis.

Contractus gratuiti (vel qui solent esse gratuiti) sunt speciatim 1. Promissio: 2. Donatio: 3. Commodatum: 4. Precarium: 5. Depositum: 6. Sequestrum: 7. Mandatum: 8. Secretum: 9. Utilis negotiorum gestio.

§ I.

De promissione.

3567. *Quid est promissio?* Promissio contingit quando quis alteri significat, ad aliquid in futurum praestandum seipsum obligare erga illum.

Primus *promittens*, secundus *promissarius* appellatur.

3568. *Quotuplex esse potest promissio?* 1° *Personalis* vel *realis*, secundum quod promittens principaliter se ipsum (scil. actionem suam), vel principaliter res suas obligat. 2° *Vera* vel *ficta*. 3° *Absoluta* vel *conditionata*. 4° *Onerosa* (scil. in contractu oneroso) vel *gratuita* (seu *liberalis*). Heic agitur solum de gratuita.

3569. *Quomodo promissio distinguitur a voto. a donatione et a proposito?* Distinguitur 1° a voto, quia votum fit Deo, et promissio homini; 2° a donatione, quia donans transfert in alium rei suae dominium; non item promittens; 3° a proposito; quia ex proposito (etsi alteri manifestato) nulla oritur obligatio, et in ipso nullus (nisi inconstantiae vel levitatis) defectus adest; promittens autem se obligare intendit aut saltem significat, ut dixi (Intellige quod. si significet tantummodo, promissio erit ficta).

3570. *Quaenam expressiones significant quod, non de simplici proposito, sed de promissione agitur?* Expressiones huiusmodi sunt, v. g.: *promitto*, *me obligo, verbum do*, *in fide mea*, *te tutum reddo, fidem habe in me*, *habeas me pro perfido, pro infami etc, nisi id faciam etc.* E contra (nisi ex antecedentibus vel consequentibus aliud intelligi debeat) expressiones *faciam*, *veniam*, *dabo* etc. solam voluntatem praesentem, solumque propositum significant (*Lugo XXIII.* 1).

3571. *Qua virtute promissio obligat?*

Certe obligat *ex fidelitate*, promittens enim petit fiduciam, ut scilicet promissarius de promissionis executione fidat et tutus remaneat; unde si promittens illam non exequeretur, turpitudinem quamdam personalem mendacio similem (quae infidelitas appellatur) contraheret. Dixi *similem mendacio*; sicut enim (propter necessitatem confidentiae in commercio humano) turpe est mentiri (scilicet dicta menti non conformare); ita turpe est etiam promissa non servare (scilicet facta dictis non conformare); non minus enim illud quam istud confidentiam impedit et humano commercio obest.

Sed obligare potest etiam *ex iustitia*, quatenus promissarius ad rem vel ad actionem ei promissam ius strictum acquirat, et consequenter promittens, qui non servet promissionem, ad damnorum reparationem teneatur. Cf. Praxis (n. 2023).

Denique obligare posset etiam *ex religione*, si nempe promissioni iuramentum aut votum superadderetur.

Difficultas est in distinguendo quando ex iustitia et quando ex sola fidelitate promissio obliget.

3572. *Quinam itaque sunt casus, in quibus promissio non solum ex fidelitate sed etiam ex iustitia obligat?* Sunt sequentes: 1° In contractibus onerosis, si iusti sint (sed in hoc casu de promissione gratuita, de qua hic loquimur, non ageretur); 2° Si promissio fuerit solemniter celebrata coram testibus, vel ope publici notarii; 3° Si datum fuerit chirographum obligationis rite subscriptum, quod in perfectae obligationis signum dari solet (non semper vero sufficeret epistola familiaris); 4° Si utcumque pateat quod promittens se sub gravi obligare intenderet; quia (ut ait Lugo *XXIII.* 93) obligatio gravis non aliunde oriri potest, quam ex iure stricto dato; sola fidelitas enim per se sub levi obligat. Iuxta hanc ultimam regulam concludendum esse videretur, quod obligatio ex iustitia aderit saltem toties quoties agatur de re adeo momentosa, ut promittens bene perspicere debeat quod, si promissionem non servaret, promissarius non solum privaretur utilitate rei promissae, sed etiam gravibus damnis vel angustiis exponeretur. Exemplum habes in medico, qui fidem dedisset de invisendo infirmo pro casu urgenti, dum interim alii medici non fuerunt vocati, et maxime si non amplius vocari possent. Idem dic de acceptantibus mandata quaelibet, quorum executio valde intersit. Idem dic de promissione servandi secretum commissum aut valde necessarium; vel si quis promisisset expensas sustinere pro educatione filii in collegio, et, postquam eius pater in collegio ipso illum tenuerit, promissionem servare renueret. Dicunt denique 5° promissionem obligare ex iustitia si iuramento (non iniuriose extorto) firmata fuerit.

3573. *Quid si verba quidem promissionem exprimerent, sed promittens animum vere promittendi et se obligandi non habuisset?*

De promissione ficta quidem, sed ita ut ex ioco, aut (iusta de causa) cum restrictione externa, facta fuerit, nulla quaestio esse potest. Si autem seria appareret, neque restrictione excusaretur; tunc videndum an cum culpa, an vero sine culpa fictio acciderit.

Si fictio accidisset cum culpa; tunc Lugo docet quod promissio obligaret ex fidelitate (propter bonum humani commercii), et quod proinde in promissione ficta non adimpleta duplex reatus (ex ipsa rei natura) necessario interveniret; scilicet 1° mendacium; 2° infidelitas. De hoc, meo sensu, dubitari nequit. Sed idem Auctor subiungit quod ex tali promissione nunquam oriri posset obligatio iustitiae ad rem promissam praestandam;

et proinde ex iustitia reparari non deberent damna, si forte ex promissione non servata sequerentur. Rationem adducit quia ficte promittens non habet intentionem transferendi ius ad rem vel ad actionem suam in promissarium; qui ideo (si promissio non servatur) in iure suo (eo quod illud non acquisiverit) minime laederetur. Idque confirmat exemplo matrimonii ficte contracti, quo super corpus ficte contrahentis ius non acquiritur. Sed doctrina ista mihi clara non est. Ius enim transfundi potest in alium non solum voluntate contrahentis, sed etiam vi legis; et aliunde contra sensum communem esse videtur quod quis ius non acquirat ex contractibus iuxta formas, quae a legibus pro validitate idoneae recognoscuntur, celebratis, ea sola de causa quod contrahens opponat se dolose et inique consensum non apposuisse, et consulto alium decepisse. Si autem contrahens ius acquisivit, eccur non laedetur in iure suo, si contractus servari nolit? Nonne semper dictum est quod verba ligant homines? Exemplum vero matrimonii non videtur efficax: quum enim inter nolentes matrimonium (quod est sacramentum) subsistere nequeat, in illo lex consensum supplere non potest. Excepto itaque matrimonio, ego (ut innui supra *n.* 3278) dicerem quod ficte contrahens (nisi a comparte liberetur) praestare debet consensum quod non praestitit; quod si non faciat, subintrat lex naturalis, quae dicit: si ius non das tu, illud do ego. Aliis verbis: Obligatio iustitiae quando adesset stante consensu vero, aderit etiam stante consensu doloso et ficto.

Si autem fictio accidisset sine culpa (eo quod, v. g., ex distractione vel ex inadvertentia ad valorem verborum, vel in statu ebrietatis, vel in statu dementiae extra lucida intervalla etc, facta fuisset); tunc de actu humano non ageretur; et proinde nulla obligatio oriri posset: nisi forte (si quid opinor) per accidens, si nempe promissarius (eo quod distractio vel inadvertentia neque probari neque supponi posset) ius acquisivisset.

3574. *Quid in dubio de existentia vel natura promissionis?* Imprimis praesumi debet quod verba in sensu proprio et ordinario prolata fuerint, nisi aliquid vere grave in contrarium adsit. Caeterum si, omnibus perpensis, res vere dubia remaneret; tunc in dubio de existentia promissionis standum erit pro libertate; in dubio autem de natura promissionis ipsius, pro obligatione ex sola fidelitate stari poterit. Lugo (*XXII.* 63).

3575. *Promissio, etsi non ficta sed sincera, possetne esse illicita, vel etiam iniusta?* Utique; idque contingeret, v. g., si ex fine pravo fieret, vel si esset prodiga, vel si foret imprudens.

et multo magis si cum praevisione damnorum promitterentur ea quae postea adimpleri non poterunt, aut promissarius tutus redderetur, etsi res promissa valde dubiae executionis foret. Lugo (*XXIII*. 117).

3576. *Quid exigitur ut promissio sit valida?* Aliqua exiguntur 1° a parte rei promissae; 2° a parte promittentis; 3° a parte promissarii.

3577. *Quid exigitur a parte rei promissae?* Oportet ut res promissa sit 1° possibilis; 2° licita. Si tamen esset quidem impossibilis vel illicita, sed solum in parte; bene contingere potest quod pro parte possibili et licita valeat et obliget. Idem dic si hic et nunc quidem impossibilis vel illicita esset, sed infra aliquod tempus possibilis et licita evasura foret. Cf. *n*. 2787.

3578. *Quid speciatim notandum circa rei promissae liceitatem?* Quod ad rem illicitam nemo obligari possit, per se manifestum est. Distinguendum est tamen inter illiceitatem rei promissae, et illiceitatem solius promissionis; interdum enim res promissa seu executio promissionis potest esse licita, etsi promissio fuisset illicita; unde quis male quidem faciat promittendo; sed, promissione facta, illam servare debeat. Id contingere posset, v. g., in promissione prodiga, si nempe prodigalitatis vitium, intuitu promissionis iam factae atque attentis circumstantiis, non amplius considerandum esset; et maxime si ius promissarii (eo quod, v. g., obligatio ope chirographi facta fuisset) iam manifeste praevaleret. Lugo (*XXIII*. 113). Aliud exemplum haberi potest in promissione facta ob turpem causam, iuxta dicta (*n*. 3293).

3579. *Quid de promissione facti alieni?* Qui factum alienum promittit, ad aliquid se obligat sine dubio. Sed ad quid? Certe ad factum ipsum procurandum; idque, pro rei gravitate, non leviter, sed serio et (quantum moraliter fieri poterit) efficaciter. Attamen, si promissio hoc solo sensu intelligi deberet, et ageretur de rebus non facile obtinendis, qui procurare promisit et non procuravit teneretur quidem ad damna reparanda, sed solum pro rata spei quae aderat effectum obtinendi. At vero interdum huiusmodi promissionum sensus est, ut promittens quasi fideiussorem se constituat, et promissarium tutum omnino reddat; quod maxime verificatur in rebus commercialibus, aut si persona, de qua factum promittitur, esset famulus vel utcumque stricte dependens. Tunc autem obligatio sic promittentis censetur esse de damnis totaliter reparandis, si factum promissum non subsequatur (*Cod. civ. A*. 1129). Cf. Lugo (*XXIII*. 114-117).

3580. *Quid exigitur a parte* ***promittentis*** *ut, promittendo, valide et firmiter se obligare possit?* Exigitur 1° ut iure sit habilis ad obligationem contrahendam; 2° ut cum plena advertentia promiserit; 3° ut neque ex metu, neque ex dolo, neque ex errore promissionem fecerit. Sed haec sunt explicanda.

3581. *Quinam sunt inhabiles ad obligationem contrahendam?* Tales (praeter destitutos usu rationis) esse possunt minores, interdicti, mulieres coniugatae etc. iuxta dicta (*n.* 3077-3081). Adde Regulares post vota solemnia; administratores rerum ecclesiasticarum, quando superioris beneplacitum exigitur; christifideles quoad matrimonium in casu impedimenti etc.

3582. *Quid si persona inhabilis promissionem quidem faceret de re in qua est inhabilis, sed sub conditione quod prius obtineatur licentia vel dispensatio, ad quam petendam sive implicite sive explicite se obliget?*

Si non de promissione, sed de venditione, donatione etc. ageretur; tunc manifestum esset quod inhabilis ad vendendum, donandum etc. invalide prorsus venderet aut donaret, etsi adiecta conditione praedicta: licentia enim vel dispensatio respicit actionem futuram, non vero praeteritam. Dixi *licentia vel dispensatio*; si enim de ratificatione a Superiore obtinenda res esset; tunc casus speciem mutaret, ut per se patet.

Loquendo autem de promissione actionis futurae sub conditione dispensationis prius obtinendae; aut de venditione, donatione etc. sub conditione dictae ratificationis; iuxta sensum communem hi actus valent atque obligant non solum ad petendam dispensationem vel ratificationem; sed etiam, eâ obtentâ, ad conctractum celebrandum vel servandum; quod nisi fieret, improbitatis nota apud omnes contraheretur. Hinc scripsit Sanchez (*De Matr. V. v.* 12): « Institutio spurii facta sub conditione *si* « *princeps eum legitimaverit,* est valida iuxta communissimam « et verissimam sententiam.... Venditio rei feudalis valet, si « fiat sub conditione *si dominus feudi voluerit....* Votum Epi- « scopi transeundi ad religionem *si Pontifex dispensaverit,* va- « lidum est iuxta omnes... Quando est controversia de aliquo « beneficio, licitum est contendentibus pacisci de pensione con- « cedenda sub conditione *si Pontifex dispensaverit,* et pactum « vere obligat ».

Nihilominus Theologi et Canonistae, ubi agunt de sponsalibus celebratis sub conditione *si Papa dispensaverit*, non conveniunt. Sanchez (*l. c.*), Lugo (*XXIII.* 122), S. Lig. (*VI.* 859) Ballerini (*II.* 725. *a*) aliique innumeri censent, sponsalia quoque

ita contracta obligationem inducere petendi dispensationem, prout conventum fuit; eâque obtentâ, matrimonium celebrandi. Sed alii e contra docent, sponsalia huiusmodi esse prorsus invalida, nullamque inducere obligationem. Sanchez, etsi contra sentiat, ut dixi, tamen doctrinam istam tanquam vere probabilem habet (*l. c.* 5). De Luca (*XIV. II. De Matr. VII.* 4) eo usque processit ut dixerit: « Verior, magisque recepta est opinio, ut adeo « nulla sint (sponsalia), nullamque penitus obligationem, vel « alium effectum inducentia, ut etiam superventa dispensatio ea « non revalidet, nisi novus accedat simultaneus consensus, « ut plene discusso articulo firmatur per Rotam *decis.* 603. « *p.* 5 ». Haec doctrina defenditur apud Acta S. Sedis (*I. pag.* 121); et talis videtur esse quoque sententia S. C. Concilii (*l. c. pag.* 79). Quid igitur concludendum? Dicerem, principium generale esse verum, sed faciendam esse exceptionem circa sponsalia; non enim expedit ut dispensatio concedatur, quando alteruter ex sponsis, mutata voluntate, nullatenus, aut non libenter et quasi coacte (cum periculo ne nuptiae infelicem exitum sint habiturae) illam petiturus sit.

3583. *Quid de promissione facta sine plena advertentia, seu ex deliberatione imperfecta, quae sufficeret quidem ad peccatum veniale, sed non ad mortale?* Casus contingere potest speciatim in semiebriis, vel semifatuis et imbecillibus, vel pueris etc. Promissiones autem hoc modo factae non sunt validae, et neque ex iustitia neque ex fidelitate obligant. Homo enim in tali statu non est plene dominus suorum actuum, et proinde promissio magna ex parte esset actus non humanus. Lugo (*l c.*).

3584. *Quid si promissio in aestu alicuius passionis, aut magni fervoris facta fuisset?* Valeret, si homo in tali statu mortaliter peccandi capax extitisset, et cum plena cognitione obligationis promisisset; neque obstaret si postea promissionis factae statim eum poenituisset. Lugo (*l. c*).

3585. *Quid de promissione gratuita facta ex errore, dolo, vel metu?*

Quoad simplicem *errorem* vide dicta *n.* 3281; et nota in contractibus gratuitis hoc speciale esse quod, ad illos rescindendos, non exigitur ut error fuerit circa substantiam, sed sufficit si fuerit circa causam finalem seu motivum principale, aut circa aliquid aliud valde momentosum. Gratuito enim se obligans maiorem habet libertatem suam obligationem limitandi, et nemo censetur velle se obligare in huiusmodi, nisi quatenus dictum motivum vere subsistat, aut salvo errore notabili. Hoc

tamen non semper verum esset si falsitas, re promissa iam data, detegeretur. Lugo (*XXII.* 89).

Quoad *dolum*; adhuc facilius rescindi potest promissio, si a parte promissarii ipsius (vel eo complice) dolus provenisset; dolus enim (etsi levis) simplici errori aliquid superaddit. Lugo (*l. c.* 142).

Quoad *metum* recole n. 3280, ubi dixi ad rescindendam promissionem gratuitam sufficere posse etiam quod ex metu levi facta fuerit, dummodo metus dedisset causam contractui, atque a donatario (vel eo complice) inique incussus fuisset.

De promissione ex metu quidem facta, sed iuramento confirmata, vide dicta *n.* 3337 et Praxis (*n.* 1760 *et seqq.*).

3586. *Quid exigitur a parte* ***promissarii***, *ut promissio obliget?* Exigitur 1° ut ei fuerit communicata; 2° ut illam acceptaverit; 3° ut illius executionem rationabiliter exigere possit. Sed haec etiam sunt explicanda.

3587. *Quid notandum circa promissionis communicationem?*

Oportet ut communicatio fuerit a promittente (sive oretenus, sive per epistolam, sive per nuntium etc.) ad promissarium directa, et reapse medio electo vel intento a promittente ipso ad illum pervenerit; neque sufficeret si promissarius prius alia via promissionis factae notitiam casu aliquo habere potuisset (*Lugo XXIII.* 70-73). Attamen in casu nuntii haec vera sunt si nuntius a promittente motu proprio vel ad instantiam alterius missus fuerit; si enim missus fuisset a promissario (ad petendam promissionem vel gratiam vel donationem etc.), tunc a momento annuentiae nuntio ipsi (qui in tali casu personam petentis repraesentat) communicatae, promissio vel gratia etc. perfecta censeretur. Lugo (*De Matr. III. XXVI.* 6).

3588. *Quid notandum circa promissionis acceptationem?* 1° Ut promissio sit perfecta, ut scilicet promissarius ius acquirat ad illius executionem, oportet ut illam acceptaverit; ex una parte enim hoc est commune cuilibet contractui, qui est duorum vel plurium consensus; et ex alia promittens intendit servare promissa sub conditione acceptationis; imo nullatenus posset cogere alium ad ius acquirendum, nisi ille ius ipsum acquirere consentiat (etsi interdum sufficiat consensus tutoris, Superioris etc. ut in casu promissionis factae puero, amenti etc.). Idque verum est, etsi ageretur de promissione ad causas pias, vel iurata (*Lugo l. c.* 42 50). (Inferes quod promissio a promissario non intellecta, aut tamquam ludicra habita, promittentem obligare nequit). 2° Promissio communicata ius dat ad acceptationem, nisi post communicationem et ante acce-

ptationem absque iniuria retractata fuisset; antequam enim contractus (sive onerosus sive gratuitus) mutuo consensu strictus fuerit, plus vel minus dari solet facultas resiliendi a tractationibus praeliminaribus. Dixi *absque iniuria*; interdum enim resilire non licet, et tunc unus ligatus et alter liber remanet. Practice decisio pendet ab intentione contrahentium atque a sensu communi iuxta circumstantias; et certe contrahens, qui promissionem vel oblationem facit, ligatus, etiam ante acceptationem alterius, remaneret, si ad deliberandum tale vel tale tempus ei reliquisset, dicendo, v. g., *vi stò in parola.* 3° Sufficit acceptatio tacita, si nempe promissarius non verbis sed factis se acceptasse ostenderet, ut puta, si re promissa uti inciperet. 4° Si promissio fieret promissario praesenti, et ille taceret, silentium ordinarie in rebus gratuitis haberi deberet pro acceptatione, quandoquidem *quis nisi mentis inops oblatum respuat aurum?* Dixi *ordinarie;* interdum enim silentium potius noncurantiam vel etiam spretum significare posset (*Lugo l. c.* 82). 5° Si promissarius responderet: *Fac prout vis*, vel *Si vis, accepto;* in primo casu (nisi constet de dicto simplicis urbanitatis) promittens liber remanet; in secundo autem promittens remanet obligatus si sit praesens et non contradicat; secus, si talem responsionem per epistolam reciperet (*Lugo l. c.* 61). 6° Si promissio facta fuisset ad absentem per epistolam, respondendi conditione non imposita, tunc sola acceptatio promissarii mentaliter facta ad perfectam illam reddendam sufficeret. Intellige si promittens de tali acceptatione praesumere debeat, prout in gratuitis ordinarie contingit (*Lugo l. c.* 63 64).

3589. *Cur dixisti quod ad promissionis validitatem oportet etiam ut promissarius illius executionem iure exigere possit?* Quia si ageretur de promissione facta in contractu iniusto, ut puta, si quis promisisset solvere usuras immodicas, vel pretium ultra rei valorem; tunc pro excessu (nisi in contractu donatio se immiscuisset) non valeret. Si tamen iuramento firmata fuisset, vide dicta (n. 3337).

3590. *Quid de promissionis retractatione totali vel partiali?* Invito promissario et seclusa iusta causa, promissio nec retractari nec mutari potest, si ab illo acceptata, vel (cum iure illam acceptandi, ut supra) ei communicata fuerit. Idque verum esset etiam quando promissio per epistolam vel nuntium communicata fuisset, et, antequam epistola vel nuntius ad promissarium pervenisset, retractatio facta fuisset mentaliter tantummodo, aut non tempestive nuntio ipsi innotuisset. Praxis (*n.* 2042).

3591. *Quid de gradu culpae in transgressione promissionis?* Si promissio sit gratuita, eiusdem transgressio totalis, maxime vero partialis, non facile incusanda erit de peccato mortali: ordinarie enim promittens liberaliter non censetur velle se obligare cum tanto rigore, et vicissim promissarius non praesumitur adeo rigide exigere quod sibi liberaliter promissum fuit. Hinc ordinarie ad grave peccatum constituendum exigitur materia valde maior quam in furto. Quod tamen non solum in totali, sed etiam in partiali transgressione promissionis gratuitae, culpa gravis vel etiam gravissima contingere possit, indubia res est, et materia quae esset gravis in furto, in transgressione quoque promissionis interdum gravis erit. Quid enim si ex una parte promissarius re promissa graviter vel gravissime (et quidem sine ulla imminutione vel procrastinatione) indigeret, et ex alia promittens plene tutum illum reddidisset, et graviter vel gravissime se obligare intendisset?

3592. *Quibus de causis obligatio promissionis cessat?* 1° Si promissarius iuri suo renuntiet. 2° Si res promissa evasisset inutilis vel noxia promissario. 3° Si evasisset illicita aut impossibilis (Videndum tamen ne forte talis evasisset solum ad tempus; atque insuper ne ex culpa promittentis id evenisset, quo casu ad damnorum reparationem teneri posset). 4° Si superveniret impedimentum aut notabilis circumstantiarum mutatio non praevisa. Ordinarie sufficit circumstantia, quae, si praevisa fuisset, promissio facta non fuisset. Sed non semper id sufficit; quamvis enim minores causae ad excusandum sufficiant in promissione gratuita quam in contractu oneroso; tamen, si ex promissione non servata magna aut maxima damna promissarius subiturus esset, bene contingere potest quod dicta circumstantia ad excusandum non sufficiat. Exemplum habes in medico, qui, promissione facta se conferendi statim ad aegrotum pro casu urgentissimo, ad illum se conferre nollet quia cuiusdam solatii occasio ei se obtulit, quam si praevidisset non promisisset.

Notandum quod in casu sufficientis excusationis, facile remanere posset obligatio admonendi tempestive promissarium, ut alio modo sibi consulat.

3593. *Quid si res uni promissa alteri promitteretur?*

1° Secunda promissio foret invalida (quia esset de re illicita), et servari deberet prima. Idque verum esset quamvis secunda iuramento confirmata fuisset, et prima ex sola fidelitate et solum sub levi servari debuisset. Videndum tamen, ne forte (spe-

ciatim si ex oblivione casus evenisset), non servando secundam, talia damna secutura essent, ut haec circumstantia sufficienter excusaret.

2° Si, post factam secundam promissionem, primus promissarius iuri suo renuntiaret, non ideo eadem secunda promissio valida evaderet. Excipe nisi secunda promissio sub conditione obtinendi dictam renuntiationem facta fuisset.

3594. *Quid si res uni promissa alteri daretur?* Tunc promissionis executio impossibilis redderetur; res enim uni promissa alteri invalide quidem promittitur, sed valide datur. Remanere tamen posset obligatio reparandi damna.

3595. *An promissionis acceptatae obligatio, mortuo promittente, ad illius haeredes transeat?* Quoad promissionem personalem, negative. Quoad realem affirmative. Realis autem esset si defunctus promisisset aliquid de rebus suis; illae enim ex tali promissione obligatae remansissent, et proinde non nisi cum eodem onere ad haeredes transire possent (*Lugo l. c.* 98-100). Excipe nisi ex coniecturis satis constaret intentionem fuisse promittentis ut per se ipsum, non vero per haeredes, promissio ad executionem deducenda esset.

3596. *An promittens teneatur exequi promissionem acceptatam, si, ante illius executionem, promissarius moriatur?* Promissiones gratuitae ordinarie fiunt intuitu promissarii, non vero eius haeredum (maxime si extranei forent). Mors itaque promissarii ordinarie promissionem annullat, aut constituit causam sufficientissimam ut promittens ab illa servanda excusetur. Si tamen facta fuisset potius intuitu familiae, tunc mortuo quoque promissario servanda foret.

3597. *Potestne qui rem gratuito promisit, illam dare si exinde fieret impotens ad solvenda alia debita contracta ex stricta iustitia?* Negant communiter cum S. Lig. (III 689). Vide dicta (*n.* 3235 *V*).

§ II.

De donatione.

Agendum est de donationis natura; et de requisitis, ut a parte solemnitatum, donantis, donatarii, rei donatae, conditionum appositarum, determinationis temporis et substitutionum, donationis validitati et firmitati nihil obstet. Item de revocatione donationis ob causas supervenientes. Denique de collatione donationum receptarum in divisione haereditatis.

A.

De natura donationis.

3598. *Quid est donatio?* Contractus, quo quis, ex iustitia non adstrictus, rem in dominium cedit alteri acceptanti. Donationem faciens *donator*, acceptans *donatarius* appellatur. Donatio distinguitur a promissione, in qua dominium non transfertur. Distinguitur etiam a remissione debiti (seu acceptilatione), in qua non exigitur acceptatio. Cf. *n.* 3341.

3599. *Quotuplex potest esse donatio?* Potest esse 1° mere gratuita; 2° reciproca (donum pro dono); 3° remuneratoria (pro beneficiis receptis); 4° onerosa (cum impositione alicuius oneris; ita tamen ut semper remaneat actus liberalitatis); 5° libera et spontanea; aut coacta vel dolose extorta; 6° solemnis (seu stipulata ad tramitem iuris); aut privata, aut manualis; 7° vera; aut ficta et palliata (v. g., sub specie venditionis, mutui, solutionis debiti etc.); 8° absoluta; aut conditionata (scilicet sub conditione sive suspensiva sive resolutiva *cf. n.* 3285 *et seqq.*): 9° firma seu irrevocabilis; vel infirma seu revocabilis; 10° causa mortis (ita ut scilicet donator sibi reservet facultatem illam revocandi ante mortem suam, si et quando voluerit); aut inter vivos (scilicet absque reservatione dictae facultatis); 11° insinuata (scilicet facta cum approbatione iudicis); 12° pura; vel mixta, mixta scilicet cum alio contractu, v. g., venditionis, vendendo infra minimum cum intentione donandi pro excessu (haec tamen donatio, si ex misera necessitate fieret, acceptari non posset. Cf. *n.* 3417); 13° expressa; vel tacita; interpretativa, seu praesumpta; 14° valida, vel invalida; 15° licita vel illicita etc.

3600. *Ad valorem donationis exigiturne rei donatae traditio?* Hodie, iuxta legem civilem (*A.* 1602), negative; unde donatarius rem sibi donatam (etsi non adhuc traditam) valide alteri vendere posset. Donec tamen rei possessio remanet apud donatorem, iurisperiti censent quod, si res mobilis donata, alteri bonae fidei a donatore ipso daretur, in hoc casu non solum possessio sed etiam dominium ad eundem devolveretur. Caeterum inter casum rei donatae et traditae, et casum rei donatae quidem sed non traditae, magna differentia intercedit quia valde difficilius in primo quam in secundo donatio revocari potest.

3601. *Quid de donatione interpretativa seu praesumpta?* Accidit quando quis rem alienam, absente domino, sibi applicat pro certo habens quod, si dominum rogaret, illam in do-

num obtenturus esset. Haec proprie non est donatio. Attamen, si revera dominus acceptioni illi nullatenus contrarius esset, res in accipientis dominium transiret. Hoc autem accideret non quia dominus actu voluntatis propriae rei suae dominium in accipientem transferret, sed quia iste occuparet rem nemine repugnante, et pro eo perinde esset ac si res ipsa dominum non haberet. Caeterum unusquisque videt quod, si dominus revera contentus non esset, praesumptio veritati cedere deberet. Praxis (*n.* 2123).

B.

De requisitis a parte solemnitatum.

3602. *Ut donatio sit valida exiguntur ne solemnitates?* Iure civili affirmative. Codex (*A.* 1056) dicit: « Tutti gli atti di do« nazione debbono essere fatti per atto pubblico, altrimenti sono « nulli ». Idem dic de donationis acceptatione, si haec actu separato fieret. Caeterum hoc valet pro norma tribunalium et casu quo res donatae sine solemnitate requisita iuridice repeterentur; secus, ad modum haereditatis habitae ex testamento informi, in conscientia retineri possent. Existimo etiam quod de donationibus ordinariis et manualibus lex civilis loqui non intendat. Cf. Praxis (*n.* 2129) et D'Annibale (*II.* 507).

C.

De requisitis ut a parte donatoris validitati et firmitati donationis nihil obstet.

3603. *Validitati aut firmitati donationis quid obstare potest a parte donatoris?* 1° Defectus sufficientis cognitionis et libertatis; 2° Lex quae ad donationes faciendas illum inhabilitet.

3604. *Quandonam ex defectu cognitionis et libertatis donatio invalida, vel infirma seu revocabilis esse posset?* Si fieret 1° sine sufficienti usu rationis: 2° ex metu: 3° ex errore: 4° ex dolo. Me explico.

3605. *Sine sufficienti usu rationis.* De hoc vide supra dicta (*n.* 3583 - 3584).

3606. *Ex metu.* Vide dicta *n.* 3280 et 3585. Notentur sequentia: I° Non sufficit metus proveniens ab intrinseco, qui scilicet a nemine incussus fuisset. Dedisti, v. g., pinguem eleemosynam gravi morbo correptus et timore mortis. Utique tunc donatio valida et irrevocabilis esset. Praxis (*n.* 2118).

II. Sufficit si metus sit gravis *respective*, attenta scilicet metum passi aetate, indole, sexu etc.

III. Sufficit si metus sit iniustus *tacite*. Titius, v. g. a te petit pecuniam. Expresse quidem nihil mali tibi minitatur, sed est armatus, facinorosus etc.

IV. Non sufficit metus qui non iniuste incussus fuerit, ut puta, si quis diceret: Da mihi equum; secus te haeredem non instituam, te iuste accusabo, non te adiuvabo, non amplius ero tuus amicus etc. Sufficeret tamen si metus esset iniustus solum quoad modum, ut puta, si loco iustae accusationis, privatam vindictam donatarius tibi minitatus fuisset.

V. De metu a donatario iniuste incusso, sed non ad hoc, vide dicta *n*. 3592. IV.

VI. Metus reverentialis, preces importunae, et blanditiae ad obtinendam donationem valde multiplicatae ordinarie (quia in his iniustitia intervenire non solet) non sufficiunt. Excipe nisi, recusando, reformidari debuisset aliquod malum stricte iniustum (etsi leve, dummodo donationi vere causam dedisset). Cf. Praxis (*n*. 2118 *VII et* 2119).

3607. *Ex errore*. Recolantur dicta *n*. 3281 *et* 3585; et notentur sequentia:

I. Error nec substantialis nec dans causam donationi (talis scilicet ut, eo quoque secluso, donatio facta fuisset) certe non obstat.

II. Error circa personam donatarii, aut circa circumstantiam, quae actu ipso donationis eidem *manifeste* causam dedisset, donationem ipsam invalidam redderet. Excipe nisi postea donator (cognito errore) illam confirmasset.

III. Error dans causam donationi, sed non actu ipso manifeste, an donationem ipsam reddat revocabilem, pendet a circumstantiis. Quid enim si donatio solemniter publico instrumento facta fuisset? Quid si revocatio magnis damnis donatarium exponeret? Quid si res iam tradita fuisset, et iam a longo tempore a donatario possideretur, vel ad tertios transiisset? In quovis casu donec donator donationem non revocet, res retineri poterit. Praxis (*n*. 2120).

IV. Donationes factae sub spe aliquid obtinendi a donatario, sunt validae et firmae, etsi donatarius nunquam habuerit intentionem consentiendi; censentur enim factae animo alliciendi, quidquid sit an effectus obtinebitur necne. Excipe nisi malitiose et fraudulenter donatarius spem dedisset. Praxis (*n*. 2121).

3608. *Ex dolo*. Dolus inducit errorem. Si error iam de se

(scil. independenter a dolo) sufficeret ad reddendam donationem invalidam vel revocabilem, tunc decidendum erit ut supra. Si autem error talis non esset, sed nihilominus causam dedisset donationi (ut supra *n.* 3607. *III.* indicatum est), tunc si dolus a donatario (vel eo complice) provenisset, ille rem donatam nec petere nec retinere posset; idque verum esset quamvis donator donationem non revocaret. Excipe I° si dolus non fuisset veri nominis, sed, v. g., in consuetis exaggerationibus constitisset: 2° si donator, cognito dolo, condonationem fecisset, aut de illa (attentis circumstantiis) praesumendum esset. In dubio condonationis, interpellandus erit donator, aut restituendum pro rata dubii, imo forte sufficiet solida probabilitas condonationis ipsius. Satis erit quoque restitutio partialis, si dolus solum in parte donationis causa fuisset. Si denique dolus provenisset a tertia persona, tunc (salvo iure contra illam) simplici errori aequipararetur.

3609. *Quaenam personae ad donationes validas et firmas faciendas inhabiles sunt lege civili?*

I. Donationes manuales parvae et consuetae de rebus propriis (v. g. eleemosynae convenientes) lege civili nemini interdicuntur.

II. Donationes immobilium, aut capitalium, aut non consuetae, fieri nequeunt 1° ab illis qui testamentum condere non possunt, cuiusmodi sunt interdicti propter mentis imbecillitatem: 2° ab inhabilitatis (v. g., propter prodigalitatem): 3° a minoribus, quamvis emancipatis, exceptis donationibus sponsalitiis ex consensu parentum: 4° a coniugibus sibi invicem durante eorundem matrimonio (*A.* 1052 - 1054).

III. Mulieres coniugatae bonorum suorum (non exceptis extradotalibus) sine consensu mariti donationes facere nequeunt (*A.* 134).

IV. De donationibus autem religiosorum, tutorum, curatorum et administratorum, dicam aliquid infra.

D.

De requisitis ad donationum validitatem et firmitatem a parte donatarii.

3610. *Quid exigitur a parte donatarii ut donatio valeat?* Exigitur 1° ut sit capax donationem recipiendi; 2° ut acceptatio locum habeat.

3611. *Quinam sunt incapaces donationem recipiendi?* Apud

nos iuxta legem civilem (*A.* 1503) incapaces sunt quotquot per testamentum succedere nequeunt; scilicet 1° Filii spurii donatoris, exceptis alimentis (*A.* 767 - 180); 2° Indigni; qui scilicet donatorem occidere tentaverint, vel de delicto calumniose accusaverint in iudicio etc. (*A.* 725); 3° Coniux quoad donationem coniugis, ut supra; 4° Nondum concepti, aut nati non vitales (*A.* 724). Attamen quoad nondum conceptos excipiendi sunt filii immediati qui nascituri sunt a persona determinata et vivente tempore donationis, prout accidere solet speciatim in donationibus factis occasione matrimonii pro filiis nascituris (*A.* 764). 5° Tutores nequeunt accipere donationes a proprio pupillo nisi sint eiusdem consanguinei in 1. gr. (*a.* 769). 6° Civiliter quoque apud nos non valent donationes factae pro entibus suppressis, vel ad instituenda beneficia simplicia, cappellanias laicales, aliasque similes fundationes (*A.* 1075). Corpori morali, fieri possunt donationes; sed solum (ut civiliter valeant) cum auctorizatione Gubernii.

3612. *Quid de donationibus factis incapaci; sed sub figura contractus onerosi, aut per interpositas personas?* Civiliter non valent (*A.* 1053 - 1055); si nempe factum iuridice probetur. Incapacis autem pater, mater, descendentes, et coniux, personae interpositae reputantur (*A.* 773). Attamen quoad entia suppressa, vide Praxis *n.* 2572 *et sqq.*

3613. *Ad valorem donationis estne omnino necessaria acceptatio de iure tam naturali quam positivo?* Si non de remissione debiti (*cf. Lugo XXIII.* 48), sed de vera donatione agatur, acceptatio exigitur certe tam de iure civili (*A.* 1507), quam de iure naturali, quatenus, donatario recusante, donatio effectum habere nequit. Theologi dicunt donationem ante acceptationem semper revocari posse. Hoc mihi verum est si donatio adhuc donatario absenti communicata non fuerit; si autem ei communicata fuisset, tunc existimo acceptationem iam esse praesumendam, atque etiam in casu dubii donatorem aliquod tempus donatario relinquere debere ad deliberandum; unde vix percipio quandonam, supposita donationis communicatione (et maxime si donum iam missum fuisset) donatio ipsa sine iniuria revocari possit.

3614. *Donatio estne valida et firma statim ac donatarius acceptaverit; an vero exigitur ut acceptatio donatori significata fuerit?* Iure naturae, et secluso pacto expresso, non exigitur ut acceptatio donatori significetur; haec enim conditio, in donatione absoluta (v. g. per litteras) absenti facta, non

subintelligitur, donatores siquidem (secus ac esset in contractibus onerosis) de cognoscenda acceptatione, quae iam praesumitur, non solent esse solliciti. Attamen iure civili (intellige quoad donationes quae actum publicum exigunt) donationes non censentur firmae, nisi a die in quo actus acceptationis per apparitorem donatori notificatus fuerit. (*A.* 1057).

3615. *Ut donatarius valide acceptare possit, sufficitne ut donationis notitiam utcumque habuerit, etsi donatoris epistola aut nuncius adhuc ad illum non pervenerit? Et sufficitne acceptatio tacita vel implicita?* Ad primum negative, ipso iure naturae (*Cf. n,* 3587). Ad secundum affirmative (*cf. n.* 3588); attamen pro foro externo recolenda sunt quae modo dicebam (*cf. n.* 3614); et notandum, quod circa donationes intuitu determinati matrimonii factae sive a sponsis inter sese, sive ab aliis personis erga sponsos vel prolem nasciturum, etiam iuxta codicem civilem, sufficit acceptatio tacita, quae in ipsa matrimonii celebratione residet; et proinde titulo defectus acceptationis impugnari nequeunt. (*A* 1062).

3616. *Oportetne semper ut acceptatio fiat praecise a donatario? Quid speciatim si donatarius esset interdictus, vel aetate minor, vel adhuc nasciturus?* Si donatarius sit aetate maior nec sit interdictus etc.; tunc acceptatio fieri debet ab ipso, eiusve mandatario. Si esset interdictus aut minor non emancipatus, tunc ad patrem vel tutorem: si esset inhabilitatus vel minor emancipatus, tunc ad ipsum sed cum consensu curatoris: si esset adhuc nasciturus (in sensu supra explicato *n.* 3611), tunc ad eius genitores vel ascendentes, acceptatio spectaret. Dato casu, inspiciendus esset *A.* 1059. Notandum quod haec omnia ad donationes in forma (quae scilicet solemnitates exigunt iuxta dicta *n.* 3602) referuntur. Denique donationes factae corpori morali (ut civiliter valeant) Gubernii auctorizationem (ut supra dicebam) exigunt. (*A.* 1060).

3617. *Quid si donatio, quae in forma esset facienda, modis supradictis facta aut acceptata non fuisset?* Tunc *civiliter* ab ipso donatore eiusque haeredibus et creditoribus revocari posset intra quinquennium. (*A.* 1061 - 1300).

3618. *Quid de donationibus, quae solum vi legis conditae in odium Ecclesiae, vel utcumque cum damno Ecclesiae aut locorum piorum, tamquam irritae considerari aut revocari possint?* Donationes huiusmodi irritae quidem aut revocabiles sunt civiliter, sed non catholice et in conscientia.

3619. *Quid si, quando donatarius donationem acceptat, do-*

nator mortuus fuisset? Donatio in forma legali hoc modo minime perficeretur, iuxta *A.* 1057. Caeterum iure naturae donatio facta per mandatarium valet, si ille tunc mandantis mortem ignoraverit, et (iure canonico) si donatio causas pias respiceret (*Lugo XXIII.* 75). Donatio autem facta per simplicem nuntium vel epistolam, an valeat, controvertitur: quod tamen valida sit, certe probabile est; in translatione dominii enim non est de essentia ut actu translationis dominus (qui iam illud transferre voluit) adhuc vivat; secus enim nequidem per mandatarium aut per testamentum donatio valeret. Cf. Ballerini (*I.* 812 *not.* 6) et Lugo (*XXIII.* 75-78).

3620. *An, mortuo donatario ante acceptationem, eius haeredes ius habeant illam acceptandi?* Negative *per se;* quia donatio ad illos non fuit directa. Excipe nisi donatoris intentio potius quam donatarium, illius familiam respexisset (*Cf. n.* 3596 *et Ballerini l. c. not. c.*).

E.

De requisitis ad donationis validitatem et firmitatem a parte rei donatae.

3621. Agendum est 1. De donatione rei alienae; 2. De donatione rei propriae sed alteri debitae; 3. De donatione omnium bonorum; 4. De donatione rerum mobilium; 5. De donatione cum reservatione ususfructus vel usus.

3622. *Quid de donatione rei alienae?*

I. Donatio rei alienae, invito domino, invalida est (ut per se patet), et nihil refert quod bona fide facta fuerit. Intellige si agatur de re aliena in se, quae scilicet (v. g., per mixtionem) in donatoris dominium non transierit. *Lugo* (*XX.* 104).

II. Donator rei alienae, ordinarie non tenetur de evictione. Attamen ad illam tenetur in sequentibus casibus: 1° Si donatio fuerit pro dote constituenda (*A.* 1396); 2° Si facta fuerit cum promissione expressa antistandi evictioni (*A.* 1077); 3° Si evictio ex dolo vel facto personali donatoris provenisset (*A. cit.*); 4° Si donatario aliquod onus impositum fuisset; tunc enim pro rata oneris ipsius antistandum esset: 5° Si donatio rei alienae mala fide facta fuisset, donatario non admonito, eique ex evictione damna provenissent; 6° Si promissio generica prius intercessisset, v. g. de dandis decem modiis tritici, et postea dati fuissent decem modii tritici alieni, qui evictionem passi fuissent. Lugo (*XXVI - X.* 156).

III. Tutores, et publici administratores bonorum communi-

tatis auctoritatem procedendi ad donationes, circa bona ipsorum administrationi commissa, minime habent. Excipiendae tamen sunt eleemosynae convenientes, et donationes remuneratoriae, quae ex gratitudine, pro donis vel servitiis vel favoribus gratis vel ultra debitum receptis, fiant; ut bene docet Lugo (*XXIII. 144 et sqq.*): qui scite observat 1° remunerationem aliquando fieri posse etiam erga filios vel fratres benefactoris, speciatim eo defuncto (*n.* 141); 2° aequam remunerationem ordinarie excedere posse merita, vel dona recepta; sed non multum; secus enim pro excessu donatio mere gratuita evaderet; dicit autem *ordinarie*, quia, attenta conditione remunerantis et remunerati, interdum valde minor et interdum valde maior remuneratio esse potest (*n.* 138-140).

IV. Uxores, eo quod ad congruam sustentationem ius habeant, ex bonis communibus, vel etiam (si indotatae nupserint) ex bonis mariti, eleemosynas et remunerationes proprio statui convenientes facere valent; neque a marito ipso iuste impediri possunt, nisi quatenus ille easdem faceret, et ex hoc nullum dedecus uxori obveniret.

V. Praelati regulares de bonis monasterii aliqua in discretis eleemosynis et convenientibus donationibus remuneratoriis (iuxta proprias regulas et probatas consuetudines) disponere valent. Secus est de subditis, qui, sine licentia Praelati expressa (etsi interdum sufficere possit tacita vel praesumpta), nihil donare possunt. Donatio autem ab iisdem illegitime facta nullitate laboraret, et donatarius (seclusa sanatione) ad restitutionem teneretur. Attamen donationes (intellige semper sine licentia Praelati) essent solum illicitae (non vero invalidae), si Religiosus simplici tantummodo voto paupertatis adstringeretur et de bonis propriis (non vero monasterii) disponeret.

3623. *Quid de donante res quidem proprias sed aliis debitas? Et quid de res huiusmodi accipientibus?* Donationes huius generis contingere possunt speciatim 1° Si res uni promissa, aut vendita (sed non tradita), alteri donaretur. 2° Si donationes fiant in praeiudicium legitimae. 3° Si fiant in praeiudicium creditorum. 4° Si beneficiatus fructus beneficii, in usus pios erogandos, in profanis donationibus impenderet. De his singulis aliquid dicendum est seorsim.

3624. *Quid si res uni promissa alteri donaretur et traderetur?* Donator delinqueret certe contra iustitiam, ut per se patet. Idem dic de donatario, quia, sicut donator rei donatae habebat dominium infirmum et subiectum obligationi rem ipsam tradendi

promissario, ita donatarius dominium pariter infirmum recipit, et eidem obligationi obnoxius remanet. Excipe nisi bona fide processisset; leges civiles enim stante bona fide in huiusmodi casibus pessessoribus favent. *A.* 1126.

3625. *Quid de donationibus factis in praeiudicium legitimae, quae de iure sive filiis, sive parentibus, sive coniugi debeatur?* Hae (quamvis sint validae) non sunt firmae; quatenus praeiudicati in legitima, secuta morte donatoris, reclamare, easque (nisi fuerint remuneratoriae pro servitio, quod aestimationem patiatur; vel nisi fuerint minutae, v. g., eleemosynae convenientes) reducere possunt, ut legitima iisdem salva remaneat. Reductio donationum peti potest etiam ab haeredibus eorum qui in legitima praeiudicati fuerunt, atque ab eorundem creditoribus. Vivente donatore, iuri ad reductionem istam nullo modo (et nequidem donationibus consentiendo) renuntiari potest. Reductio autem fit computando prius totum assem a defuncto relictum atque ab aere alieno purgatum, et deinde computando atque addendo donationes. Ex hac massa determinatur legitima. Si assis relictus et purgatus sit, v. g. 1000, et legitima (computatis, ut dixi, donationibus) debeat esse 1500; tunc 500 detrahuntur a donationibus, incipiendo ab ultima, et solum si haec non sufficeret, recurrendum esset ad penultimam etc. Si ad salvandam legitimam satis esset negligere legata, tunc donationum reductio locum non haberet. Si res donatae fuissent immobiles, et transiissent ad tertios possessores, tunc haeredes prius excutere deberent donatarios, et solum si eorum bona non sufficerent, ab iisdem tertiis fundos donatos repetere possent (*A.* 1091-1096 *et* 821-824). Actio pro donationibus reducendis praescribi quidem potest, sed solum 30 annis. Caeterum in conscientia, si nemo reclamaret, donatarii dispositioni legis civilis (quae solum post petitionem obligat) stare possent, et nihil restituere tenerentur.

Idem dic de donationibus palliatis sub specie contractus onerosi, quae uni ex filiis (ad eum excessive praediligendum) in fraudem legis a patre factae fuissent. Excipe nisi alii filii contractui consensissent (*A.* 811).

Quaestio est utrum donatio ad causas pias facta, quae exhaeredationem filiorum vel praeiudicium legitimae importet, ius ad reductionem praebeat in conscientia? Affirmat Sanchez (*l. c.*). Contrarium (dummodo filii alimenta habeant) probabile esse censet S. Lig. (*III.* 740). Sed in quaestione ista non refert immorari; Ecclesia enim donationes huiusmodi non acceptaret, aut facile dissolveret.

3626. *Quid de donationibus factis a debitis gravato?*

I. Debitis gravatus potest vendere sine iniuria creditorum, quia tunc recipit aequivalentem pecuniam, qua illis satisfacere poterit. Excipe nisi id faceret ex intentione eosdem fraudandi, ut scilicet de eiusdem bonis nihil capere valeant.

Poterit etiam donare, sed non quando (donationibus peractis) aliis modis (v. g., ex reliquo capitali, vel parsimoniis, labore, industria, haereditatibus etc.) debita sua solvere nequeat, tunc enim certe iniustus esset, neque excusaretur si forte non directe ex malitia fraudandi creditores, sed v. g. amore amicorum, donationes faceret. Idem dic si gravi periculo se reddendi impotentem ad iisdem satisfaciendum se exponeret.

II. Donatarius donationes acceptare potest, si sciat quidem donatorem esse debitis gravatum, sed ignoret quod donando se reddat impotentem ad iisdem satisfaciendum. Nec restituere teneretur, etsi, postquam bona fide possessionem caepisset, de hac impotentia certior evaderet, huiusmodi enim casus aequivalet alteri, de quo supra (*n.* 3624) actum est. Excipe nisi donatio (aut alia quaelibet alienatio) facta fuisset intra decem dies cessioni bonorum praecedentes, et pro restitutione iudicis sententia interveniret (*Cod. Commercii n.* 155).

Si vero donatarius mala fide et cum cognitione dictae impotentiae donationem acceptasset, utique tunc ad restitutionem teneretur (iuxta dicta *n.* 3624). Hoc tamen intellige si (donationem acceptando) vere esset causa damni creditorum, quod non verificaretur, si donator, seclusa etiam donatione, ex mala voluntate debitis suis non fuisset satisfacturus, sed potius omnia in crapulis fuisset consumpturus (Lessius *II, XX. XIX*), vel si, facta donatione, aliis modis satisfacere potuisset, quamvis non satisfacturus praevideretur; tunc enim acceptatio donationis posset quidem esse damni occasio sed non causa. A fortiori autem restituere deberet qui donatorem non valentem aliter satisfacere induxisset ad sibi vel aliis donandum, vel qui donationem acceptasset rogatus a debitore praecise volente hoc modo fraudare creditores, ne aliquid capere possent.

Quod autem dicitur de donationis acceptatione, etiam de ficta emptione (emendo v. g., pro decem quod valet mille) dicendum foret.

3627. *Quid de donationibus factis a beneficiato?*

I. Ex bonis patrimonialibus (*cf. n.* 3085), casualibus (*n.* 3087), parsimonialibus (*n.* 5086 V) et industrialibus (*cf. Casus consc. an.* 1892 *Cas. III*), potest facere donationes prout vult. Ex bonis

vero beneficialibus (*non* parsimonialibus) potest facere solum donationes, quae vel naturam operis pii habeant, v. g., eleemosynas, dotem puellis pauperibus etc. (servata discretione iuxta dicta *Cas, cit.*), vel a decentia proprii status exigantur; non tamen facere posset donationes remuneratorias pro bonis fortunae in donum receptis, quandoquidem donationes huiusmodi assimilarentur bonorum ipsorum emptioni, quae utique ex redditibus beneficii fieri non posset, nisi postea tantundem in operibus piis erogaretur. Si tamen beneficiati bona, quae in usus pios erogare deberent, insumerent in donationibus profanis, hae forent quidem illicitae sed validae; beneficiati enim faciunt fructus suos, et proinde, quum disponant de re propria, dominium valide in alios transferre possunt. Nec postea ad restitutionem (scilicet ad erogandum de proprio tantundem in usus pios) tenerentur; non enim constat quod Ecclesia, quae talem erogationem praecipit, praecipiat etiam restitutionem beneficiatis, qui tali muneri suo non satisfecissent (Praxis *n.* 2153 *VI*).

II. Recipiens donationes profanas a beneficiato ex rebus, quae in usus pios erogari debuissent, peccaret si ad hoc illum induceret. Excipe nisi iam esset prorsus determinatus illas non erogare in usus pios, aut nisi postea ex bonis propriis suppleturus foret. - Seclusa autem huiusmodi inductione, iuxta Lugo et S. Lig., non peccaret illas simpliciter acceptando, et certe non teneretur ipse ad piam erogationem quam beneficiato (non vero aliis) Ecclesia praecipit. Praxis (*l. c.* IV).

3628. *Quid de donatione omnium bonorum?*

I. Donatio omnium bonorum et iurium *praesentium* admittitur legibus tam modernis quam antiquis.

II. Donatio bonorum *futurorum* (de quibus scilicet hic et nunc nec dominium nec ius habetur) hodie lege civili invalida declaratur. Si tamen quis omnia sua bona praesentia et futura donaret, donatio solum circa futura invalida esset (*A.* 1604). Et haec invaliditas solum pro rescindibilitate in foro externo inducta in favorem donantis intelligenda videtur.

III. Donatio bonorum etiam futurorum iure canonico valet ad causas pias. Cf. Praxis (*n.* 2155).

3629. *Quid speciatim notandum circa donationem rerum mobilium, quae in forma (scilicet manu notarii) celebretur?* Quoad res mobiles, duo exiguntur, scilicet 1° ut sint determinatae (ut scilicet pateat an omnes res mobiles praesentes: et, quatenus non omnes, quales praecise donatae fuerint); secus enim donatio (ante traditionem) imminui et illudi posset; 2° ut

sint aestimatae et tamquam talis vel talis valoris tam a donatore quam a donatario recognitae. Hoc pro effectibus futuris quoad legitimam, collationem etc. exigitur (*A*. 1070). In defectu determinationis aut aestimationis, donationes (exceptis donis manualibus) possunt revocari; et quidem etiam ab ipso donante.

3630. *Quid de donationibus factis cum reservatione usus fructus vel usus?* Haec reservatio permittitur etiam quoad res mobiles; attamen solum favore donantis, et unius vel plurium (non tamen successive) post ipsum (*A*. 1074). Cessante usufructu rerum mobilium, donatarius recipere debet res in statu quo tunc erunt; et, si forte res aliquae non amplius extarent, ius habebit ad earundem valorem, iuxta aestimationem, quae (ut supra) facta fuerit (*A*. 1076).

F.

De requisitis ut validitati et firmitati donationis nihil obstet a parte conditionum, quae forte apponantur.

3631. *Quomodo conditiones validitati aut firmitati donationis obstare possunt?* Ordinarie conditio efficit ut validitas aut firmitas donationis in suspenso remaneat, sed interdum 1° reddere potest donationem invalidam ipso facto: interdum 2° ipsa conditio tamquam non apposita considerari debet.

Iure Gallico considerantur tamquam non appositae conditiones impossibiles aut turpes.

Iure Italico conditiones impossibiles aut turpes, nec non conditiones mere potestativae a parte donatoris, reddunt donationem invalidam ipso facto.

Mere potestativa non esset conditio qua donator reservaret sibi potestatem revocandi donationem si donatarius ei praemoreretur, aut si ipse donator ab infirmitate (in qua donationem fecisset) convalesceret; bene vero conditioni mere potestativae aequipareretur conditio quod donatarius debita donatoris non solum praesentia, sed etiam futura *omnia*, solvat.

3632. Quod tamen statuitur iure civili (sive Gallico sive Italico etc.) non statuitur etiam stricte iure naturali; nec constat quod leges civiles intendant loqui de donationibus manualibus, aut in praeiudicium donatarii reddere invalidam (in conscientia et ante iudicis sententiam) donationem quae iure naturae valida esset. Certe si donatio respiceret causam piam, et esset iure naturae valida, lex civilis (quae illam invalidam redderet) non esset attendenda, quia in tali puncto ab Ecclesia non probaretur.

3633. *Quid de donatione causa mortis?* Accidit (ut supra innui) quando donator sibi reservat facultatem illam revocandi pro lubitu suo usque ad mortem. Fit itaque sub conditione mere potestativa (*si ante mortem non revocavero*), atque adeo lege civili invalida est. Quum tamen sit valida iure naturae, recole dicta n.° praec., et infer quod donatarius rem sic sibi relictam retinere, imo (si nondum tradita ei fuisset) post mortem donatoris (clam et seclusis gravibus inordinationibus) accipere sibique applicare poterit.

3634. *Quid de donationibus sponsalitiis?*

I. Donationes (ut plurimum levis momenti) quas adamantes sibi invicem facere solent *ante sponsalia*, censentur absolute factae; mere scilicet in signum amoris, vel ad alliciendum; et proinde res acceptae, quidquid postea eveniat, non sunt restituendae.

II. Donationes factae actu sponsalium vel *post sponsalia*. sive a sponsis sibi invicem sive ab eorundem consanguineis (quae dici solent largitates sponsalitiae), censentur factae sub conditione tacita matrimonii, ita ut, illo non secuto, restitui debeant. Patet ex communi sensu, atque a legibus omnibus tam antiquis quam recentioribus (*A*. 1608).

III. Obligatio restituendi huiusmodi munera sponsalitia habet sequentes exceptiones: 1° Si non repetantur, idque pro renuntiatione tacita interpretari debeat. 2° Si matrimonium ex culpa unius impeditum fuisset, tunc reus tantummodo, non vero innocens restituere deberet. 3° Si matrimonium absque culpa alicuius impeditum fuisset, sed sponsa osculum recepisset (et a fortiori si copulam passa fuisset), de iure communi medietatem tantummodo munerum receptorum restituere deberet; sed codices moderni hanc distinctionem non faciunt. Cf. Sanchez *De Matr. VI. XVIII. et XIX*).

G.

De determinatione temporis in donationibus.

3635. *Quid de donationibus factis cum determinatione temporis?* Praeter dicta (*n*. 3297) notanda sunt sequentia:

I. Qui donat alteri rem ei consignandam solum post mortem, si donatio sit acceptata et irrevocabilis, donat valide; tunc quippe non agitur de donatione causa mortis (quae est revocabilis et invalida, ut supra), et donatarius acquirit dominium

rei ipsius, etsi mortem donatoris ad fruendum illa expectare debeat. Hinc res ipsa dari deberet haeredibus donatarii, si forte donatarius ante donantem mortuus fuisset; et proinde talis donatio valeret magis quam legatum, quod legatarii praemortui haeredibus solvendum non esset.

II. Qui alicui donat aliquid dandum in circumstantia, de qua sit incertum an unquam obventura sit, ordinarie donat sub conditione suspensiva. Dixi *ordinarie*; si enim solum pro utilitate donatarii (v. g. quia dilatio traditionis ad illam circumstantiam v. g. matrimonii, ei magis iuvabit, ne prius dissipet) tempus indicatum fuisset; tunc, etsi matrimonium non subsequeretur, a momento quo de illo iam desperandum esset, res donata ei tradi deberet.

H.

De substitutionibus in donatione.

3636 *Quid de substitutionibus in donatione?*

I. Substitutio potest esse vulgaris et fideicommissaria.

II. Vulgaris esset si donator diceret: Dono tibi; sed, si tu donationem acceptare nequeas aut nolis, tunc dono Titio. Haec substitutio a legibus, etiam hodiernis, admittitur. (*A.* 1073. 896-898).

III. Fideicommissaria esset si donator stipulando diceret, v. g. Dono tibi agrum sed cum pacto ut illum conserves et tali vel tali tempore tradas Titio. Haec admittebatur a legibus antiquis. Leges gallicae illam admittunt, sed pro solo casu in quo substituantur descendentes donatarii usque ad 2.um gradum. Leges nostrae (quandoquidem donatio cum onere rem conservandi, atque adeo sine traditione dominii, stare non potest) illam reiiciunt, et volunt ut primus vocatus sit verus dominus et substitutio tamquam invalida reiiciatur. Si autem quis donaret agrum quoad usumfructum Caio acceptanti, simulque illum donaret Titio pariter acceptanti quoad proprietatem, tunc essent duae donationes, quae certe valerent, et substitutio fideicommissaria minime interveniret.

IV. Etsi donationes cum substitutionibus fideicommissariis non valeant civiliter, tamen, si essent in favorem causae piae, eas in conscientia omnino valere dicerem cum Gury (*II.* 840).

V. Denique substitutiones fideicommissariae a lege civili non recognitae, ad dona manualia, quae post certum tempus tertiae personae tradi debeant, non extenduntur.

I.

De revocatione donationis ob causas supervenientes.

3637. *Quaenam sunt causae supervenientes quae revocationi donationis ius dant?* 1° Ingratitudo donatarii; 2° Supervenientia filiorum.

3638. *Quandonam ius adest revocandi donationem ob ingratitudinem donatarii?*

1° Si donatarius vitae donatoris attentaverit; 2° Si crimen contra illum commiserit, eumve saevitiis vel iniiuriis gravibus affecerit; 3° Si alimenta stricte debita ei denegaverit. (*A.* 1081 *et* 139). Ut tamen donatarius in conscientia restituere debeat, petitionem iudicialem (de qua vide *A.* 1088) expectare potest. Et notandum quod revocatio ob ingratitudinem nequit habere locum in donationibus remuneratoriis, aut factis intuitu determinati matrimonii (*A.* 1087). Idem dic si factae fuerint Ecclesiae aut causis piis (etsi, v. g., Praelatus ingratus fuisset); censentur enim factae Deo, qui nemini ingratus esse potest (*S. Lig. l. c.*).

3639. *Quandonam ius adest revocandi donationem ob supervenientiam filiorum?*

Donationes factae a persona, quae non habebat filios aut descendentes legitimos viventes tempore donationis, possunt revocari 1° propter nativitatem filii legitimi, qui tamen vivus et vitalis in lucem prodierit (non obstaret si post mortem patris natus fuisset vel si tempore donationis iam conceptus fuisset): 2° propter legitimationem filii naturalis ope subsequentis matrimonii, dummodo natus fuerit post donationem (*A.* 1083-1085).

3640. Revocatio autem fieri potest (utique etiam a filiis istis), etsi donator, nata quoque prole, aliquo tempore siluisset (A. 1086); aut actu donationis huic iuri suo renuntiasset (A. 1084). Dixi *aliquo tempore*, decursu enim quinque annorum post nativitatem ultimi filii, haec actio praescriberetur (A. 1090): neque post mortem filiorum omnium eorumque descendentium, neque cum praeiudicio iuris a tertiis forte acquisiti, revocatio fieri posset. (A. 1090-1088).

Donatarius, donec revocatio non fiat, in conscientia ad nihil tenetur.

Donationes ob supervenientiam filiorum, etsi ordinarie revocari possint ex toto, tamen in quibusdam casibus revocari possunt solum a filiis per quantum oporteat ut legitima eis salva remaneat. Hoc accidit 1. in donationibus remuneratoriis: 2. in donationibus factis intuitu determinati matrimonii (A. 1087): 3. in donationibus ad causas pias. (*S. Lig. III* 739).

K.

De donationibus conferendis aut reducendis in divisione haereditatis.

3641. *Quid est collatio donationum?* Est earum computatio in divisione haereditatis (etiam testamentaria, nisi alia fuerit mens testatoris); quatenus scilicet res datae quidem fuerint, sed tamquam pars anticipata haereditatis; unde, in facienda divisione res ipsae (vel earundem valor) conferri debeant in acervum assis, ad determinandum qualis sit portio uniuscuiusque cohaeredis, et quantum minus aliis qui res illas recepit ex relictis a defuncto habere debeat.

3642. Iuxta leges italicas collatio intervenit solum quoad filios aliosque descendentes in linea recta, si receperint bona (quae collationi reapse subiiciantur, ut statim explicabitur) a patre vel avo defuncto, cuius haereditatem inter se dividere debeant. (*A.* 1001). Leges gallicae autem obligationem collationis extendunt etiam ad ascendentes et collaterales, qui a descendentibus vel collateralibus bona receperint, eorumque postea haeredes in partibus aequalibus evadere debeant.

3643. *Quid si filii vocati fuissent haeredes simul cum aliis?* Exemplum esset si pater simul cum duabus filiabus vocasset haeredem in partibus aequalibus fratrem suum (scilicet patruum earum). Tunc neque ab hoc illis, neque ab illis huic de receptis a defuncto in vita quidquam conferendum esset (apud nos); sed, data patruo tertia parte assis a defuncto relicti, sorores postea inter se quod a patre vivente receperunt conferre deberent. (*A.* 1014, *et cf. Ballerini I.* 806 *a*).

3644. *Collatio an et in quo differt a reductione donationum, de qua actum est supra* (*n.* 3625)*?* Differt quam maxime. Ius enim reductionis oritur ex iure habendi legitimam integram, et extenditur ad omnes haeredes necessarios, atque ut plurimum exercetur ab iisdem contra extraneos (qui a defuncto cum praeiudicio legitimae donationes receperint); ius autem exigendi collationem oritur ex iure filiorum habendi partem aequalem patrimonii paterni, nisi pater aliter disposuerit, ut supra dicebam; et proinde non ab omnibus haeredibus (etsi necessariis); sed solum a fratribus contra fratres (apud nos) exerceri potest. Praeterea non est in potestate testatoris impedire ius ad exigendam reductionem; secus de iure exigendi collationem; si enim

constaret quod pater dare voluerit aliquid filio sine onere collationis, tunc alii filii illam exigere nequirent; nisi quatenus in legitima praeiudicati fuissent (*A.* 1001. 1002. 805), et attentis tunc quoque regulis *n.* 3625 indicatis. Denique in collatione res receptae conferuntur ex toto; in reductione autem solum per quantum exigitur ut legitima salva evadat.

3645. *Quidquid a patre datum fuerit filio estne obnoxium collationi; et, quatenus negative, quomodo cognoscitur quid collationi obnoxium sit, et quid non?* Certe non omnia quae pater dat filiis, collationi subiiciuntur. Ad distinctionem autem faciendam, regula sumitur imprimis a voluntate patris (*A.* 1001), quae expressa (v. g., actu traditionis vel in testamento) aut tacita esse potest. Si autem pater neque expresse neque tacite quidquam indicaverit, tunc a consuetudine et legibus regula sumitur.

3646. *Quid de voluntate tacita?* Est quae colligitur ex factis. Sic, v. g., patrem dedisse rem liberam a debito collationis, colligeretur ex sequentibus indiciis; scilicet si dona manualia filio dedisset in praemium seu remunerationem; aut si secreto, vel per interpositas personas, vel sub specie contractus onerosi rem dedisset; aut si, loco dandi rem filio, vel pro illo (v. g., constituendo dotem filiae illius), donationem fecisset natis eiusdem et solum respectu ipsorum (*A.* 1004); aut denique si intuitu rerum iam traditarum alicui ex filiis, partem minorem in testamento ei reliquisset, vel (ni fallor) si utcumque ipse filiis partes inaequales assignasset. (In his tamen casibus ius ad reductionem pro salvanda legitima remanere posset, ut per se patet). E contra, voluntatem patris fuisse dandi res in partem anticipatam haereditatis, colligeretur, v. g., si res ipsas in libro rationum cum filio adnotasset.

3647. *Si procedendum esset iuxta normas a legibus statutas, quaenam sunt immunia a collatione per legem?* Sunt sequentia:

I. Expensae a patre toleratae pro alendis, instruendis et educandis filiis (*A.* 1009), v. g., pro schola, collegio, universitate, libris, laurea, honestis recreationibus, infirmitatibus etc. Quid si expensae istae statui familiae non fuissent proportionatae? Certe non quilibet defectus proportionis sufficit, ut exinde fratres collationem exigendi ius habeant. Ita rem hanc intelligunt iurisperiti, et theologi, neque facile conqueri poterunt fratres de inaequalitate; frater enim bene educatus et doctus solet esse magis utilis familiae aut saltem honorem ei confert. Sunt tamen qui censent expensas esse conferendas, si excessus fuisset enormis et familiae omnino ruinosus; et Theologi id concedunt casu quo

filius bona propria habuerit. Attamen lex non distinguit; et practice dicerem quod, suborta controversia, filius solum post sententiam iudicis collationem facere teneatur.

II. Expensae ordinariae pro ornatu domus, occasione nuptiarum; et dona nuptialia consueta (*A*. 1009), quae scilicet a patre data fuerint novae sponsae; non autem ea quae filio vel sponsae pro filio data fuissent, excepto anulo nuptiali.

III. Fructus rerum donatarum. Si tamen istae subiici deberent collationi; tunc earum fructus a die apertae successionis conferendi essent. (*A*. 1013).

IV. Res immobilis, quae collationi obnoxia esset, huic oneri non subiiceretur casu quo absque culpa donatarii ante tempus apertae successionis periisset. (*A*. 1012).

3648. *Quaenam subiiciuntur collationi per legem?*

I. Dotes, quae a defuncto filiabus sive propriis sive filiorum suorum, traditae fuerint cum debitis cautelis, aut (si cautelae omissae fuissent) per quantum extant tempore successionis. (*A*. 1007).

II. Mundum muliebre (it. *corredo*) occasione matrimonii praedictis filiabus assignatum. (*A*. *cit.*).

III. Patrimonium ecclesiasticum filio, aut filii filio, constitutum. (*A*. *cit.*).

IV. Expensae a defuncto toleratae ad filium, vel filii filium, stabiliendum in exercitio suae artis vel professionis (*A*. *cit.*). Intellige postquam filius instructionem (de qua supra *n*. 3645 I.) iam compleverit; et casus verificatur quando pater, v. g, emit pro ipso apothecam cum instrumentis, vel dat ei summam pro mercatura etc. Idem dic de assignationibus quae filiis fieri solent occasione matrimonii. Idem denique dicendum videtur de expensis factis ad procurandum filio beneficium ecclesiasticum, etsi S. Lig. (*III*. 953) contra senserit.

Hinc efformari poterit regula generalis, dicendo quod capitalia data ad constituendos filios, non in tyrocinio, sed in statu stabili, seu (ut dici solet) ad illos collocandos, collationi subiiciuntur. Veniunt deinde

V. Expensae factae ad solvenda debita filii (*A*. *cit.*). Attamen a collatione exclusa censentur non solum debita quae propter alimenta, sed etiam quae propter iuveniles errores a filio contracta fuerint, eaque pater honoris causa solverit. Hoc tamen intellige nisi ille iam aetate maior fuisset, aut nisi (etsi adhuc minor) ad solvendas summas relative nimis ingentes patrem exposuisset. Certe filius nihil conferre teneretur, si id solum in

vitiis insumpsisset, quod pater pro honestis recreationibus ei dedisset.

VI. Quidquid magni momenti (attenta conditione familiae) a patre datum fuerit filio, non debito alimentorum vel instructionis et educationis, sed liberaliter (*A.* 1001), cuiusmodi esse censentur etiam expensae ad liberandum filium a servitio militari, dummodo pro familiae utilitate id factum non fuerit. Idem dicendum videtur de magnis expensis, quae ad liberandum filium a carcere toleratae fuissent. Attamen in hoc quoque casu S. Lig. contra sentit (*III.* 955).

VII. Denique filius conferre debebit debita, quae forte erga familiam habeat (*A.* 991), et proinde furta domestica ab ipso perpetrata, si ita notabilia fuerint, ut condonatio paterna praesumi non posset.

3649. *Possetne filius aut filia se eximere a collatione, haereditati paternae renuntiando?* Affirmative; ita tamen ut tunc rebus sibi datis contentus, ne legitimam quidem praetendere possit. (*A.* 1003). Ratio est quia ex una parte obligatio collationis posita praesumitur a patre solum pro casu concursus ad haereditatem, non vero ut filius ad rerum acceptarum partem amittendam adigatur; et ex alia nemo cogi potest ad se implicandum in haereditatibus, quae, si utilitates, etiam molestias et damna adducere possent. Attamen videndus est etiam *A.* 1005.

3650. *In collatione facienda, debetne attendi valor, quem res habebant tempore donationis; an vero valor quem res habent tempore successionis?* In rebus mobilibus attenditur valor quem habebant tempore donationis, iuxta aestimationem quae tunc facta fuerit; aut (si facta non fuisset) peritorum. (*A.* 1024). In rebus immobilibus e contra consideratur valor subsistens tempore successionis (*A.* 1017), ita tamen ut 1° deduci debeant expensae, quae sive pro melioramentis (*A.* 1018), sive pro rerum ipsarum conservatione (*A.* 1019), factae fuerint; 2° donatarius respondere debeat de deterioramentis, quae forte ex eius culpa vel negligentia acciderint. (*A.* 1020).

§ III.

De commodato.

A.

De natura commodati.

3651. *Quid est commodatum?* Contractus, quo gratis datur res ad usum atque ad tempus determinatum, restituenda in individuo (*A.* 1805). Qui dat *commodans*; qui accipit *commodatarius* appellatur.

Commodans potest esse etiam non dominus, sed v. g. usufructúarius. Commodari possunt quoque res immobiles v. g. domus, villa etc. Oportet ut concedatur usus; secus enim solum de deposito, pignore etc. agi posset. Oportet ut usus concedatur gratis, secus esset locatio. Dixi *ad tempus determinatum,* secus de precario ageretur. Dixi *restituenda in individuo;* si enim daretur res (v. g. pecunia) cum facultate illam absumendi, et cum obligatione restituendi in aequivalenti, tunc mutuum esset.

3652. *Obligationes et iura, quae ex hoc contractu profluunt transeuntne ad haeredes?* Affirmative, ex regula generali, quae dicit: *Qui paciscitur, sibi haeredique suo paciscitur.* Si tamen pateret quod ad usum personalem solius commodatarii (prout saepe praesumitur) res commodata fuisset, eo defuncto, commodans eiusdem haeredibus usque ad tempus determinatum illam relinquere non teneretur. (*A.* 1807).

3653. *Commodatum fitne semper in solum favorem commodatarii?* Ut plurimum ita fit, sed non semper; interdum enim fit ad solam utilitatem commodantis (commodans, v. g. dat equum commodatario, quia cupit ut ad talem locum se conferat); et interdum fit in commodum utriusque (v. g., commodando equum socio pro negotio communi).

B.

De obligationibus commodatarii.

3654. *Quaenam sunt obligationes commodatarii?*

I° Debet adhibere rem commodatam solum ad usum et tempus, sive ex conventione expressa sive ex rei natura et circumstantiis, determinatum (*A.* 1808).

Recepisti, v, g. equum solum pro usu tuo (ut communiter praesumitur), vel solum pro itinere decem milliariorum, vel solum pro uno die. Non poteris

(nisi commodantis consensus praesumi debeat) illum aliis commodare, vel pro itinere aut tempore longiori retinere. Neque expectandum ut commodans advento termino statuto rem repetat. Commodatarius tamen (in conscientia) posset rem retinere ad se tuendum vel compensandum pro debito quod a commodante recuperare nequeat.

II. Debet rem commodatam non exponere periculis in concessione vel praesumpta commodantis voluntate non comprehensis; debet insuper diligenter illam positive custodire et conservare more boni patris familias, sub poena refactionis damnorum (*A.* 1808). Gradus autem diligentiae, ad quam tenetur commodatarius, est diversus iuxta diversam rei pretiositatem, et secundum quod in favorem solius commodantis, vel utriusque vel solius commodatarii (iuxta dicta *n.* 3653), res ipsa commodata fuerit. In tertio enim casu diligentia debet esse valde maior quam in secundo, et in hoc maior quam in primo.

III. Debet sustinere de proprio expensas ordinarias, quae pro usu et conservatione rei commodatae necessariae sint (*A.* 1813).

Tibi v. g., commodato equo, debebis *de proprio* non solum cibum ei suppeditare, sed etiam (quatenus opus esset) ei soleas ferreas reficere, vel parvi pretii medicinam praebere etc. Nihil dico de expensis, quas commodatarius ad melius re utendum voluntarie sustinuisset.

Aliud est, excepto pacto speciali, de expensis extraordinariis, quae necessariae evasissent. Tunc deberet tempestive admonere commodantem. Si tempus non suppeteret, iuxta interpretativam eiusdem voluntatem, pro illo utile negotium gerere deberet, quin tamen nimio incommodo, aut periculo expensarum refusionem non obtinendi, se exponere teneatur.

Dixi *excepto pacto speciali;* quod potest etiam esse tacitum, ut statim (*n. seq.*) explicabitur.

3655. *Debetne commodatarius de deterioramentis vel de interitu rei commodatae respondere?* Negative secluso pacto speciali, et si mere ex usu concesso, seu naturaliter, haec provenissent. Affirmative e contra 1° Si deterioratio vel interitus accidisset sive ex culpa vel negligentia commodatarii, sive dum res ultra limites concessos adhiberetur aut detineretur, ita ut casus non accidisset, si commodatarius muneri suo satisfecisset. 2° Si de antistando deterioramentis vel etiam interitui pactum speciale intercessisset; quod, si res tradita fuisset aestimata, tacite adesset relate ad deterioramenta; non vero relate ad interitum (intellige in conscientia; ius civile enim contrarium statuit).

3656. *Quid si, ingruente periculo depraedationis vel incendii etc., commodatarius, potiusquam rem commodatam, propriam*

in tuto collocaret, eo quod utramque salvare nequiret? In his casibus lex civilis (*A.* 1810) damnat commodatarium, sed in conscientia sequenti modo distinguendum est:

Si commodatarius exponeret, v. g. depraedationi, rem commodatam, ut res propria a latronibus non inquireretur et sic incolumis remaneret; tunc certe re commodata non iam uteretur sed abuteretur, et proinde iniustus esset. Excipe nisi res illa valde vilior foret atque intentionem commodantem compensandi haberet.

Si autem non adhiberet rem alienam ad salvandam propriam; sed v. g. incendio ad utramque appropinquante, ipse rem propriam in tuto collocaret, minime peccaret; ex eo enim quod aliam habet, non amittit ius salvandi propriam, et aliunde (ut supponimus) utramque salvare nequit; nec tenetur cum magno detrimento suo rei commodatae curam habere. Excipe nisi rei propriae iactura non magnum damnum constitueret, aut de compensatione tutus esse posset.

3657. *Quid si fur rem furto ablatam alteri commodaret?* Commodatum non teneret in praeiudicium domini; teneret vero quatenus dominus non esset invitus contra commodatarium et quatenus fur ius haberet rem repetendi, ut illam domino restitueret.

3658. *Quid si commodatarius remisisset rem ad commodantem per tertiam personam, quae illam deteriorasset vel sibi retinuisset?* Ad nihil teneretur, non solum si dicta persona a commodante designata fuisset, sed etiam si quoad illius electionem in culpa (theologice gravi) non fuisset.

3659. *Quid si res (v. g. vectura) pluribus simul commodata fuisset?* Tunc unusquisque in solidum teneretur.

C.

De obligationibus commodantis.

3660. *Quaenam sunt obligationes commodantis?* Debet 1° admonere commodatarium, si forte res commodata ex vitio occulto ei inutilis vel noxia futura fuisset, unde prius cautelae essent adhibendae; *adiuvari quippe nos, non decipi, beneficio oportet.* Idem dic si res fuisset aliena, cum periculo ne dominus cum damno commodatarii, illam repetiturus esset. 2° Non repetere rem commodatam ante tempus constitutum. 3° Compensare commodatarium, si forte expensas extraordinarias pro illa conservanda, (utile negotium gerendo) sustinere coactus fuisset.

3661. *Si commodans ante temporis finem re sua indigeret, possetne, commodatario invito eaque indigente, illam praetendere?* Difficile illam praetendere poterit. Meo sensu sic distinguendum est:

Si commodans re sua indigeat leviter, vel (quamvis cum aliquo incommodo) expectare, aut aliter sibi consulere possit; tunc rem suam praetendere nequibit; in commodato enim datur usus rei usque ad certum tempus, et commodatarius hoc iure innixus negotia sua tranquille disponit; unde iam manifeste iniuria ei inferretur si ex quavis levi causa (perinde ac si de precario ageretur) quod ei datum fuit repeteretur.

Si commodans re sua indigeat quidem graviter, sed casum praevidisset et siluisset, tunc quoque rem praetendere non posset. Si vero casum non praevidisset, tunc posset illam praetendere cum levi damno commodatarii, in contractus enim celebratione talis fuisset certe interpretativa voluntas utriusque. Sed quid si commodatarius grave damnum subiturus esset (agitur, v. g., de dolio quod restitui nequiret nisi totum vinum in terram deiiceretur; vel de trabe quae murum fulciret, et restitui non posset, quin ruina domus sequeretur)? Commodatario favendum esset si commodans in culpa fuisset, quia v. g. tempestive poterat vel necessitati suae aliter providere, vel admonere commodatarium ut aliquo modo sibi consuleret etc. Si vero commodans in culpa minime fuisset, tunc rem suam praetendere poterit saltem si commodatarius illam acceptasset cum interpretativo consensu eandem restituendi in tali casu, quatenus iam inde ab initio expositus fuisset damno certo, quod solum per rem commodatam evitare potuisset; tunc enim, non obstante timore eandem amittendi, illam acceptasset, eligendo scilicet damnum incertum, ad evitandum certum. Etsi autem a parte commodatarii huiusmodi interpretativus consensus non adfuisset, favendum videtur commodanti si eius damnum gravitate et certitudine praeponderaret. Caeterum solutio casus difficilis admodum foret, quia hinc inde militant rationes et Doctorum auctoritates (*Cf. Praxis n.* 2196). Ego dicerem commodantem posse quidem rem suam petere, sed non violenter illam sibi vindicare; commodatarium autem posse recusare et stare iuri civili (*A.* 1816), quod decisionem iudici remittit. Si non suppeteret tempus recurrendi ad iudicem, infortunium commodantis esset.

§ IV.

De precario.

3662. *Quid est precarium?* Est rei alicuius ad usum concessio revocabilis ad nutum. Parum itaque differt a commodato. Concessio potest esse expressa et tacita. Qui rem precariam dat *concedens*, qui recipit *concessionarius* appellatur. Precarium subsistit etsi determinetur tempus,ultra quod concessionarius rem retinere nequeat, dummodo concedens antea quoque illam repetere possit. Contractus iste ut plurimum est gratuitus; sed non repugnat quod ex pacto speciali sive expresso sive tacito aliquid rependi debeat.

3663. *Quaenam res possunt esse obiectum huius contractus?* Etsi ordinarie agatur de rebus mobilibus, tamen res immobiles quoque, v. g., cubiculum, domus, villa, usus putei, transitus etc., precarie concedi possunt. Idem dic de servitio personali, de facultate, de privilegio etc.; dummodo semper id quod conceditur, ad nutum concedentis revocari valeat.

3664. *Quaenam sunt iura et obligationes concedentis et concessionarii?*

I. Concedens, etsi ius habeat repetendi rem suam quando voluerit, ut dixi, hoc tamen discreto modo intelligi debet. Si quis, v. g., domum aut villam hodie concessisset, equidem non posset cras exigere ut concessionarius (qui familiam et mobilia illuc transtulerit) statim discedat, nisi forte ex casu impraeviso et magna ratione id necessarium evasisset.

II. Concessionarius ex iustitia et sub poena refactionis damnorum debet rem precariam custodire, atque ita servare, ut, quandocumque repetatur, illam restituere possit. Quid enim si quis, horologio precarie accepto, cum illo in Americam se conferret?

III. Morte concessionarii precarium cessat quia censetur beneficium concessum personae. Hoc etiam discreto modo intelligi debet: considerandae sunt circumstantiae, et certe restituendi obligatio non adesset, si concedens de secuta morte conscius, adhuc nihil repeteret. Morte concedentis precarium non cessat, nisi illius haeredes rem repetant.

IV. Caeterum quae dicta sunt de commodato, ad precarium applicari debent.

§ V.

De deposito.

A.

De natura depositi.

3665. *Quid est depositum?* Contractus quo quis rem tradit alteri ad custodiam. Ille *deponens*, iste *depositarius* appellatur.

3666. *Quaenam sunt depositi distinctiones?* Depositum est *purum* si depositarius accipiat rei custodiam gratis et sine iure ad eiusdem usum. Est *mixtum* si depositario detur merces, vel concedatur usus etc. Est *voluntarium* si sponte fiat. Est *necessarium* si fiat necessitate cogente, dum v. g. apud nautam cauponem, aurigam, stabularium etc., res deponuntur, vel propter incendium, ruinam, direptionem, naufragium aliudve infortunium impraevisum, depositum fit; quo casu *miserabile*, dici solet.

3667. *Quid si res, quae vult deponi, apud depositarium iam existeret?* Tunc depositum sola acceptatione perficeretur; in aliis vero casibus solus consensus (etsi expressus) non sufficeret, sed traditio exigeretur; non enim est contractus consensualis (ut promissio, venditio etc.), sed realis (ut commodatum, mutuum etc.). *A.* 1837.

3668. *Quodlibet depositum potestne fieri solis verbis?* Si sit necessarium, affirmative (*A.* 1348); si vero esset voluntarium, videndum an excedat valorem 500 Fr., quo casu civiliter non recognosceretur, nisi in scriptis celebratum fuisset. (*A.* 1341).

3669. *Quaenam res deponi possunt?* Quaelibet res mobiles, etsi essent primo usu consumptibiles (ut pecunia), dummodo (in deposito puro) earundem usus non concedatur. Si ad custodiam consignaretur res immobilis, v. g. domus, contractus huiusmodi mandatum diceretur, sed in substantia deposito aequivaleret.

3670. *Quinam potest deposita facere?* Non solum qui rei proprietatem aut usum liberamque administrationem habet, sed quodam modo etiam fur, minor, aut alia persona incapax; quatenus scilicet qui rem a personis huiusmodi in depositum recipit, ad illius custodiam obligatus remanet, ita tamen ut domini vel legitimi administratoris iura salva persistant.

3671. *Quinam potest esse depositarius?* Quisquis contractus celebrandi capax sit. Religiosus sine licentia Praelati depositum acceptans, male facit; non tamen contra votum paupertatis delinqueret, si sisteret in deposito puro et nihil iuris vel emolumenti reciperet.

3672. *Quid de depositi acceptatione?* Ut quis depositarius reddatur, exigitur ut rem acceptet in custodiam, nec sufficeret si mere commodaret locum, ubi res relinquatur. Acceptatio potest etiam esse tacita, ut puta, si res tradatur ei qui ratione officii res custodire tenetur, prout in notariis, advocatis, cauponibus, nautis, vectoribus, stabulariis etc. contingere solet; dummodo nihil in contrarium protestati sint. Quaedam tamen adminicula facile exiguntur v. g., ut res non in vestibulo (praesertim caupone non vidente), sed in cubiculo designato, deponatur. Sed haec melius explicabuntur infra (*n.* 3679).

B.

De obligationibus depositarii et deponentis,

3673. *Ad quid tenetur depositarius?* Debet 1° Rem custodire; 2° illa (si depositum sit purum) non uti; 3° si clausa consignata fuisset, investigationes circa illam non facere (*A.* 1847); 4° illam restituere deponenti, aut tradere cui debetur.

3674. *Quid de rei custodia?* Depositarius ad custodiam 1° tenetur sub poena refactionis damnorum: 2° tenetur magis rigorose si mercedem recipiat, aut si de re valde pretiosa vel momentosa agatur.

3675. *Quid de obligatione non utendi re deposita?*

I. Depositarius uti nequit re deposita; nisi expressus vel praesumptus deponentis consensus interveniat (*A.* 1846).

II. Si illa uteretur contra deponentis voluntatem, peccaret plus vel minus iuxta circumstantias. Furti malitiam contraheret; minus tamen quam in aliis furtis. Usu secuto, usus ipsius pretium (seclusa deponentis condonatione) solvere teneretur. Intellige si mala fide processisset; secus enim teneretur solum quatenus ex usu factus fuisset ditior. Teneretur denique, stante mala fide, resarcire damna (si quae ex tali usu provenissent), dummodo non prorsus impraevisa fuissent (*Cf. n.* 3173). Si ex usu indebito lucrum sibi procurasset, non teneretur illud domino restituere; postquam enim ei dederit rem suam et pretium usus, reliquum censetur esse fructus industriae, quam nomine proprio

et pro se (non vero pro domino) praestare intendisset. Denique si credidisset quidem dominum esse invitum de usu, sed reapse invitus non fuisset, tunc peccasset, ratione malae fidei, sed quoad restitutionem perinde esset ac si iuste prorsus et bona fide processisset; falsa enim existimatio rei veritatem non mutat.

3676. *Quid de obligatione rem depositam restituendi?* Haec quaestio quinque quaestiones comprehendit; scilicet 1° Estne semper restituendum; 2° Quid restituendum; 3° Cui restituendum; 4° Quando restituendum; 5° Ubi restituendum?

a) Estne semper restituendum? Negative; excipiendi sunt enim casus, in quibus depositarius aut deprehendisset rem esse suam (*A.* 1861), aut in conscientia ius haberet cum illa se compensandi, aut denique illam amisisset sine culpa, neque fuisset in mora; aliud enim esset si in mora fuisset, qua seclusa, apud dominum non periisset. (*A.* 1845. 1298).

b) Quid restituendum? Depositarius restituere debet 1° rem ipsam quam accepit in individuo, nisi (ad modum mutui) facultatem habuisset illam destruendi vel alienandi atque adeo restituendi in aequivalenti. Sufficit autem si illam restituat in eo statu in quo tunc erit, quin teneatur de deterioratione quae forte absque sua culpa accidisset. 2° Fructus qui forte a re deposita provenissent atque ab illo recepti fuissent. Iuxta legem civilem deberet quoque solvere fructus pecuniae (si deposita fuisset pecunia) a die morae. 3° Si bona fide (prout potest contingere in haerede qui de deposito nihil sciret) rem depositam vendidisset, deponenti tradere deberet pretium, quatenus subsisteret in se vel in aequivalenti. 4° Si per vim res deposita ei ablata et pro illa aliquid datum fuisset; tunc quod recepisset deponenti dare deberet.

c) Cui restituendum? Regulariter deponenti vel ei cuius nomine res deposita fuit; eoque mortuo, eiusdem haeredibus. Dixi *regulariter;* interdum enim danda est tutori vel administratori (quia, v. g., deponens tempore restitutionis non amplius suorum bonorum liberam administrationem haberet), et interdum personae designatae, quae illam recipere debeat pro deponente ipso, quod intelligitur dummodo ille adhuc vivat; secus enim non personae designatae, sed haeredibus defuncti, danda esset.

Si res deposita esset certe vel dubie furtiva, depositarius illam dare deberet domino si esset furti complex; secus deponenti, saltem ordinarie. Ut, seclusa complicitate, illam dare deberet domino, oporteret ut vel iudicis sententia interveniret, vel depositarius consentiret; si enim illam traderet domino,

molestiis et periculis se exponeret, ad quae evitanda utique potest remittere rem in statu quo prius erat, neque, ut dominus illam habeat, incommoda huiusmodi subire tenetur. Confirmatur ex eo quod emptor rei furtivae potest illam restituere furi ad recuperandum pretium.

d) Quando restituendum? Ordinarie ad libitum deponentis; etsi tempus (quod forte praefixum fuisset) nondum praeteriisset; in gratiam enim deponentis, non vero depositarii, praefigi solet. Dixi *ordinarie,* aliquando enim deponens ad restitutionem ius non haberet, ut puta, si nollet solvere mercedem depositario forte debitam, vel recusaret illum compensare pro expensis aut damnis toleratis, vel furore praeoccupatus vellet hic et nunc re deposita (v. g., ad se vel alium interimendum) abuti, aut demum si sequestrum iudiciale intercessisset. Aliquando e contra deberet acceptare restitutionem ad libitum depositarii, qui nec expresse nec tacite se obligasset ad rem tenendam usque ad tempus determinatum; et, quatenus determinatum fuisset, ante termini adventum si ex casu impraeviso custodia depositi nimis incommoda vel damnosa ei evasisset.

e) Ubinam restituendum? Ordinarie in domo depositarii, ad quam se conferre debebit deponens ad rem suam accipiendam. Dixi *ordinarie,* nempe secluso pacto speciali etc.

3677. *Quaenam sunt obligationes deponentis?* 1° Acceptare restitutionem vel permittere retentionem rei depositae, quando depositarius ius habeat illam restituendi vel retinendi (ut supra). 2° Illum compensare non solum de expensis, sed etiam de damnis toleratis, ut puta, si animal in depositum datum depositarii animalia infecisset, aut si fures, ad capiendam pecuniam depositam, depositarii ipsius scrinium fregissent.

C.

Notantur aliqua in particulari de deposito mixto.

3678. *Quinam contractus deposito admisceri possunt?* Admisceri potest 1° *Secretum* promissum vel commissum; 2° *Locatio operae,* si nempe depositarius exigat mercedem pro custodia; 3° *Assecuratio*, si nempe depositarius se obliget ad compensandum deponentem de rei interitu vel deterioratione, quamvis ex propria culpa vel negligentia infortunium non accideret: 4° *Commodatum* vel *mutuum*, si deponens concedat gratuito ut depositarius uti possit re deposita primo usu non consumenda (v. g. veste, equo, etc.), vel primo usu consumenda

(v. g., pecunia, tritico etc.); 5° *Locatio rei* vel *concessio ad foenus*, si pro dicto usu pretium vel foenus exigatur.

3679. *Quandonam practice accidit depositum mixtum cum locatione operae et assecuratione?* Accidit praecipue quoad res quae in publicis diversoriis (*it. locande*) deponuntur, quatenus vel cauponi (*it. al locandiere*) expresse traditae, vel in cubiculis ibi conductis collocatae fuerint. Assecuratio tamen, quam caupo tacite adpromittit, respicit solum casum furti, et quidem sub duabus conditionibus, scilicet 1° ut non acciderit vi maiori; 2° ut deponens gravem negligentiam non adhibuerit. Casus gravis negligentiae esset, v. g., si, advenientibus aliis viatoribus in cubiculo, pecuniam in capsa non recondisset; aut, discedendo, cubiculum apertum reliquisset, dum clavi illum obserare debuisset.

3680. *Ut censeatur concessus usus gratuitus rei depositae, exigiturne semper licentia expressa?* Negative; sed licentia tacita, imo etiam praesumpta seu interpretativa, sufficit. Casus huiusmodi facile accidit 1° Si res, ea utendo, deterior minime fieret, et multo magis si sic tutius et melius conservaretur. 2° Si pecunia non clausa traderetur, sed in manibus depositarii numeraretur, dummodo, cessante tempore depositi, ille certe et absque ulla difficultate tantundem restituere possit. Idem dicunt de tritico mensurato, oleo, aliisque similibus rebus, dummodo tantundem eiusdam bonitatis et quantitatis in promptu certe futurum sit. Caute tamen in huius doctrinae applicatione est procedendum, et imprimis notandum quod sola numeratio aut mensuratio non sufficit, ut huiusmodi licentiae praesumptio constituatur; forte enim id factum fuit tantummodo ut pateat quantum tradatur, et de quanto ratio reddi debeat. Peccatum tamen, deficiente praesumptione sufficienti, non semper erit mortale. 3° Si impraevisa aliqua necessitas re commodata utendi, aut illam commutandi etc. suboriretur. In casu autem commutationis, quae sic ex interpretativa licentia deponentis fieret, depositarius vere evaderet dominus rei depositae momento ipso quo illam commutat.

Casus. Quidam in navi afferebat capsas multas sacchari suas, et alienas ab amico suae fidei commissas. In quadam autem insula in itinere ob metum piratarum voluit suas distrahere, et pretium in patriam mittere. Cum autem suae capsae essent in profundo navis sub capsis in depositum acceptis, nec possent sine maximo labore extrahi, totidem ex istis sibi applicavit et suo nomine vendidit, cum intentione dandi suas eiusdem ponderis et valoris amico. Postea navis capta fuit a piratis. Utique ille nullam iniustitiam commisisset, nihilque amico restituere deberet.

3681. *Quando concessus fuerit usus rei depositae, remanetne in deponente facultas illam repetendi pro lubitu suo?* Affirmative. Excipe nisi determinatum fuisset tempus non solum pro deposito (in favorem deponentis), sed etiam pro usu (in favorem depositarii). Quod autem usus vere concessus fuerit usque ad tale vel tale tempus, colligi potest nedum ex verbis manifestis; sed etiam ex natura usus, vel ex quantitate pretii, si forte pro usu pretium constitutum fuisset.

3682. *Concessa facultate utendi re deposita primo usu consumptibili (v. g. pecunia), quandonam illa transibit sub dominio depositarii, atque adeo eius periculo stabit? Et, si foenus solvendum sit, quandonam ei decurrere incipiet?* Quando ad utendum illâ se determinat, et reapse ad eiusdem usum proxime se disponit.

§ VI.

De sequestro.

3683. *Quid et quotuplex est sequestrum?* Contingit quando res aliqua, non ad meram custodiam, sed ad tuendum aliquod ius de quo litigatur, apud tertiam personam deponitur. Si fiat privata litigantium conventione, dicitur *conventionale*; si iudicis sententiâ, *iudiciale*. Qui rem sic in custodiam acceptat, *sequestratarius*, vel *sequester*, vel *custos*, vel (si ageretur de re immobili) *oeconomus* appellatur. Litigantes in sequestro conventionali dicuntur *sequestro subiicientes;* qui sequestrum iudiciale faciunt vel fieri mandant, *sequestrantes* appellantur. Sequestrum distinguitur a pignore, quia pignus nullum litigium supponit, atque ut plurimum (etsi non semper) ipsi creditori datur. Distinguitur ab illa specie depositi quod fieret quidem apud tertiam personam, sed neque propter litem, neque iussu iudicis, bene vero aliis de causis, v. g., propter sponsionem (*it. scommessa*), pignus etc. Distinguitur etiam a praecepto de non solvendo, quod contingit quando tuo debitori iudex praecipit ne interim tibi solvat quod debet. Attamen praeceptum de non solvendo adeo assimilatur sequestro, ut in vulgari sermone dicatur, quod tunc debita sequestrantur.

3684. *Quaenam res sequestrari possunt?* 1° Non solum res mobiles, sed etiam res immobiles. 2° Iure civili quaedam res sequestrari nequeunt; cuiusmodi sunt pretia constituta pro operibus publicis; item (nisi pro debitis erga Statum, et pro

alimentis, quae genitoribus vel filiis necessario suppeditanda sint) stipendia militum et pensiones officialium civilium. 3° Iure canonico sequestrari nequeunt res Ecclesiae sine debitis facultatibus etc.

3685. *Quotupliciter peccari potest in sequestro iudiciali indicendo?* Tripliciter; 1° Ex defectu iustitiae (si nempe sequestrarentur res illius, qui iam manifeste nullum debitum haberet); 2° Ex defectu necessitatis (si nempe ad ius tuendum non adesset necessitas hoc medium damnosum et ignominiosum adhibendi); 3° Ex defectu auctoritatis.

3686. *Potestne dari casus, in quo quis privata auctoritate per vim cogere possit debitorem suum ne cum rebus sibi debitis fugam arripiat?* Affirmative, dummodo debitor ex una parte de tali fuga esset ad minus graviter suspectus, et ex alia statim nullaque interiecta mora ad iudicem deduceretur.

3687. *Quaenam sunt obligationes sequestratarii?* Nemo tenetur acceptare hoc officium. Qui autem illud (sive gratis sive cum mercede) acceptaverit, sequentes habet obligationes:

I. Debet custodire diligenter (et multo magis si merces ei decurreret) rem sibi traditam. Quatenus autem opus sit, debet etiam actus administrationis circa illam complere, v. g., fructus colligendo, restaurationes necessarias peragendo, locationes renovando etc. (nisi aliqua ex parte aliter conventum fuisset). Non tamen est de essentia ut sequestratarius rem apud se ita detineat, ut primus eiusdem possessor prorsus excludatur; interdum enim sufficere potest si, illâ ubi prius erat relictâ, sponsorem (*it. garante*) se constituat.

II. Nequit ad proprios usus rem ipsam adhibere (iuxta dicta de deposito), neque eiusdem fructus sibi applicare.

III. Nequit (secus ac forsan in deposito *n.* 3676 *d*) cessare ab officio suscepto pro lubitu suo; sed debet rem detinere et custodire donec iudex illam revocet, vel (in sequestro conventionali) donec appareat ad quem spectet, aut donec consensu omnium interesse habentium ab illa detinenda liberetur. Dixi *consensu omnium interesse habentium;* non enim sufficeret si unus dumtaxat, et interdum nequidem si uterque consentiret; si nempe alii (interesse habentes), ut perduraret, iuridice exigerent. Obligatio tamen rem detinendi, ut supra, non extenditur ad casum in quo, urgente necessitate (v. g., infirmitatis, diuturnae absentiae etc.) sequestratarius ab officio suscepto cessare cogeretur; tunc enim pro liberatione ad iudicem recurrere posset.

IV. Munere suo finito, rem (ut per se patet), dummodo pro mercede forte debita et pro expensis toleratis ei satisfactum fuerit, restituere debebit.

§ VII.

De mandato.

A.

De natura mandati.

3688. *Quid est mandatum?* Contractus, quo quis *se obligat* ad exequendum negotium *nomine alterius*, a quo commissionem accepit. Dixi *negotium,* si enim deberet solum loqui nomine alterius, seu deferre notitiam, tunc non de mandato sed de nuntio ageretur.

Qui commissionem dat, *mandans;* qui ad illam exequendam se obligat, *mandatarius* appellatur. Mandatarii iuxta diversas commissionum species diversis nominibus indigitantur; unde, v. g., qui mandatum habent ad lites, *procuratores*: qui ad merces emendas aut vendendas, *proxenetae* vel *commissionarii*; qui mercatorum vices notorie gerunt, *institores* dici solent.

3689. *Quotuplex potest esse mandatum?* 1° Speciale; 2° generale; 3° absolutum (it. *con foglio in bianco*); 4° restrictum vel conditionatum; 5° expressum; 6° tacitum (quod intervenit quando quis negotia alterius gerit, eo vidente et non contradicente). Interdum mandatum est expressum, et acceptatio tacita aut praesumpta. Tacita esset, si quis, accepto mandato, loco expresse acceptandi, illud exequi inciperet. Praesumpta, si, dato mandato per litteras, mandatarius nihil in contrarium respondisset, dum si non acceptaret respondere deberet.

3690. *Mandatum estne contractus gratuitus, an vero onerosus?* Solet esse gratuitus; sed potest etiam esse onerosus, ita ut scilicet mandatarius mercedem habere debeat. Attamen, si de mercede rependenda nec expresse nec tacite promissio facta fuisset, mandatum gratis susceptum fuisse censeretur,

B.

De requisitis ut mandatum sit validum.

3691. *Quid exigitur ut mandatum valide fiat?* 1° Ut mandans posset valide exequi per se ipsum rem mandatario com-

missam, qui enim per alium facit, per se ipsum facere censetur. Si itaque nequiret, v. g., valide emere vel donare etc., ne per mandatarium quidem emere vel donare posset. 2° Exigitur ut agatur de re licita; unde mandata, v. g., de turpi lenocinio vel de delictis, non tenent. Attamen quoad mercedem solvendam, executione secuta, vide dicta *n.* 3293. 3° Exigitur ut mandatarius ad tale vel tale mandatum acceptandum inhabilis iure positivo redditus non fuerit, prout contingere potest in uxore sine consensu mariti (*A.* 1743). Notandum tamen quod personae iure positivo incapaces ad celebrandos contractus pro se, non ideo sunt incapaces ad illos celebrandos pro aliis; unde eorundem actus valere possunt; etsi forte mandans actionem contra illos habere nequeat, si promissis non starent, aut rationem reddere renuerent (*A.* 1743).

C.

De obligatione et facultate mandatarii.

3692. *Quaenam sunt obligationes mandatarii?* Debet 1° exequi mandatum; 2° reparare damna si muneri suo deficeret; 3° rationem reddere, quatenus opus sit; 4° mandati fines contra voluntatem mandantis non praetergredi.

3693. *Quid de mandati executione?* 1° Mandatarius debet exequi mandatum totaliter et diligenter sub poena refactionis damnorum. 2° Excusaretur tamen si iustum impedimentum ei superveniret, v. g. si gravia damna subiturus foret. Tunc tamen mandanti renunciationem suam significare deberet. 3° Debet etiam procedere fideliter, nec sibi applicare lucra quae reapse ad mandantem spectent; qua de re vide dicta (*n.* 3402 3407). 4° Quamvis mandatum regulariter expiret morte mandantis; tamen, re non integra, si nempe tunc negotium esset incaeptum, illud ad finem ducere teneretur, casu quo ex interruptione periculum sequeretur.

3694. *Quid de damnorum reparatione?* 1° Ad illa tenetur non solum si ex dolo sed etiam si ex negligentia vel imprudentia culpabili damna obvenerint (v. g., tempestive credita non exigendo etc.). 2° Maiori rigore, et propter minorem negligentiam, teneretur si non gratis sed ex stipendio congruo mandatum suscepisset.

3695. *Quaenam sunt facultates mandatarii?* I. Distinguendum est inter mandatum universale et mandatum speciale; et

circa mandatum universale notandum quod intelligi debet de administratione, non vero de facultate alienandi aut hypothecae subiiciendi, nisi expresse concessa fuerit (*A.* 1741). Si autem alienatio quoque permissa fuisset, sub hoc nomine nec donatio, nec gratuita extinctio hypothecae aut remissio pignoris, intelligeretur. II. Mandatarius regulariter potest alium sibi substituere; sed de gestis ab illo respondere debet in duobus casibus: 1° si facultas alium sibi substituendi ei expresse concessa non fuisset; 2° si concessa quidem fuisset, sed sine designatione personae, et substitutum notorie inidoneum elegisset (*A.* 1748).

D.

De obligationibus et iuribus mandantis.

3696. *Quaenam sunt obligationes mandantis?* Tenetur 1° exequi obligationes erga tertios contractas a mandatario iuxta mandatum; 2° Refundere mandatario summas solutas et expensas pro mandati executione factas; pro summis autem solutis tenetur etiam refundere interesse legale a die factae solutionis (*A.* 1755); 3° Solvere mercedem expresse aut implicite promissam. Mandans haec omnia praestare deberet mandatario, quamvis (seclusa tamen culpa ei imputabili) res malevertissent, et (intellige, mandato non revocato, et quoad mercedem, operâ praestitâ) effectus intentus obtineri non potuisset; aut quamvis expensae potuissent esse minores; dummodo prorsus exorbitantes et mala fide factae non fuissent (*A.* 1753). 4° Iure civili tenetur compensare mandatario damna occasione executionis mandati et sine eius culpa ei forte obventa: v. g., si, iter agendo, a latronibus spoliatus fuisset, vel equi iacturam fecisset (*A.* 1754). Sed iure naturae et in conscientia non est ita, speciatim si mandatarius mercede conductus fuisset. 5° Si plures personae pro communi negotio mandatum dedissent; tunc singulae quoad praedicta in solidum tenerentur,

3697. *Quid si mandatarius fines mandati praetergressus fuisset? Quaenam essent iura aut obligationes mandantis in tali casu?* Aliud est relate ad mandatarium, et aliud relate ad tertios, qui cum illo contraxerunt.

Relate ad mandatarium, mandans non tenetur recognoscere id quod fecerit ultra fines mandati. Attamen debet recognosere partem mandato conformem, si res sit divisibilis, ut puta, si mandatarius, iussus fideiubere pro centum, fideiusserit pro cen-

tum et quinquaginta; tunc enim fideiussio quoad centum recognosci deberet. Dantur etiam casus in quibus mandans recognoscere debet excessum; nempe 1° si, videndo et tacendo, illum ratum habuerit; ratihabitio enim aequivalet mandato; 2° si mandatarius pro casu necessitatis, atque ad gerendum utiliter negotium mandantis, ita se gessisset; 3° si fines mandati praetergressus fuisset non quoad substantiam (emendo v. g. non fundum designatum sed alium); sed solum quoad modum (ut puta, si rem pluris emisset, aut minoris vendidisset), dummodo tamen damnum compensaturus esset.

Relate autem ad tertios, mandans recognoscere deberet facta mandatarii sui, etsi dolose fines mandati praetergressus fuisset, toties quoties sive expresse sive tacite (v. g. institorem vel ministrum suum ad emendum et vendendum notorie illum instituendo) fidem ei esse praestandam significasset.

3698. *Quid de iure mandantis quoad revocationem mandati?* Mandans ius habet revocandi mandatum pro libitu suo, et cogendi mandatarium ad ei restituendum chirographum mandati. Hoc intellige, salvis (si quae sint) iuribus tertii, aut mandatarii ipsius. Si autem mandatarius revocationi non obtemperaret; tunc mandans ad reparationem damnorum, si quae exinde sequerentur, ius haberet. Electio novi mandatarii pro eodem negotio praecisè habet effectum revocationis, a die qua mandatario praecedenti significata fuerit. Dixi *pro eodem negotio praecise;* mandatum enim procurationis specialis non revocatur per mandatum procurationis generalis alteri datum; et istud derogaretur quidem per mandatum speciale, sed solum quoad partem procuratori speciali commissam.

3699. *Revocatio mandati habetne vim quoad tertios, qui, revocationem adhuc ignorando, bona fide cum putato mandatario contraxerint?* Negative. Tunc tamen mandans (ut supra dicebam) contra mandatarium ius haberet (*A.* 1759).

E.

De modis quibus extinguitur mandatum.

3700. *Quibus modis extinguitur mandatum?* 1° Revocatione (*n.* 3698); et si mandatum factum fuisset a pluribus pro negotio communi, oporteret ut etiam revocatio ab iis omnibus procederet. 2° Renuntiatione mandatarii, quae debet esse acceptata, aut saltem ex iustis motivis legitima. 3° Morte sive mandatarii, sive

mandantis, aut si alteruter bonis cesserit, aut interdictus, aut inhabilitatus fuerit.

3701. *Estne aliquid notandum circa mandati extinctionem propter mortem mandantis?* Secuta quoque morte (vel cessione bonorum etc.) mandantis, valent gesta per mandatarium 1° si illam ignoraverit, simulque bona fide alii cum illo contraxerint; 2° re non integra, si nempe negotium ex una parte iam sit incaeptum; et ex alia sine periculo interrumpi nequeat. 3° Mandatum factum potius in favorem mandatarii quam mandantis (v. g., in casu cessionis crediti cum facultate illud exigendi) non cessat morte mandantis. Idem dic de socio, qui ex mandato alterius socii administrationem habeat.

3702. *Estne aliquid notandum circa mandati extinctionem propter mortem mandatarii?* Haeredes, si mandati sint conscii, debent mortis secutae mandanti notitiam dare, atque interim (quatenus opus sit) pro rebus urgentioribus defuncti vices gerere (*A.* 1763).

§ VIII.

De utili negotiorum gestione.

3703. *Quid est utilis negotiorum gestio?* Est non contractus, sed quasi contractus mandato similis. Contingit quando quis, videndo necessitatem vel utilitatem procurandi negotium alterius, qui absens sit et facile interpellari non possit, vel sensibus sit destitutus, ex interpretativa eius voluntate, illud gerendum suscipit; ita tamen ut pro expensis necessariis animum donandi non habeat. Casus dantur speciatim occasione incendii, ruinae imminentis, infirmitatis dilationem non patientis, funeris etc., quando qui providere deberent longe absunt (ut dixi), maxime vero in consanguineis vel amicis, qui pro patre vel fratre vel amico absente, aut loqui non valente aut imbecilli aut in carcerem detruso etc., negotia gerunt, etsi ab eodem mandatum non habuerint. Casus esset quoque si quis rem furto ablatam vili pretio emisset, animo eam domino reddendi.

3704. *Quaenam sunt obligationes gestoris negotiorum?*

1° Debet negotium susceptum prosequi usque ad finem, nisi dominus superveniret vel admonitus sibi consulere posset; qui enim susceptum negotium suscepisset et deseruisset, sua ipsa intromissione (si pro effectu habuerit ut alii illud non susciperent) damnum attulisset. Gestionem autem prosequi deberet,

etsi forte dominus moreretur: donec scilicet haeredes negotii directionem sumere valerent. Haec tamen omnia intellige, nisi iusta de causa a negotii prosecutione impediretur; quo casu, ut alii illud susciperent, curare teneretur. Finito tamen negotio, aliud suscipiendi obligationem non haberet (ad differentiam tutoris vel curatoris), nisi forte esset ita connexum cum primo, ut sua intromissio efficeret ut alii de illo non curarent.

2° Gestor negotiorum consideratur ut mandatarius, et proinde obligationibus ad mandatarium spectantibus (iuxta dicta § *praec.*) subiicitur (*A.* 1141).

3705. *Quaenam sunt obligationes illius pro quo negotia gesta sunt?*

1° Debet indemnem reddere gestorem de omnibus expensis ab eo toleratis, ei etiam tribuendo *interesse legale* a die qua factae fuerunt (*A.* 1144).

2° Debet illum liberare ab obligationibus, quas forte ipsius negotii causa contraxerit; et satisfacere tertiis (*A. cit.*).

3706. *Quid si negotium gestum quidem fuisset, sed non utiliter?* Hac in re non debet considerari exitus, sed initium; et gestor ius habet ad indemnitatem, dummodo tempore quo expensae factae fuerunt, necessariae vel utiles iudicari debuissent, et dominus illas fecisset, si praesens fuisset. Sufficit scilicet ut *res sit utiliter caepta*, etsi, propter circumstantias impraevisas, postea bonus exitus secutus non fuisset.

3607. *Negotiorum gestori debeturne merces?* Ordinarie et in rigore negative; huiusmodi enim intromissio ut plurimum censetur beneficium gratuitum et sine intentione mercedis praestitum. Si tamen, inspecta qualitate personae et operae praestitae (ut puta, si faber murarius murum iam iam collabentem refecisset), animus gratis laborandi minime adfuisse praesumendus esset, tunc dominus mercedem petitam rependere deberet.

3708. *Quid si negotiorum gestor voluntatem domini bona fide quidem, sed male, interpretatus fuisset; et sic expensas fecisset, quas dominus facere noluisset, aut (propter pecuniae defectum) non potuisset?* Tunc negotiorum gestio in sensu legis non verificaretur; et dominus (gravatus magis quam subventus) expensas (nisi forte ex gestione illa factus fuisset ditior) refundere non deberet. A fortiori expensas refundere non teneretur, si inconsultae prorsus fuissent.

3709. *Quid de eo qui rem furtivam emisset vili pretio quidem, sed pro se?* Reddere deberet domino rem suam, nec

pretii refusionem exigere posset; negotium enim non domini sed proprium gerere intendisset.

3710. *Quid de eo qui curam habuisset rei alienae credendo esse propriam?* Ille quoque non esset gestor negotii alieni in sensu legis: sed iura haberet, quae possessoribus bonae fidei competunt, iuxta dicta (*n.* 3120 *et sqq.*).

3711. *Qui consanguineis suis (in absentia eorundem genitorum) alimenta vel pensionem subministrasset, possetne harum expensarum refusionem postea repetere?* Affirmative, nisi habuisset intentionem donandi, quae non praesumitur nisi probetur.

§ IX.

De secreto.

A.

De secreti natura.

3712. *Quid et quotuplex est secretum?* Secretum est notitia rei occultae et occultandae. Potest esse 1° Naturale; 2° promissum; 3° commissum; 4° imperatum; 5° sacramentale. *Naturale*: quando quis casu rescit aliquid occultum, quod oporteat ut non reveletur. *Promissum;* quando quis, postquam resciverit aliquid, rogatur a persona, cui ea de re secretum interest, ut silentium servet et ille silentium promittit. *Commissum*: quando alicui nihil scienti aliquid revelatur, sed praevio pacto silentium servandi. *Imperatum*: quando superior aliqua de re secretum praecipit. *Sacramentale* denique est sigillum confessionis.

Heic agitur solum de secreto, quatenus ad materiam contractuum pertinet, scilicet de secreto promisso et commisso. Attamen, circa secretum naturale, aliquid addendum remanet pro casu, in quo secretum aliquod illicite exploretur.

3713. *Quoad secretum promissum et commissum suntne faciendae aliae distinctiones?*

I. Utrumque posset esse *iuratum*. Item *totale* vel *partiale* secundum quod ex toto, cum omnibus, et in quovis casu servandum sit; aut secus.

II. Secretum commissum potest esse *expressum* vel *tacitum*. Tacitum est quando is cui revelatur, iam ex officio suo (v. g. consiliarii, secretarii, medici, chirurgi, obstetricis, advocati, theologi consulti, ducis exercitus, legati principis etc.) in rebus,

de quibus revelanti interest vel interesse potest ut occultae serventur, ad secretum tenetur.

III. Insuper (et hoc bene notandum) idem secretum commissum potest esse *necessitatis* vel *simplicis confidentiae.* Necessitatis: quando res revelantur ob magnam necessitatem sive ipsius secretum committentis (v. g. ad habendum consilium vel auxilium, vel ad levandas magnas animi sui angustias), sive secretum acceptantis, sive utriusque, sive aliorum. Simplicis confidentiae: quando, non subsistente magna necessitate, ad complacendum amico, vel ad signum confidentiae ei praebendum, vel etiam ex quadam levitate (prout faeminae inter sese facere solent) aliquid, praevio pacto secreti, manifestatur.

IV. In hoc secundo casu secretum per se non censetur esse magni momenti; unde bene potest vel levem tantummodo vel etiam nullam inducere obligationem illud servandi. Idem dic de casibus sequentibus: 1° Si utcumque res sub secreto commissa esset levis: 2° Si secretum commissum respiceret delictum non iam praeteritum, sed adhuc ab ipso committente consummandum; tunc enim, *si desistere nollet*, non esset dignus ut ei secretum servaretur; imo adesse posset obligatio secretum ipsum revelandi si hoc ad illud (aliis damnosum) impediendum utile esset. 3° Si secretum committens rem denuntiare, aut permittere ut alter illam denuntiaret, graviter teneretur; ita ut iam irrationabiliter prorsus secretum exigeret. Praxis (*n.* 2109).

B.

De malitia in secreti exploratione.

3714. *Quandonam exploratio secreti esset iniusta?* Sola voluntas qua quis nollet ut secretum suum ab aliis cognoscatur, non sufficit ut exploratio sit iniusta. Titius, v. g., facit et vendit pharmacum, cuius secretum diligentissime sibi reservat. Numquid nefas mihi erit analysim chimicam de illo instituere etc.? Ut itaque iniustitia interveniat, exigi videtur ut media de se iniusta sine iusta causa adhibeantur. Casus esse posset si quis secretum extorqueret dolo (non vero simplici calliditate), aut vi vel metu, aut violando ius proprietatis, ut puta, si epistolam sigillatam aperiret, aut chartas in loco clauso reconditas inquireret et legeret. Idem dic si epistola aut alia charta inveniretur quidem aperta, sed in loco qui solet esse clausus, quem tamen dominus casu aliquo apertum reliquisset. Dices: qui aperit epi-

stolam ad alium missam, sed non adhuc ad illum perventam, estne iniustus contra destinatarium, an vero contra scribentem? Resp. Contra utrumque: destinatarius enim ius ad rem, et scribens ius in re haberet.

3715. *Quid de eo, qui epistolam laceratam inveniens, illam colligeret atque coniunctis frustulis legeret, et sic secretum cognosceret?* Si epistola a domino suo proiecta fuisset extra domum, hac ipsa proiectione illius dominium a se abiecisset; idque verum esset, sive in minutissimis frustulis discerpta, sive parum fracta, sive etiam integra foret. Si tamen clausa et sigillata esset, voluntaria domini proiectio (nisi certo sciretur) supponi nequiret, sed credi deberet talem epistolam esse deperditam, atque adeo non transire sub dominio inventoris, nisi postquam dominum vel destinatarium inveniendi spes evanuisset. Si itaque epistola dominum non haberet, iam nulla interveniret iniuria, si colligeretur et legeretur. Si epistola lacerata in domo inveniretur, tunc dominus illius dominium conservaret. An autem iniustitia esset illam colligere, componere, et legere, decisio penderet a praesumpta intentione domini ipsius, inspectis circumstantiis, scilicet loco ubi invenitur, modo lacerationis, persona legente etc.

3716. *Utrum peccet contra iustitiam qui, ad scienda secreta, de industria auscultaret, dum alii (id non advertentes) sive elata sive submissa voce loquuntur; aut pueros aliasve personas simplices interrogaret; aut oculos in chartam apertam et in cubiculo alicuius sitam coniiceret; aut aliquem ad se inebriandum sollicitaret, sciendo quod ebrius secreta pandere solet etc.?* In his casibus strictae iustitiae laesionem non facile ponerem. Dico tamen 1° quod modi isti (ad minus propter curiositatem) sunt illiciti; 2° quod usus secreti cogniti non solum contra charitatem, sed etiam contra iustitiam (si ageretur de delicto occulto) esse posset.

C.

De malitia in secreti manifestatione.

3717. *Quomodo malitia in secreti manifestatione contingere potest?*

a) Qui secretum alicuius *iniuste exploratum* aliis manifestaret cum damno illius, iniustitiam iam commissam valde graviorem redderet, ut per se patet.

b) Si autem secretum *non iniuste exploratum* fuisset, tunc illius manifestatio posset quidem esse contra iustitiam vel charitatem, ut modo dicebam (*n.* 3716); sed interdum posset esse licita, etsi forte damnum (non iniuste illatum) alteri obveniret. Casu, v. g. audivisti colloquentes de thesauro sepulto in tali vel tali loco; et tu, ad illos (qui te non viderunt) praeveniendos, id revelas amico, cum quo ad thesaurum ipsum detegendum pergis.

c) Qui secretum *promissum* violat, peccat certe contra fidelitatem; et ordinarie (non vero semper) etiam contra iustitiam. Vide dicta *n*. 3572.

d) Qui secretum *commissum* violaret sine legitima causa, contra iustitiam semper delinqueret. In illo enim notitia datur quidem, sed veluti sigillata, ita ut ad illam revelandam aliis minime data fuerit; unde qui secretum sic excipit ius habet ad notitiam solum pro se, et proinde, si illam aliis revelaret, disponeret de re qua parte non est dominus, et sic iniustus esset. Adde quod in secreto commisso agitur de contractu oneroso, uno dante notitiam et alio silentii obligationem, qua seclusa, notitia data non fuisset.

D.

De malitia in secreti usu.

3718. *Quomodo malitia in secreti usu contingere potest?*

I. Aliud est secretum manifestare, et aliud secreto uti, v. g., ex illo occasionem sumendo aliquid agendi, quod, secreto non habito, factum non fuisset.

II. Secreto uti sine damno vel gravamine illius ad quem pertinet, certe licet; sed non item si ex usu damnum vel gravamen eidem obveniret: quo tamen in casu distinctiones fieri debent, scilicet:

a) Secreto commisso vel inique explorato uti non licet ad obtinendum illud ipsum lucrum, quod alter secreto suo obtinere intendebat.

Exempla. Audivi a Titio sub secreto commisso beneficium tali vel tali modo obtineri posse, et ego statim modum ipsum adhibui, et sic ego loco illius beneficium obtinui.

Medio iniusto exploravi secretum circa inventum soli inventori cognitum; et statim facere et vendere caepi res similes, utique cum lucro meo et magna lucri illius imminutione.

b) Facilius uti licet secreto ad damnum evitandum: nempe secreto commisso, ex praesumpto consensu illud committentis; et secreto inique explorato, iure quodam defensionis.

Exempla: Uxor Caii sub secreto commisso mihi dixit maritum suum esse debitis onustum et cessioni bonorum proximum: qua re audita, ego denegavi Caio mutuum, quod (seclusa tali notitia) ei fecissem. Nonne profecto ageretur de re nimis dura, quam dicta mulier serio expectare non posset?

Aperiendo epistolam Titii, quem pauperem et probum reputabam plurimumque adiuvabam, inveni illum paupertatem fingere et subventiones in vitiis insumere. Hinc ab eleemosynis ei faciendis cessavi, et vadimonium (quod seclusa tali notitia ei fecissem) denegavi. Profecto aperitio epistolae fuisset quidem iniusta a parte conscientiae, sed non a parte rei; nonne enim quodam iure defensionis illam aperire potuissem si de rebus in illa contentis dubium serium habuissem? (Cf. infra *n.* 3730).

E.

De gradu culpae in exploratione aut violatione secreti.

3719. *Quid de gradu culpae in exploratione aut violatione secreti?* Ad culpam gravem constituendam oportet ut de re gravi agatur, quatenus scilicet praesumendum sit, eum cuius secretum exploratur aut manifestatur, rationabiliter id valde aegre esse laturum; quod ex circumstantiis negotii, personae, modi, causae, finis etc., coniici debet. Habenda est quoque ratio qualitatis secreti ipsius; culpa gravis enim multo facilius in commisso quam in promisso secreto intervenire potest.

3720. *Eritne mortale rem gravem sub secreto commissam uni vel alteri viro probo sub eodem secreto revelare?* Negative ordinarie. Dico *ordinarie;* nam excipe 1° Si secretum detegeretur personae, cui creditur quod secretum committens specialiter voluerit celari. 2° Si ageretur de secreto gravissimo, cuius scilicet occultatio committenti adeo intersit, ut, si resciret unico viro (etsi probo et prudenti) fuisse revelatum, id aegerrime laturus foret. Interdum quippe ex una parte in aestimatione prudentiae errari potest, et prudentissimi quique aliquam imprudentiam committere possent; et ex alia adsunt secreta adeo momentosa, ut a quovis periculo etiam remotissimo quam maxime cavendum sit.

3721. Inferes ordinarie non esse mortalem explorationem secreti, etsi magni momenti, si explorator certus sit quod neque a parte sua neque a parte aliorum ullum nocumentum subsequi poterit.

F.

De causis excusantibus.

3722. *Quaenam causae, a malitia sive explorationis, sive manifestationis, sive usus secreti, excusant?* 1° Secreti invaliditas; 2° Consensus praesumptus illius cui secretum interesse posset; 3° Notitia, quae postea aliunde habita fuisset; vel iam publica evasisset; 4° Usus iuris sui; 5° Necessitas. Sed haec sunt explicanda.

3723. *Quid de secreti invaliditate?* 1° Secretum promissum esset invalidum, si quis iam teneretur ad revelandum, et promitteret non revelare; 2° Secretum commissum esset invalidum, si ad finem pravum (v. g., ad impune perpetranda delicta) dirigeretur. Exemplum habes in secretis coniuratorum, sectariorum, latronum etc. 3° Esset quoque invalidum si commissum quidem fuisset, sed ficte; si nempe de facto eiusdem revelatio committenti nihil intersit; prout saepe contingere solet quoad secreta mulierum, quae omnibus rem narrant et ab omnibus secretum exigunt.

3724. *Quid dé consensu praesumpto?* 1° Consensus praesumptus (eius cui interest) excusat in omnibus casibus, sive nempe de exploratione, sive de manifestatione, sive de usu secreti agatur. Casus esset, v. g., si personae quae secretum commisit, illud servare non amplius utile sed damnosum esset. 2° Attamen excusat solum si et qua parte consensus vere praesumi debeat. Puella, v. g , sub secreto revelavit se fuisse stupratam a tali vel tali viro. Illa certe sollicita erit ut violatio tolerata nemini significetur; sed contingere potest quod ipsa de secreto quoad dicti viri procacitatem non curet, et quod proinde eius consensus circa revelationem procacitatis eiusdem praesumi valeat. Idem dic quando subditus sub secreto revelat Superiori delictum alicuius; intentio enim deferentis est quidem ut ipse occultus remaneat; non vero ut Superior circa delinquentem nihil dicere possit. 3° In casibus gravioribus consensus debet esse non probabiliter sed certe praesumptus; et in casibus gravissimis vel nullo modo vel difficillime praesumi poterit.

3725. *Quid de notitia quae postea aliunde habita fuisset vel iam publica evasisset?* Notitia aliunde habita ordinarie ius dat ad eius usum (speciatim si iam publica evasisset, quia tunc obligatio secreti ordinarie inutilis redderetur). Dico *ordinarie,*

apponendae enim sunt duae conditiones. Prima est quod promissio secreti ad hunc quoque casum rationabiliter extensa non fuisset. Exemplum habes si res occultari vellet Titio, qui occasionem haberet loquendi fere solum cum Caio, et Caius promisisset ea de re nunquam fore locuturum cum Titio. Secunda est quod notitiae postea habitae fines non praetergrediantur, nec alia dicantur, quae forte non ad eandem notitiam, sed solum ad secretum (sive commissum sive promissum) spectent.

3726. *Quid de usu iuris sui?* Usus iuris sui excusare potest non solum manifestationem secreti (ut in casu praecedenti), sed etiam aliquando explorationem, si nempe mediis licitis exploretur; ut puta, si quis, ad explorandum secretum cuiusdam pharmachi, analysim chimicam de illo institueret, aut alias licitas inquisitiones faceret, ut *n.* 3714 innuebam.

3727. *Quid de causa necessitatis?* Non quaevis necessitas in quovis casu excusat; sed distinctiones fieri debent; et imprimis videndum quaenam necessitas explorationem, et quaenam manifestationem licitam reddant. Supposita autem necessitate, non plus explorari aut manifestari posset quam necessitas ipsa exigeret.

3728. *Quid de necessitate explorationis?* Persona versari potest in necessitate explorandi secretum aliquod (v. g., aperiendo epistolas, vel interdum minas et fortasse etiam aliquam poenam adhibendo) duabus de causis, scilicet 1° ad consulendum bono publico vel subditorum; 2° ad consulendum sibi ipsi. Sed haec recto sensu sunt intelligenda, et explicatione indigent.

3729. *Quid de exploratione secretorum ad consulendum bono publico vel subditorum?* 1° Casus dari potest in Ecclesia (ad detegendos, v. g., haereticos, aut confessarios sollicitantes); in Principibus vel Ducibus exercitus (v. g., occasione coniurationis aut belli); in Praelatis Regularium aut collegialium; in patribus quoad filios (et idem dic de tutoribus et paedagogis); in maritis respectu uxorum etc. 2° Ut tamen exploratio liceat, oportet ut vel in casu particulari, propter fundata indicia simulque rei gravitatem, vera urgeat necessitas; vel notorium sit (prout in quibusdam religionibus accidit) quod, propter regulam religiosi instituti aut consuetudinem, epistolae omnes aperiuntur. 3° Oportet etiam ut non agatur de epistolis, quae ad maiorem superiorem, aut ab eodem, mitterentur.

3730. *Quid de exploratione secretorum, quam quis faciat ad consulendum sibi ipsi?* Non ad quodlibet bonum proprium (etsi magnum) procurandum, aut ad quodlibet malum proprium

vitandum, licet modo de se iniusto (v. g , litteras aperiendo) secreta explorare ; si enim hoc concederetur, latissima licentia aperiretur expiscandi his modis secreta, ut rebus nostris consuleremus, cum nimio praeiudicio secretorum nimisque frequentibus turbationibus. Hoc itaque licebit solum quando huiusmodi exploratio ad iustam tui ipsius vel alterius innocentis defensionem necessaria esset, si nempe putares aut serio dubitares personam scribentem esse tibi valde noxiam, atque lectionem epistolae futuram tibi utilem ad te defendendum vel tuendum.

3731. *Loquendo nunc de manifestatione, quaenam necessitas manifestationem secreti licitam reddit?* Distinguendum est inter secretum promissum, et commissum.

3732. *Quaenam necessitas licitam reddit manifestationem secreti promissi?*

I. Venit imprimis obligatio legis ; si enim delictum a quocumque illius notitiam habente, iure naturali aut positivo revelari deberet ; nemo secretum eo usque promittere poterit, ut revelationem (ad quam iam tenetur) non exequatur; de re enim illicita promissio (quamvis esset iurata) non tenet. Hinc, non obstante secreto promisso, respondendum est iuxta veritatem iudici legitime interroganti, exequendae sunt denuntiationes a legibus praescriptae etc.

II. Excusat grave incommodum ; agitur enim de promissione gratuita, in qua subintelligitur conditio : *si sat facile potero.* Excipe pactum speciale secretum servandi non obstante quovis sacrificio (quod tamen subire non sit quid prodigum vel contra charitatis ordinem).

III. Excusat malum publicum, ad quod avertendum secretum promissum manifestare oporteret.

IV. Excusat si secus innocens gravi poenae vel damno subiiciendus esset.

3733. *Quaenam necessitas licitam reddit manifestationem secreti commissi?* Hoc (si vere sit valde momentosum, nec sit de illis quae *n.* 3713. *IV.* indicata fuerunt) rigorosissime obligat; bonum publicum enim exigit, ut qui, ad consulendum rebus suis spiritualibus aut temporalibus, consilio vel auxilio alicuius indigent, eidem (praevio pacto silentii) manifestare possint secreta cum plena securitate quod fidelissime et perfectissime custodientur, atque perinde sit ac si quae ita sciuntur nullatenus sciantur. Hinc secretum commissum (ad differentiam secreti naturalis tantummodo aut promissi) 1° Nequit revelari iudici (legitime quoque) interroganti : 2° Non subiacet legibus denun-

tiationes exigentibus; quamvis enim hae denuntiationes bono publico intersint, custodia secreti commissi adhuc magis (saltem ordinarie) eidem bono publico interesse censetur. 3° Advocatus, qui scit illum quem defendit esse reum, ne ad salvandum quidem a morte innocentem id manifestare posset.

Necessitas itaque quae licitam reddit manifestationem secreti commissi ad unicum aut fere unicum reducitur casum; et est si revelatio secreti directe exigeretur sub seria comminatione mortis, aut malorum adeo gravium, ut obligare ad illud tunc quoque servandum durissima res esset, aut saltem non videretur quid proportionatum, attentis circumstantiis et natura casus. Quod tunc secreti servandi obligatio cesset, admittitur a Theologis, et ratio est quia ex una parte secreta acceptantes usque ad terminos huiusmodi se obligare (secluso pacto speciali) non intendunt, et vix quisquam consilium vel auxilium cum tali obligatione dare vellet; et ex alia parte sicut bono publico interest ut secreta commissa serventur, ita interest quoque ut acceptentur.

PUNCTUM III.

De contractibus aleatoriis.

Agendum est de ludo, de sponsione, de sortibus et lotheriis, de assecuratione, de vitalitio, et de transactione.

§ I.

De Ludo.

A.

Exponuntur quaedam generalia.

3734. *Quid est ludus?* Actio quae recreandi animi causa fieri solet a duobus (vel pluribus), ita ut unus victor et alter victus resultet, cum pacto (quatenus fiat ad modum contractus) ut victori cedat praemium quod pro victoria depositum vel promissum fuit.

3735. *Quaenam sunt principales ludi distinctiones?* Ludus potest esse 1° *aleatorius;* 2° *industrialis;* 3° *mixtus;* 4° *licitus;* 5° *prohibitus.* Aleatorius (it. *d'azzardo*, *d'invito*): si victoria to-

taliter aut quasi totaliter a sorte seu fortuna dependeat, cuiusmodi sunt ludi, qui it. *a tagliare*, *a sette e mezzo*, *a primiera, ai dadi* etc. dicuntur. Industrialis aut mixtus: si victoria totaliter aut maxime a robore, vel ingenio, vel industria, vel dexteritate, scilicet (uno verbo) a facultate aliqua sive corporis sive mentis dependeat; cuiusmodi sunt, v. g., ludus gymnastici, cursus, saltus, lucta, pugilatus, et alii qui it. vocantur *gioco della palla, del pallone, del bigliardo, della dama, degli scacchi, briscola, tresette, trionfino* etc.

3736. *Quid statuunt leges positivae circa ludos?*

I. Ludi aleatorii prohibiti sunt; ita tamen ut hodie apud nos prohibeantur solum si in locis publicis (aut cuilibet apertis) atque ex fine lucri exerceantur. Nihil dico de speciali prohibitione ex iure canonico quoad clericos.

II. Contractus ludi cuiuslibet generis rescindibiles sunt (intellige quoad praemium) si victus fuerit minor vel interdictus vel inhabilitatus, aut si dolo vel metu a victore ad ludendum inductus fuerit.

III. Praescindendo a minoribus, interdictis, inhabilitatis et dolo vel metu inductis, distinguendum inter solutionem faciendam et factam. Scilicet

IV. Si solutio adhuc sit facienda, victori datur actio iudicialis si ex una parte de ludis pertinentibus ad exercitium *corporis* (qui generatim utiles reputantur) agatur, et ex alia (attento statu personae aliisve circumstantiis) praemium promissum non sit excessivum. Quoad alios (qui generatim periculosi, aut noxii, et non raro ruinosissimi sunt) nulla actio iudicialiter conceditur (*A.* 1802).

V. Si solutio iam voluntarie sit facta, hodie apud nos (*A.* 1804), etsi ludus fuerit prohibitus, nulla, pro illius restitutione repetenda, actio iudicialis conceditur.

3737. *Quandonam in ludo intervenire posset iniustitia?* 1° Ex iniusta inductione ad ludendum; 2° Ex vitio vel defectu vel inaequalitate praemii; 3° Ex fraudibus aliisque perpetratis contra leges ludi; 4° Interdum ex inaequalitate peritiae inter ludentes. Sed haec sunt explicanda.

B.

De iniusta inductione ad ludendum.

3738. *Quomodo accidere potest iniusta inductio ad ludendum?* Casus esset si quis alium metu iniusto aut dolo ad ludum indu-

ceret. Dolus interveniret quando quis fingeret se ignarum ludi, ut induceret alium multo minus peritum (et volentem ludere solum cum pari) ad secum ludendum. Item si quis fingeret se habere pecuniam in crumena solvendam in casu iacturae, et nec illam nec animum solvendi haberet. Item si Religiosus vel filius familias etc. falso dixisset se posse libere disponere de re ludo exposita. Etsi autem, expleto primo iactu (it. *la prima partita*), ludentes ordinarie ad secundum, tertium, quartum etc. procedant, tamen *per se* nullam sic prosequendi habent obligationem, saltem iustitiae. Si itaque victori volenti cessare victus diceret se non soluturum praemium nisi prosequatur; aut, exprobrando ei avaritiam, animum vilem etc., ad convitia procederet; iniuriam procul dubio ei inferret.

3739. *Haec iniusta inductio ad ludendum obligatne ad restitutionem, si forte sic inductus perdiderit et praemium solverit?* Affirmative. Metum incutiens vel dolum adhibens tenetur praemium solvere si perdit, ut per se patet; sed ad praemium ius habere nequit, si vincit; qui enim alteri iniuriam attulit, illum indemnem servare tenetur. Sic itaque ille posset perdere, sed non vincere; perinde esset enim ac si victum tertius iniuriose induxisset ad ludendum, qui certe illum indemnem reddere deberet.

C.

De vitio vel defectu vel inaequalitate praemii.

3740. *Quot modis vitium vel defectus vel inaequalitas praemii contingere potest?* Vitium vel defectus praemii contingere potest 1° Si ludens exponat ludo rem alienam, vel 2° aliis debitam, vel 3° de qua liberam non habeat admninistrationem; 4° si ludens promittat quidem solvere, sed cum intentione non solvendi. Inaequalitas autem praemii practice contingere solet quando ludentes dicunt: — Vadat quod restat (it. *vada il resto*) —.

3741. *Quid itaque si ludens exponat ludo rem alienam, v. g., furtivam, vel commodatam, vel depositam?* Loquor de re quae nec ope mixtionis neque ex praesumpto domini consensu propria evasisset aut ludo exponi posset; et dico: 1° Qui illam exponit, semper erit iniustus (saltem contra rei ipsius dominum), ut per se patet. 2° Si colludens rem esse alienam ignorasset et vicisset, deberet quidem, detecta veritate, illam domino reddere, sed simul haberet ius repetendi eiusdem valorem a victo, qui (in conscientia) de evictione teneretur. Posset tamen etiam

illam reddere victo ipsi, ut sic facilius aequivalens ab eo reciperet. 3° Si colludens ignorasset rem esse alienam et perdidisset, praemiumque solvisset, non ideo illud repetendi (detecta veritate) ius haberet (si enim vicisset, valorem aequivalentem, ut modo dicebam, habere debuisset). Excipe nisi res exposita (propter impossibilitatem subrogandi aequivalens) tamquam nihil consideranda fuisset, unde ille in casu victoriae nihil lucrari potuisset. In dubio autem, pro rata dubii decidendum foret. 4° Si colludens scivisset iam inde ab initio rem esse alienam, tunc in casu victoriae neque eandem retinere neque a victo aequivalens repetere posset. In casu vero iacturae adsunt duae sententiae. Prima docet, victum non teneri solvere pecuniam promissam, et, si illam solvisset, victorem debere restituere quia contractus fuisset invalidus prorsus. Secunda docet oppositum, quia victus erat dominus pecuniae suae, et non iam deceptus, sed, sciens victorem ludo exposuisse rem alienam, pro spe illam habendi (et fortasse de obligatione eandem domino restituendi nihil curans) pecuniam suam exposuit, et in ludo succumbens voluntarie dedit victori, qui proinde tuta conscientia illam retinere poterit, scienti enim et volenti non fit iniuria. Sic itaque contractus fuisset non iam invalidus prorsus (ut prima sententia dicit) sed partim invalidus et partim validus (quod non repugnat: Cf. S. Lig. *III.* 800). Fuisset invalidus quatenus res aliena valide, invito domino, alteri dari nequit. Fuisset autem, validus, quatenus valide unusquisque, si non sit deceptus, de re propria disponere potest. Haec secunda sententia mihi nedum probabilis sed vera videtur. Attamen probabilitas extrinseca magis favet primae. Vide S. Lig. (*III.* 875), Sanchez etc.

3742. *Quid si ludens exponat ludo pecuniam vel aliam rem alteri debitam invito creditore?* A parte illam exponentis certe aderit iniustitia; sed quoad colludentem vide dicta *n.* 3626.

3743. *Quid si ludens pecuniae vel rei ludo expositae dominium quidem, sed non liberam haberet administrationem, prout in minore, interdicto ecc. contingere posset?* Ageretur de contractu valido, sed a parte minoris vel tutoris etc. rescindibili, iuxta dicta *n.* 3277. Excipe nisi actu ludi tutor expresse aut tacite consensisset.

3744. *Quid notandum speciatim si ludens fuerit filiusfamilias?* Notandum quod, dum filius exponit ludo pecuniam de qua liberam administrationem non habeat, consensus patris facile praesumitur si filius ipse (attenta quantitate pecuniae expositae, frequentia ludi, suaque conditione) moderationis limites

non excedat, speciatim si constet quod pater certam summam pro honestis recreationibus ei relinquat, aut si longe a patria sua (v. g., pro studiis) degat, et pater summam singulis mensibus ei praebeat ad eiusdem sustentationem, in qua honestae quoque recreationes comprehenduntur: et Theologi dicunt, quinque in singulis centenariis pro his ordinarie praelevari posse; magis autem si filius in aliis (v. g., in victu et vestitu) parsimoniam adhiberet. Etsi autem in rigore quae filius in ludo vicerit patri cedant, tamen de his multo facilius praesumi poterit patris ipsius consensus, si filius novis ludis (maxime si urbanitas id exigeret) illam exponeret. Sed quid si filius summam, quam in decursu totius anni in honestis recreationibus insumere poterat, unico iactu in principio anni ludo exponeret? De hoc consensus patris praesumi non posset, nisi forte pro certo habendum esset quod filius nihil aliud pro recreationibus insumpturus foret. An autem qui ludit cum filiofamilias et vincit. teneatur inquirere ne forte contra patris voluntatem filius ipse pecuniam exponat, respondendum est negative, nisi (ex quantitate summae expositae, frequentia etc.) dubia gravia positive subsistant; in dubio negativo enim nemo praesumitur malus. Ut tamen obligatio restitutionis adesset, oporteret ut non solum ante factum, sed etiam post factum, pater invitus fuisset, ita ut vere restitutionem exigere credendum esset, quod non facile contingit.

3745. *Quid si ludens fuisset mulier coniugata?* Non est quaestio de ludo convenienti propriae conditioni. Si autem de summis excessivis ageretur, tunc victor eas, quoad excessum, restituere deberet. Si tamen de bonis extradotalibus ageretur, vide dicta *n.* 3081.

3746. *Quid si ludens fuisset Religiosus votum paupertatis habens?* Videndum an, inspectis constitutionibus et moribus sui ordinis, ex licentia expressa aut tacita superioris pecuniam ludo valide exponere potuisset.

3747. *An possit quis ludere cum intentione praemium denegandi si perdiderit, simulque praemium recipiendi si vicerit?*

Ordinarie negative. Hoc enim esset contra ius naturale; lex autem civilis, quae in tribunalibus non damnat praemium denegantem (iuxta dicta *n.* 3736. *IV*), obligationem naturalem intactam relinquit, ut ipsi iurisperiti communiter fatentur (Cf. Laurent *n.* 120 *et sqq*.). Dato autem et non concesso quod lex civilis annullaret obligationem naturalem iustitiae, obligatio sinceritatis et fidelitatis semper remaneret. Insuper ludens cum tali

intentione deciperet adversarium, qui, si id sciret, non luderet, et sic verus dolus dans causam contractui interveniret.

Dixi *ordinarie*, excipiendus est enim casus in quo quis metu vel dolo ad ludendum inductus fuisset, iuxta dicta (*n.* 3739). Debetne excipi etiam casus minoris vel interdicti? Negative; dum enim lex civilis, ludo expleto, ei ius dat praemium denegandi salva iustitia, ex hoc non sequitur quod ei quoque concedat ut iam inde ab initio licite prorsus habere possit intentionem praemium non solum denegandi si perdat, sed etiam recipiendi si vincat. Iustae rationes enim permittunt quidem ut lex civilis statuere possit primum, sed non secundum. Quod autem dicitur de minore dicendum est a fortiori de ludente ludo prohibito; de illo enim et non de isto lex rescindibilitatem statuit.

3748. *Quid de inaequalitate praemii? Et quid speciatim si ludentes ad ultimum iactum procedant dicendo: — vadat quod restat —; unus autem maiorem et alius minorem summam restantem habeat?*

I. Seclusa intentione immiscendi donationem, aut compensandi differentiam peritiae, iustitia exigit ut praemia sint aequalia. Intentio autem donandi difficile aderit, nec praesumitur nisi probetur.

II. Hinc si unus tantummodo massam residuam in mensa lusoria habeat et dicat: — vadat quod restat —, hoc intelligi debet sub conditione quod alter exponat aequivalens. Si vero duae massae residuae in eadem mensa forent, et ambo dicerent — vadat quod restat —; tunc iudicari deberet vel illos credere easdem esse circiter aequales atque evitare velle fastidium computationis, vel habentem summam manifeste maiorem contentum esse illam exponendi contra minorem, et sic in casu iacturae donationi quoad excessum consentiendi.

D.

De fraudibus aliisque perpetratis contra leges ludi.

3749. *Quid de fraudibus in ludo?*

I. Imprimis in ludo non omnes fraudes sunt illicitae, sed quaedam licitae reputantur, et astutiae vel stratagemmata dicuntur. Licitae autem sunt quae tales evaserint sive ex particulari colludentium consensu, sive ex generali consuetudine, etiam proborum, quae in loco vigeat. Nec obstat si quis hanc adesse

consuetudinem ignoraret; contractus enim iuxta locales consuetudines iniri censentur. Fraudes vero, quae communi sensu reprobantur, sunt certe illicitae et iniustae, atque, *si victoriae causa certa fuerint*, obligant ad restitutionem, et quidem dupliciter. Victor scilicet debet iniuste victo 1° restituere praemium ab eo male receptum; 2° dare ei praemium perinde ac si victor fuisset.

II. Apud nos licita censentur sequentia: 1° Qui optimis chartis est instructus et iam certus est de victoria, potest simulare formidinem, ut adversarius audacius provocet et praemium augeat. E contra qui non bonas chartas habet, potest simulare magnum animum et augere praemium, ut alter timeat et hoc augmentum acceptare recuset, atque ita (ludo non prosecuto) victoriam ei concedat. 2° Facile licet non admonere adversarium qui ex errore primum locum (it. *la mano*) tibi concessit; aut tacere, si in decursu ludi advertas, te ex errore dictum locum praeoccupasse, adversario ipso non advertente. 3° Non vitiatur ludus, etsi videris chartas adversarii casu, aut etiam illas studiose inspexeris dummodo ille ipse ex negligentia facile visibiles eas reddiderit. 4° Idem dic si in decursu ludi dignosceres aliquam chartam a tergo, atque attenderes quis illam habeat. 5° Alicubi consuetudo est etiam ut, adversario errante contra se in numerandis punctis atque adeo in victoria tibi tribuenda, tu tacere possis. Tunc autem si aliquis ex circumstantibus illum admoneret, tibi damnum inferret et contra iustitiam peccaret.

III. E contra illicita sunt, vel communiter existimantur, sequentia: 1° Fingere se imperitum in ludo ad carpendam pecuniam simplicioribus, vel habere pecuniam quae non habetur. 2° Primum locum indebite sibi praeoccupare ex industria. 3° Signa apponere ad cognoscendas chartas a tergo; vel quomodolibet uti chartis quas tu a tergo cognoscas; vel ex industria inspicere chartas adversarii, etsi ille modo debito eas occultet; vel convenire cum aliquo ex circumstantibus chartas adversarii vidente, ut aliquo signo de illis te commonefaciat; vel chartas ipsas ex speculo opposito cognoscere. 4° Chartas antecedenter ita praeparare ut meliores ad te perveniant. 5° In decursu ludi instructionem accipere ab alio peritiore, adversario id non advertente. 6° Furari chartam aliquam adversario, vel fingere te habere numerosiora puncta et sic victoriam indebite tibi ipsi attribuere. 7° Defraudare victorem in pecunia ei numeranda, vel monetam falsam ei tradere etc.

Si aliquis ex circumstantibus ad iniustitiam concurreret, ut

supra; tunc ille quoque pro damno, quod forte exinde proveniret, ad restitutionem teneretur.

E.

De aequalitate peritiae inter ludentes.

3750. *Ut ludus sit iustus, atque adeo ut victor lucrum ex integro semper retinere possit, exigiturne ut ludentes in peritia sint aequales?*

Resp. I. Negative certe quoad ludos publicos, in quibus, ad dandam probationem roboris vel dexteritatis etc., omnes invitantur, et praemium victori promittitur.

II. Quoad ludos privatos, sic distinguendum est:

a) Differentia non obstaret 1° Si excessus non foret magnus. 2° Si summa exposita respective exigua esset. 3° Si compensatio intercessisset, ut puta, si minus peritus minus praemium exposuisset vel puncta gratuita (it. *vantaggi*) obtinuisset. 4° Si minus peritus ad excessum alterius reflexionem fecisset, de eoque persuasus fuisset, et nihilominus ludere consensisset, maxime vero si petivisset, rogavisset etc.

b) Obstaret autem si, nulla interveniente compensatione, ex una parte excessus esset magnus, et summae respective magnae exponerentur, et ex alia minus peritus sic cum longe magis perito ludere consensisset solum propter ignorantiam vel falsam aequalitatis credulitatem; ut puta, si magis peritus cum puero, adolescentulo, sene imbecilli, simpliciori etc. luderet, speciatim vero si personas huiusmodi ad ludendum quaereret, invitaret, provocaret etc., et maxime si saepe.

c) Contractus tamen (supposito sufficienti usu rationis) esset validus, et proinde, si minus peritus vicisset, lucrum retinere posset; magis peritus autem restituere summas victas non ex toto, sed solum ex parte, deberet; posset scilicet id retinere quod victus, ad ludendum cum proportione, exponere potuisset.

§ II.

De sponsione.

3751. *Quid est sponsio?* Sponsio (it. *scommessa*) est contractus quo duo de veritate aut eventu alicuius rei (cuius neuter sit certus certitudine infallibili) contendentes, sibi invicem aliquid promittunt, ut eius sit qui veritatem fuerit assecutus.

3752. *Quid exigitur ut sponsio sit valida?* Speciatim 1° oportet ut res, de qua contenditur, utrinque eodem sensu intelligatur. 2° Oportet ut nulla lex positiva sponsionem annullaverit. Sic, v. g., Ius Canonicum irritat sponsiones circa electionem Romani Pontificis et Cardinalium. 3° Uterque spondens debet versari in dubio, vel saltem non esse certus certitudine infallibili. Quid itaque si dum tu de aliqua re es certus, alter tecum spondere vellet illam non ita esse? Deberes certitudinem tuam ei manifestare. Si autem ille in suo proposito persisteret, tunc si tu (videndo illius persistentiam) dubitare inciperes aut saltem animadverteres errorem vel hallucinationem tibi esse possibilem, bene posses spondere. Si vero nec error nec hallucinatio possibilis foret (ivisti v. g. Romam, et alter spondere vult te Romam non ivisse), tunc sponsio locum habere nequiret (perinde enim esset ac si quis emere vellet rem suam, aut peteret a te assecurationem rei quam tu certe scis in tuto iam esse). Intercederet itaque error substantialis, et contractus sponsionis (tamquam impossibilis) invalidus esset. Restaret solum ut spondens, non credens assertioni tuae et pertinax in suo proposito, consentiret etiam donationi, quasi dicendo: si contractus nequeat esse sponsio, sit quidquid esse potest, et, si res se habeat prout tu dicis, ego solvam. 4° Exigitur etiam ut contentio de veritate aut eventu sit vera a parte utriusque, non vero simulata a parte unius, qui ea sola intentione contendat ut ad sponsionem alium provocet, ab eoque (fortasse simpliciori) pecuniam carpat. Tunc enim dolose procederetur: dolus autem, qui a comparte procedit, contractum (si illius causa sit) reddit rescindibilem, quod in casu (propter restitutionis obligationem) invaliditati aequivaleret. Exemplum habes infra (*n.* 3755).

3753. *Quid de sponsione circa peccatum committendum vel non committendum?*

Sponsio esset illicita 1° Si spondens optaret ut peccatum committatur, et multo magis si (ad praemium lucrandum) peccatum ipsum positive procuraret. 2° Si sponsio per se ipsam ad peccandum alliceret, ut puta, si sponsio esset inter te et Titium, tu autem sponderes Titium non audere committere homicidium, et Titius sponderet se illud fore commissurum. Attamen in his casibus sponsio (etsi illicita) valida foret; non enim pro praemio sed pro eventu fieret.

E contra esset licita si nec peccati desiderium intercederet, nec sponsio ipsa ad peccandum impelleret, et multo magis si a

peccato averteret, ut puta, si contra Caium spondentem fore ut inebrieris, tu id neges et spondeas.

3754. *An sponsio ante decisionem, invita parte, revocari possit?* Negative. Excipe si sponsio ad delictum (v. g., homicidium) alliceret. Quamvis enim *post factum* exigi possit id quod pro eventus verificatione promissum fuit, tamen *ante factum* non potest subsistere ius ut sponsio alliciens ad peccatum firma remaneat, ita ut alter versari debeat in bivio aut solvendi aut peccandi.

3755. *An ad sponsionis contractum iuste celebrandum, oporteat ut praemium promissum sit aequale ex utraque parte si uterque spondens aequali periculo exponatur, et diversum si periculum pro uno maius et pro alio minus foret?*

Practice (secluso dolo) contractus sponsionis ita celebratur ut praemium de quo spondentes conveniunt (sive aequale sive inaequale sit) semper iustum censeatur; ipsi enim non aequalitatem (sicut in venditione), sed victoriam, et periculum prout est non iam in se sed in propria opinione (quae etiam valde irrationabilis esse potest) respicere solent.

Dixi *secluso dolo;* quid enim si, v. g., proxime current ad pallium tres equi A. B. C., et dum Titius pro A., Caius pro B., et Sempronius pro C. victoriam praedicit, Cyrillus, ad pecuniam certe lucrandam, fingat persuasionem quam non habet, et provocet sponsiones, nempe contra Titium A., contra Caium B., et contra Sempronium C. victorem non esse futurum dicat et spondeat; atque ita certus evadat perdendi unum et vincendi duo?

3756. *Quid statuit noster codex civilis circa sponsiones?* Quod pro ludo, statuit etiam pro sponsione, nempe (intactam relinquendo obligationem naturalem in conscientia) decernit, in tribunalibus nullam concedi actionem ad sponsionis praemium promissum assequendum; solutum autem repeti non posse (*A.* 1802. 1804).

APPENDIX.

De iocis bursae.

3757. *Quid est bursa?* Locus constitutus in magnis civitatibus, ubi conveniunt negotiatores et proxenetae, ad loquendum de rebus ad mercaturam spectantibus, atque ad celebrandos contractus, speciatim circa titulos (it. *cartelle*), qui sive a

Gubernio sive ab aliis Societatibus emittuntur, et valorem modo crescentem modo decrescentem (iuxta circumstantias quae Gubernii ipsius aut societatum ipsarum creditum augent vel minuunt) habere solent.

3758. *Quid sunt ioci bursae?* In bursa contractus alii sunt reales et sinceri; alii vero apparentes et ficti, ita ut sub specie unius contractus alter contractus fiat. Huiusmodi contractus apparentes *ioci bursae* vocantur. Praecipuus et ordinarius est quando sub specie emptionis reapse agitur de sponsione (*scommessa*). Fingitur scilicet emptio-venditio dictorum titulorum pretio currenti, sed *ad terminum;* quasi scilicet, v. g. post mensem, venditor eosdem titulos, et emptor pretium tunc tradere deberet. Sed reapse de huiusmodi traditione et solutione nihil erit; bene vero fiet computatio differentiae inter valorem existentem die contractus et valorem existentem die termini statuti. Si differentia sit in augmentum, illam dabit venditor; si in decrementum, emptor. Sic profecto perinde erit ac si celebretur contractus sponsionis, in quo duo, certantes de augmento vel decremento valorum, promittunt victori aliquid, nempe dictam differentiam.

3759. *Quid de iocis bursae iuxta legem civilem?* Applicanda sunt quae a Codice circa sponsiones (ut supra dixi *n.* 3756) statuuntur; si nempe ex indiciis (ut puta, si contrahentes quod promittunt nec die contractus habeant nec die termini habituri sint) praesumi debeat quod, non de emptione vera, sed de sponsione agatur. Laurent (*Tit. XIII. n.* 126).

3760. *Quid de iocis bursae iure naturali?* Validi et iusti esse possunt ex consensu partium, sed sunt periculosi; quum enim quam maxime interesse possit contrahentibus ut valor titulorum augeatur vel minuatur, valde facile est quod per fas et nefas (speciatim per notitias falsas in publicis ephemeridibus evulgandas) hoc ipsum augmentum vel decrementum procurent; unde nedum ipsi sibi invicem magna damna inferre satagant, sed etiam alii innumeri (ab iisdem notitiis decepti) cum immensa fortunarum suarum iactura ad contractus ruinosissimos procedant.

§ III.

De sortibus et loteriis.

3761. *Quot modis sortes seu sortitiones locunt habent?* Modi principales sunt sequentes:

I. Si res sit dividenda inter plures, qui factis partibus non conveniant quamnam ex ipsis debeat unusquisque accipere, unde decisionem remittant ad sortem. Tunc sortes dicuntur *divisoriae.*

II. Si plures aequale ius habentes ad rem aliquam, quae nequeat aut nolit dividi, conventionem faciant, ut quisnam illam integram habere debeat sors determinet.

III. Si plures talem vel talem pecuniae summam contribuant ea lege ut massa ex his contributionibus constituta, vel (prout communius fieri solet) aliquod obiectum eidem pecuniae massae substitutum, spectet ad illum cui sors favebit. Contractus sic celebratus it. *tombola,* aut *lotto,* aut *lotteria* dicitur; contributio autem it. *voce;* et obiectum victori dandum *praemium* appellatur. Notissimum est autem 1° quod sortes trahi possunt diversis modis; 2° quod una eademque persona plures contributiones cum iure correspondenti facere valet; 3° quod praemia possunt esse plura et diversa etc.

3762. *Quid speciatim de loteriis?*

I. Loteria potest esse *strictae iustitiae* vel *beneficentiae.* Est beneficentiae quando contributiones valorem praemii vel praemiorum excedunt, et excessus ad talem vel talem beneficientiae finem deservire debet; unde sic in conctractu eleemosyna miscetur.

II. Loteriae aliae sunt privatae; et aliae publicae (publica scilicet auctoritate recognitae et permissae), quarum principalis est illa quae fit a Gubernio ipso, et antonomastice dicitur *lotto.* In multis locis (prout apud nos) loteriae privatae (propter iniustitiae et fraudis periculum) interdicuntur. Interdictio tamen lex mere poenalis, non vero in conscientia obligans, consideratur.

3763. *Quot modis in loteriis iniustitia intervenire posset?* Duobus, scilicet 1° propter fraudes in sortibus trahendis; 2° propter inaequalitatem inter contributiones et praemia.

3764. *Quomodo intervenirent fraudes in sortibus trahendis?* Si aliqui ex iis, qui contributionem fecerunt, in sortitione non includerentur; vel si efficeretur ut aliqui difficilius sortis favorem habere possent. Tunc (ad minus) primis (scilicet prorsus exclusis) contributio tota ipsorum; et aliis contributionis pars, pro rata spei diminutae, restiui deberet.

3765. *Quomodo interveniret iniustitia propter inaequalitatem inter contributiones et praemia?* Loquendo non de loteriis beneficentiae sed de aliis, et praescindendo etiam ab expensis, iniustitia interveniret si ultra valorem praemiorum contribu-

tiones recollectae fuissent. Tunc autem contributionum excessus contribuentibus ipsis pro rata, vel (iuxta praesumptam ipsorum voluntatem) pauperibus distribui deberet. Dixi *praescindendo ab expensis;* si enim pro loteria exequenda expensae locum haberent, hae spectare possunt ad contribuentes, quatenus scilicet pro obiecto quod, v. g., valeat 1000 fr., si expensae essent 100 fr., contributiones 1100 francorum recipi possent. Oporteret tamen ut hae expensae essent 1° moderatae iuxta necessitatem et non ultra; 2° contribuentibus ipsis sive expresse significatae sive ex consuetudine notae.

Si autem ageretur de loteria beneficentiae, quamvis aequalitas ista non exigeretur, tamen contribuentes de huiusmodi loteriae natura admoneri deberent.

3766. *Quid notandum in particulari circa loteriam Gubernii?*

I. Propter defectum proportionis inter contributiones, et praemia, esset iniusta, nisi titulo tributi voluntarii (ad Status onera sustinenda) excusaretur.

II. Huic loteriae aliquid leviusculum raris vicibus exponere, certe licet; exponere vero magnas summas, aut leves quidem sed habitualiter, malum (speciatim si de pauperibus agatur) sine dubio est. Sic enim sub stultissima spe magnas summas vincendi, labor honestus negligitur, vel pecunia labore comparata, quae ad sublevandas familiae necessitates adhiberi deberet, vanissime proiicitur. Adde superstitiones, furta domestica etc. etc.

§ IV.

De vitalitio.

3767. *Quid est vitalitium?* Vitalitium, prout ordinarie celebratur, est contractus quo quis cedit alteri capitale sine onere illud unquam restituendi, sed cum pacto ut pensionem annuam ei vel tertiae personae solvat, vita eiusdem naturali durante. — Nihil autem refert sive morbo, sive casu fatali, sive suicidio, sive interfectione mors eventura sit. Nihil pariter refert sive in pecunia, sive in aliis rebus mobilibus vel immobilibus, dictum capitale consistat. Qui dare debet pensionem *vitalitians*, alter vero *vitalitiatus* appellatur.

3768. *Quid si actu contractus vitalitiatus crederetur quidem vivus, sed esset mortuus?* Tunc, intercedente errore substantiali, contractus esset invalidus. Idem dicendum videtur si moribundus foret.

3769. *Quid exigitur ut vitalitium sit iustum?* Secluso dolo (qui interveniret si vitalitiatus se fingeret seniorem vel infirmitate periculosa laborantem.), hic contractus ordinarie censetur iustus iuxta conventionem, quia contrahentes ut plurimum aleae latissimae se exponere vel excessum donare intendunt. Si tamen ex circumstantiis pateret, illos strictae iustitiae stare velle, tunc exigeretur ut ius ad pensionem capitali eiusque fructibus moraliter aequivaleret. Hinc ex una parte considerari deberet personae aetas, valetudo, et quidquid aliud deserviret ad coniiciendum (v. g., ex stirpe, climate, arte, officio, periculis specialibus etc.) quot annis adhuc vivere possit, sumendo regulam ex communiter contingentibus, atque (ut aiunt) ex media (quid medium scilicet inter maximum et minimum statuendo). Ex alia parte considerari capitale, et pensio ita determinari deberet, ut in fine dictorum annorum de capitali eiusque fructibus (utique annuatim decrescentibus) nihil remaneret. Sic porro periculum damni et spes lucri aeque aderit ex utraque parte, atque ita aequalitas et iustitia in contractu servabitur. Quum autem aestimationes praedictae ut plurimum difficiles sint, iudicio peritorum standum erit, nisi ambo contrahentes propriae ignorantiae conscii aleae adhuc maiori se committere sponte consentiant.

3770. *Qui ex occultissima notitia sciret, eum, qui vitalitium facere petit, intra breve tempus (v. g. interemptione) certe vel probabilissime fore moriturum, possetne nihilominus iuxta communem aestimationem et regulam ordinariam contractum celebrare?* Quamvis in contractibus onerosis quam maxime desideretur aequalitas, tamen dantur casus, in quibus, ea quoque deficiente, contractus propter speciales rationes potest esse non iniustus. Hoc maxime verificatur quando qui plus dat et minus recipit damnum non patitur. Exemplum habes si quis pretio ordinario emat fundum in quo ipse solus scit thesaurum recondi; quum enim id omnibus occultissimum sit, venditor daret quidem plus, sed nullum damnum pateretur; si enim fundum ipsum aliis venderet idem pretium reciperet. Quid simile contingere videtur etiam in casu nostro; si enim vitalitiatus (qui utique daret plus) cum alio quolibet contractum celebraret, summam eandem ei tradere deberet. Contrarium docet Lugo et adducit exemplum vendentis pretio currenti mercem occultissime vitiatam; sed in eo casu emptor damnum subiret, si enim aliam mercem emeret, illam non vitiatam sed bonam reciperet. Caeterum hac de re iudicent sapientiores.

3771. *Quaenam sunt iura vitalitiati?* 1° Pensiones exigere posset, etsi praeter praevisionem vitam longissimam haberet, nec unquam loco pensionum capitalis restitutionem acceptare teneretur, vitalitium enim (renuente vitalitiato) non est redimibile. 2° Rescissionem contractus et restitutionem capitalis exigere posset si fideiussio aut hypotheca promissa ei non daretur; non vero ea sola de causa quod pensiones ei non solverentur, quo casu tamen ad iudicem (etiam pro habenda cautione in futurum) recurrere posset.

3772. *Quinam sunt modi minus ordinarii, quibus vitalitium constitui potest?* 1° Si constituatur titulo gratuito, scilicet donatione vel testamento; et tunc advertendae sunt regulae tum circa reductionem (si excederetur quota disponibilis), tum circa subiecti capacitatem, tum denique circa formalitates requisitas pro donationibus et testamentis. 2° Si ponatur onus restituendi capitale, casu quo talis vel talis circumstantia eventura sit (v. g., superveniente necessitate propter mortem filii vel mariti etc.). Tunc autem pensio (intuitu huius oneris et periculi) minor esse debebit. 3° Si pensio constituatur favore duorum (v. g., coniugum); quo casu communius censent, post mortem unius pensionem non esse dimidiandam (secluso pacto), sed integram superstiti solvi debere. 4° Si pensio solvenda sit alicui vel aliquibus non durante tota eius vel eorundem vita, bene vero solum durante vita tertiae personae, vel ipsius vitalitiantis qui suos haeredes gravare nolit.

3773. *Quid si debitor, ad se liberandum ab onere pensionis, vitalitiatum, vel tertiam personam, cuius vita durante pensio solvenda foret, occideret?* Loquendo de debito non propter ordinariam reparationem damnorum ex homicidio, sed praecise propter vitalitium, sic dici debet. Etsi homicida titulo gratuito vitalitium constituisset, pensionem adhuc sive haeredibus vitalitiati occisi, sive alteri pensionis creditori (iuxta tempus quo occisus verisimiliter adhuc victurus fuisset) solvere deberet. Agitur enim de pensione danda sub conditione vitae perdurantis; conditio autem adimpleri censetur, quando ipse debitor ex malitia et directa intentione impediverit ne adimpleretur (Cf. *n.* 3288 *V.*). Imo iurisperiti docent quod, si vitalitium titulo oneroso constitutum fuisset, adesset quoque ius (loco pensionum post mortem occisi solvendarum) repetendi capitale iudicialiter, et sic rescindendi contractum; contractus bilaterales enim semper iniri censentur sub conditione resolutiva (atque adeo cum iure rescissionis a iudice impetrandae), casu quo unus ex contrahentibus obligationi

suae satisfacere deficiat substantialiter. Addunt capitale integrum et liberum ita repeti posse, ut simul pensiones ante homicidium solutae retineri, et non solutae repeti valeant.

§ V.

De assecuratione.

3774. *Quid est assecuratio?* Contractus, quo quis pro casu interitus rei alienae se obligat ad indemnitatem praestandam. Quamvis fieri possit gratis, ordinarie fit recepto pretio, quod *praemium* dicitur. Assecurator modo est persona particularis et modo societas publica. Assecurationum multae sunt species, v. g., contra incendium, grandinem, pericula maris, cessiones bonorum etc. Aliquae sunt ad annum vel pro casu unico (v. g., navigationis talis vel talis navis), unico soluto praemio; aliae vero habent tractum successivum et sunt ad plures annos, v. g., ad decennium, solvendo praemium singulis annis etc. Nihil dico de assecuratione vitae, qua pretio soluto variisque positis conditionibus cavetur ut, secuta morte alicuius, eius haeres vel alia persona designata certam summam ab assecuratore recipere debeat. Caeterum quoad extensionem, exceptiones et conditiones, assecurationes variant quam plurimum.

3775. *Da specimen differentiarum circa extensionem, exceptiones et conditiones assecurationum.*

I. Videndum quid assecuretur, a quibus periculis, et pro quanto tempore. *Quid assecuretur;* v. g., an sola domus, an vero etiam eius mobilia. *A quibus periculis;* v. g., an a solis incendiis consuetis; an vero etiam a fulmine, terraemotu etc. *Pro quanto tempore;* v. g., an merces solum usque ad portum; an vero usque ad domicilium.

II. Assecuratio respicere solet dumtaxat *damna materialia;* non vero eorundem consequentias; ut puta, si domus incendio destructa interim locari non potuerit. Aestimatio damni facienda est iuxta locum et tempus in quo res assecuratae incolumes esse deberent; unde, si periissent merces in navi, reddendus esset earundem valor quem loco et tempore expleti itineris habiturae fuissent.

III. Assecuratio respicere non intelligitur damna provenientia sive ex vitio intrinseco rei ipsius (quia, v. g., marcessisset); sive ex mala consarcinatione *(it. cattivo imballaggio)*; sive ex facto ipso assecurati eiusve commissionarii, qui, v. g., viam aut

navem mutasset etc. (maxime si non de simplici facto sed de dolo ageretur); sive ex eiusdem negligentia, quatenus ingruente periculo illud impedire vel diminuere potuisset; sive denique ex omissa debita monitione specialis periculi (v. g., facilis fractionis).

IV. Videndum an assecuratio celebretur absolute, an vero cum limitationibus expressis.

Si celebretur absolute, tunc comprehenduntur pericula et damna omnia (exceptis iis dumtaxat, quae tacite excipi subintelliguntur); unde, v. g., assecurata navi mercibus onusta, assecurator non solum de naufragio, sed etiam de piratarum depraedatione, de incendio, et uno verbo de quolibet maris periculo usque ad portum respondere debet.

Si adsit aliqua exceptio expressa (v. g. si res aliquae, aut pericula aliqua, aut etiam pericula omnia vi maiori proventura, excipiantur), tunc exceptio ipsa significat quod alia comprehenduntur.

Si assecurata fuisset mercium medietas non determinando qualem, et pars periisset, tunc sufficeret si medietas salva remansisset.

Si assecurata navi pro itinere, iter (casu aliquo vel etiam voluntate assecurati) locum non habuisset, assecuratio effectu careret; aliquando tamen ex lege vel consuetudine aliquid assecuratori rependi deberet. Idem dic si assecuratae fuissent merces in tali navi adventurae, et navis sine mercibus advenisset. Assecuratio enim iniri censetur sub conditione si reapse futurum sit ut iter fiat, vel merces transvehantur etc.

V. Videndum denique an assecuratus aliquibus obligationibus ex pacto speciali, sub poena amittendi ius ad indemnitatem, subiiciatur. Talis esset v. g. obligatio admonendi assecuratorem si forte in posterum aliquid eveniat quod periculum adaugeat; vel infortunium ipsum reapse evenerit etc.

3776. *Quid exigitur ut contractus assecurationis sit validus et iustus?* Exigitur ad validitatem existentia periculi: ad iustitiam aequalitas inter praemium et onus quod assecurator in se assumit.

3777. *Quid de existentia periculi?* Natura huius contractus et intentio contrahentium est ut subsistat periculum saltem in apprehensione a parte utriusque; unde si scivisset (quamvis ex notitia privatissima) assecuratus rem iam periisse (v. g. navem in naufragio), vel assecurator rem iam esse in tuto (v. g. navem in portu), contractus ex errore subsantiali, imo ex dolo,

invalidus foret, et restitutionis damnorumque reparationis onus induceret. Idem dic si, dum contractus celebratur (uti praesumitur, seclusa declaratione speciali) pro solis periculis ordinariis, scivisset assecuratus periculum iam esse extraordinarium vel gravissimum (v. g., navem esse in procella magna), aut assecurator periculum iam remotissimum evasisse (v. g. navem iam esse portui vicinissimam). Si tamen ageretur de assecuratione facienda a publica societate, quae in suis statutis significaret quaenam pericula specialia indicari debeant, non adesset obligatio indicandi pericula alia (etsi specialia) quae forte subsisterent.

3778. *Quid de aequalitate inter praemium quod accipitur et onus quod assumitur?* Hac in re, si assecuratio fiat a publica societate, iustum censetur quod ab illius regulis determinatur. Attamen in casibus particularibus cum damno interdum societatis ipsius, et interdum illorum qui assecurationem obtinent, iniustitiae intervenire solent. Si autem non a publica societate sed ab aliis assecuratio fiat, tunc ad iudicandum de iustitia, modo a consuetudine modo a iudicio peritorum, modo denique a taxis, quae apud praedictas societates usuveniunt, regula sumi poterit. Poterunt etiam contrahentes, si ambo sint ignari et nolint informationes capere, aleae se committere et quidquid velint statuere.

3779. *Quid si assecurator in impotentia versaretur indemnitatem praestandi pro infortunio, quod subsequi posset?* Praemia iniuste reciperet. Si autem in tali statu contractum faceret aut prosequeretur, dolose procederet, et proinde damna omnia (quantum posset) reparare deberet. Hoc verum esset quamvis solum in parte impotens foret: assecuratus enim ad assecurationem solum partialem non consensit.

3780. *Quid si quis rem suam vellet assecurare bis (scilicet prius apud unum at postea apud alium); aut assecurare pro valore maiori (utique rependendo praemium maius) dum reapse valor est minor; aut exigere indemnitatem pro tota re assecurata dum illius pars tantummodo periisset?* Hae sunt circumstantiae principales quibus assecurati abuti possent, iisque ansam darent procurandi delictuose destructionem rei assecuratae, ut scilicet loco capitalis quod destruunt aliud longe maius lucrentur. Hinc generatim in pactis assecurationum statuitur 1° Non posse assecurari quod iam est assecuratum: 2° Non posse fieri assecurationem ultra valorem realem: 3° Eveniente infortunio, non ultra damnum reapse subsecutum indemnitatem repeti posse.

3781. *Si rei assecuratae interitus ex delicto tertiae personae provenisset, assecuratus haberetne ius exigendi indemnitatem tam ab assecuratore, quam ab auctore damni?* Negative. Posset quidem immediate (secluso pacto speciali) recurrere ad assecuratorem; sed, habita ab illo indemnitate, quidquid postea ab auctore damni reciperet, refundere deberet assecuratori ipsi, qui tamen etiam per se solum contra damnificantem agere posset.

§ VI.

De transactione.

3782. *Quid est transactio?* Contractus, quo dum aliquid ad iudicem delatum est, vel in periculo est ut deferatur, partes inter sese ita componuntur, ut unusquisque aliquid legitime habeat vel obtineat; et sic (rebus pacifice compositis) actus iudiciales non promoveantur vel suspendantur.

Transactio distinguitur a compositione amicabili, a compromisso vel arbitratu, a redemptione iniquae vexationis, et a renuntiatione coacta. *Compositio amicabilis* (stricte loquendo) est gratuita, in eaque pars iuri suo (sive certo sive probabili) renuntiat non iam recipiendo aliquid (ut in transactione) sed gratis omnino et amicabiliter. *Compromissum* vel *arbitratus* non peragitur a solis contendentibus mere inter sese, sed perficitur sententia arbitri, qui posset etiam rem totam uni adiudicare, quin alter aliquid habeat. *Redemptio ab iniqua vexatione* fit aliquid offerendo quomodolibet vexanti iniuste, qui ideo legitime nihil recipere potest. Denique *renuntiatio coacta* contingeret quando, v. g., Caius centum recipere deberet a Titio, qui illos solvere recusaret inique; Caius autem contentus esset recipiendi quinquaginta, renuntiando reliquis, quia secus nihil obtenturus foret.

3783. *Quotuplex potest esse transactio?* Realis vel mere personalis; specialis vel generalis; verbalis vel scripta. *Realis;* si pro haeredibus quoque vel successoribus valere debeat. *Personalis;* si solum transigentem obliget. *Specialis:* si talem vel talem quaestionem unice respiciat. *Generalis:* si transigentes conveniant ut omnia ita composita remaneant, ut de praeterito quaestio nulla inter ipsos ex nullo prorsus capite esse possit.

3784. *Transactio estne strictae, an vero latae interpretationis?* Est strictae interpretationis, et proinde. 1º Non est accipienda tamquam generalis, nisi ex clarissimis verbis vel

circumstantiis appareret talem fuisse mentem transigentium; neque sufficeret si, factâ transactione particulari, diceretur, renuntiationem fieri cuiuslibet iuris, actionis, vel praetensionis etc.; haec enim de iuribus, actionibus et praetensionibus ad illum casum particularem se referentibus intelligi deberent. 2° Non est extendenda ultra quam verba sonant, nisi de consequentia necessaria ageretur; unde, v. g., transactio circa capitale, ad fructus extendi non deberet. 3° Non est extendenda ad ius novum, quod postea super eandem rem controversam forte acquiratur. Duo fratres, v. g., Petrus et Paulus possident simul ius litigiosum circa domum Marci. Petrus transactionem facit cum Marco, ab eoque obtinet 500 fr., renuntiando cuilibet iuri pro parte sua. Postea, mortuo Paulo, Petrus fit haeres illius, et sic ius litigiosum contra eandem domum Marci denuo acquirit. Patet quod pristina transactio ad hoc ius novum minime extenditur.

3785. *Quid si stipuletur poena contra illum qui transactionem non adimplebit?* Hoc ita intelligi deberet, ut poena deserviat ad compensanda damna, quae ex mora causari possent; non vero ut, poenâ solutâ, morosus ab obligatione liber evadat.

3786. *Transactiones possuntne fieri in omnibus rebus et a quibuslibet personis?* Negative; sed oportet ut transigentes de rebus, quas pro transactione dant vel promittunt, aut quibus renuntiant, valide sic disponere possint. Hinc

I. Quoad transactiones circa res sacras vel ecclesiasticas, videndum ne obstet simonia iuris divini, aut defectus licentiae necessariae (qua non extante, sive simonia iuris ecclesiastici, sive alienatio illegitima rerum Ecclesiae locum habeat). Nulla etiam petita licentia, transactio circa capitalia et iura Ecclesiae, licita esse posset 1° si de illis non iam alienandis, bene vero conservandis vel recuperandis (oblata pecunia) ageretur; 2° Si non realis sed mere personalis esset, quatenus rector Ecclesiae in praeiudicium sui ipsius tantum, non vero Ecclesiae et successorum, transigeret. In aliis casibus transactiones circa capitalia et iura Ecclesiae absque Superioris licentia (etsi Ecclesia cum alia Ecclesia transigeret) fieri nequeunt. Ut plurimum beneplacitum Apostolicum exigitur. Dixi *ut plurimum;* decretum enim vel licentia Episcopi sufficeret 1° Si res decidenda occurreret in sacra visitatione; tunc enim Episcopus tamquam delegatus Sedis Apostolicae se gerere potest; 2° Si de rebus vel iuribus non gravis momenti ageretur, dummodo semper transactio esset aequa et Ecclesiae proficua. Inter res autem,

pro quibus sola licentia Episcopi ad litis extinctionem sufficit, recensetur etiam pensio imponenda super beneficio, dummodo non sit perpetua, sed solum ad vitam illius cui beneficium ipsum conferendum est, et qui huiusmodi transactionem acceptet vel Episcopo confirmandam offerat. Idem dic si non de pensione annuatim solvenda, sed de aliqua summa ageretur, quam beneficium obtenturus alteri cedenti ob bonum pacis unico actu tribueret.

II. Transactio fieri potest super sponsalibus, non vero super matrimonio, nisi quatenus aliquid a personarum voluntate pendeat, v. g., ad illud contrahendum (si non obstet impedimentum), vel ad efficiendam licitam separationem quoad thorum vel habitationem.

III. Non solum minores, sed etiam eorundem tutores et curatores, nequeunt ad firmam transactionem procedere sine consensu consilii familiae; imo omologatio quoque tribunalis necessaria esset. Tutor autem nequit transigere cum minore, nequidem postquam maior evaserit, nisi prius rationes omnes cum illo definitive compositae atque approbatae fuerint.

IV. Bona dotalia transactioni, quae alienationem importet, subiici nequeunt sine consensu utriusque coniugis atque decreto iudicis. Firma transactio ordinarie nequidem circa bona extradotalia peragi potest ab uxore sine auctorizatione mariti. Dixi *ordinarie;* adsunt enim quaedam exceptiones. Cf. *A.* 134-137.

V. Notandum quod transactio invalida vel non firma, valida et firma ope praescriptionis evadere potest.

3787. *Qui certo sciret nullum sibi ius esse, possetne transactionem petere vel acceptare?* Negative; quod enim ex iniusta vexatione vel sine ullo iusto titulo recipitur, iniuste recipitur, et in conscientia restitui debet.

3788. *Oportetne ut transactio celebretur in scriptis?* Iure naturali et in conscientia valet etiam transactio mere verbalis; sed iure civili et pro tribunalibus in scriptis exigitur.

3789. *Quibus in casibus transactio rescindi potest?* Ex causis generalibus, nempe ex consensu partium, vel si facta fuisset ex metu vel dolo, aut a minore etc. In particulari notanda sunt sequentia: 1° Nequit rescindi transactio eo quod ex errore iuris fuisset peracta, quatenus scilicet postea reperiretur qua ex parte ius certum staret. Potest tamen rescindi si substantialis error facti intercessisset, quatenus, v. g., propter documenta falsa, vel testamentum quod credebatur ultimum et ultimum non erat etc. peracta fuisset. 2° Nequit rescindi titulo

laesionis contractus, quamvis enim etiam in transactione iustitia servanda sit, ita ut habenti maiorem iuris probabilitatem plus dari debeat, quod nisi fiat laesio contractus (Cf. *n.* 3379) interveniret, tamen de hac ipsa laesione difficile constabit, et leges civiles (favore huius contractus ad pacem et commune bonum adeo utilis) non sinunt ut hoc titulo impugnari possit. Nihilominus pro causis ecclesiasticis ius canonicum admittit quod laesio, si sit evidenter enormissima, causa rescissionis esse possit, quamvis transactio iurata fuisset. Cf. Praxis (*n.* 2413). 3° Causa rescissionis iudicialiter petendae esse posset, si alteruter ex transigentibus minime obligationibus suis satisfaceret.

PUNCTUM IV.

De successionibus.

§ I.

De quibusdam notionibus praemittendis.

Quaedam notiones praemitti debent circa 1. consanguinitatem; 2. affinitatem; 3. adoptionem; 4. absentiam; 5. naturam et distinctiones successionis.

3790. *Quid notandum* ***circa consanguinitatem?***

I. Consanguinitas (it. *parentela*) est vinculum inter personas, quatenus eiusdem sanguinis sunt; ita ut vel una genita sit ab alia, vel singulae ab eodem communi generante (qui dicitur *stipes*) descendant et sint in gradibus a lege designatis (ultra illos enim consanguinitas in sensu legis extendi non intelligitur).

II. Inter duas personas (de quibus gradus consanguinitatis cognosci vult) consanguinitas est *in linea recta*, quando ultima genita est a prima; sive immediate, ut inter filium et patrem; sive mediate, ut inter nepotem (scil. filium filii) et avum.

In linea recta tot sunt *gradus* quot sunt generationes; seu (quod in idem recidit) quot sunt personae (quae in linea tamquam generantes vel generatae figurant), dempta prima. Hinc filius est in primo gradu cum patre; nepos in secundo cum avo; pronepos in tertio cum proavo; et abnepos in quarto cum abavo etc.

Si a filio vel nepote etc. ascendatur ad patrem vel avum etc.; linea appellatur *ascendentalis;* unde pater, mater, avus, avia etc. dicuntur *ascendentes.* Si e contra a patre vel avo etc. descendatur ad filium vel nepotem etc.; tunc linea dicitur *descendentalis;* unde filii, filiae, nepotes, neptes etc. *descendentes* appellantur. Ascendentes itaque et descendentes sunt solum in linea recta: non vero in obliqua.

3791. III. Inter duas personas consanguinitas est *in linea obliqua* (quae dicitur etiam *transversa* vel *collateralis*), quando non iam una est genita ab alia (ut supra); sed ambae a stipite communi (sive immediate sive mediate) ortum habent; unde ab una ascenditur ad stipitem, et a stipite descenditur ad aliam. In hac linea personae dicuntur *collaterales.*

In linea obliqua tot sunt *gradus* quot sunt generationes; quod tamen ita intelligi debet, ut in stipite duae generationes (una ascendendo et alia descendendo) computentur. Alii dicunt: Tot sunt gradus quot sunt personae, dempto

stipite: sed hoc in idem recidit. Hinc fratres sunt (inter sese) in secundo gradu; nepos (scil. filius fratris) est in tertio cum patruo; primi consobrini sunt in quarto etc. Attamen hic modus computandi gradus in linea obliqua est solum iuxta ius civile (iuxta ius canonicum enim diversa regula servatur), et proinde valet solum in rebus civilibus, quales sunt etiam successiones.

Linea obliqua dicitur *aequalis,* si ambae personae (de quibus gradus consanguinitatis inquiritur) aequaliter a stipite distent, ut accidit inter fratres, primos consobrinos, secundos consobrinos etc. (intellige inter sese). Dicitur e contra *inaequalis,* si una plus et alia minus a stipite distet, ut inter nepotem (scil. filium fratris) et patruum (it. *zio*) contingeret.

Consanguinitas, iuxta legem civilem (aliud est de iure canonico), extenditur usque ad decimum gradum inclusive; unde quarti consobrini consanguinitati civili subiiciuntur.

3792. IV. Differentia sexus neque in linea recta neque in obliqua consideratur; unde (quin regulae praedictae ullo modo turbentur) in eadem linea modo masculi, modo foeminae figurare possunt. Si tamen stipes esset masculus, et persona *per lineam maschilem* (in qua scilicet soli masculi figurent) ab illo descenderet eiusque proinde cognomen retineret; tunc persona ipsa *ad agnationem* pertinere diceretur; secus, *ad cognationem.* Loquendo autem de ascendentibus, ascendentes patris *in linea paterna;* matris vero *in linea materna* esse dicuntur.

3793. V. Fratres (et idem dic de sororibus) dicuntur *germani,* si ex eodem patre simul et matre; *consanguinei* si ex eodem patre, sed ex matre diversa; denique *uterini* si ex eadem matre, sed ex diverso patre, geniti fuerint. Tam consanguinei quam uterini dicuntur etiam *unilaterales.*

3794. VI. Filii dicuntur *legitimi,* si oriantur a matrimonio legitimo, vel publice et bona fide uti legitimo contracto saltem ex parte unius. Recolendum quod coram legibus civilibus hodie apud nos solum matrimonium civile tamquam legitimum consideratur. Qui autem extra huiusmodi matrimonium nati fuerint, a codice nostro *naturales* appellantur.

3795. VII. Filii naturales possunt esse 1. legaliter recogniti; 2. legitimati; 3. neque legitimati neque legaliter recogniti.

3796. *Quid de recognitione legali?* Ut filius sit legaliter recognitus oportet non solum ut vere sit eius filius, sed etiam 1. ut lex recognitionem legalem non vetet; 2. ut actus recognitionis ad legis normam praestitus fuerit.

a) Quoad legis vetitum; neque a patre neque a matre legaliter recognosci possunt 1. filii *adulterini,* etsi una persona tantum, actu adulterii seu conceptionis, coniugata fuisset; 2. filii *incestuosi;* sed non omnes, bene vero solum si incestus fuerit cum persona consanguinea vel affine (*n.* 3798) in linea recta, vel inter fratrem et sororem. Hodie itaque non ii omnes, qui *spurii* dicuntur, a genitorum recognitione (et subsequenti legitimatione) civili excluduntur; spurii enim iure canonico essent non solum praedicti, sed etiam qui ex patre vel matre solemne castitatis votum habente, nati fuissent.

b) Quoad actum recognitionis: Potest esse voluntarius et iudicialis.

Recognitio voluntaria fit a genitoribus; vel a solo patre aut a sola matre; et in hoc secundo casu recognitio solum relate ad genitorem recognoscentem valeret. Ut huiusmodi recognitio civiliter valeat, oportet ut facta fuerit actu authentico; ad quem constituendum non sufficit (nisi ad obtinenda alimenta tantummodo ad duceretur, ut infra explicabitur) epistola vel alia scriptura privata, vel inscriptio in libro Baptismi et nequidem testamentum olographum; bene vero oportet ut declaratio apud publicum notarium vel iudicem vel officialem status civilis fiat.

Recognitio iudicialis fit a iudice; sed notandum quod reclamatio filii ad obtinendam declarationem paternitatis (quod scilicet talis vel talis sit eius pater) non auditur, nisi eius conceptio ex violento raptu vel stupro provenerit. Aliae probationes (excepto casu praedicto alimentorum) nunquam sufficiunt. Facilius auditur filius si matrem reclamet; qua de re vide *A*. 190.

3797. *Quid de legitimatione?* Sola recognitio legalis aliquos quidem effectus producit (etiam quoad successiones) sed legitimationem non constituit. Legitimatio coram lege civili efficitur 1. iure ipso per subsequens matrimonium civile quod a genitoribus contrahatur; 2. per decretum Regis. Ut tamen matrimonium legitimationem producat, oportet ut eiusdem prolis recognitio non solum permittatur a lege et facta fuerit actu authentico (ut supra), sed etiam ut per partem amborum genitorum locum habeat. Si filius ante legitimationem mortuus fuisset et prolem reliquisset, legitimatio tunc quoque in prolis favorem effici posset. Si autem legitimatio ope matrimonii fieri nequiret; tunc Reale decretum (ut dixi) implorare oporteret; quod tamen non semper obtineri valet, sed plures conditiones exiguntur, de quibus vide *A*. 198 *et seqq*.

3798. *Quid notandum* ***circa affinitatem?***

I. Affinitas est vinculum inter coniugem et consanguineos alterius coniugis.

II. In linea et gradu, quo quis est consanguineus cum coniuge, est affinis cum alio coniuge. Hinc soror uxoris est affinis cum eiusdem marito in 2. gr.

III. Affinitas semel contracta, eveniente quoque viduitate, perdurat.

3799. *Quid notandum* ***circa adoptionem?***

I. Adoptans potest esse sive vir, sive mulier. Duo tamen simul adoptare nequeunt quemquam, nisi sint coniuges. Oportet autem 1. ut adoptans descendentes sive legitimos sive legitimatos non habeat; 2. quinquagesimum aetatis annum compleverit, atque ad minus 18 annis adoptati aetatem superet; 3. non sit pater naturalis aut tutor filii adoptati; 4. consensum genitorum aut coniugis (si illos habeat) obtinuerit.

II. Adoptati nequeunt esse plures, nisi adoptentur eodem actu. Oportet insuper 1. ut adoptatus decimumoctavum annum ad minus compleverit; 2. ut nedum ipse adoptioni consenserit; sed etiam genitorum, coniugis, aut tutoris (si illos habeat) consensum obtinuerit. Notandum quod filius adoptivus iura omnia familiae propriae naturalis conservat.

III. Adoptatio fieri nequit nisi per Decretum Curiae appellationis, iuxta regulas *A*. 213-219 indicatas.

3800. *Quid notandum* ***circa absentiam?*** 1. Absentia, in sensu iuris civilis, non (sicut vulgariter) pro alicuius absentia simplici accipitur; sed pro absentia ita qualificata, ut notitia de illo non amplius habeatur, unde iam quod mortuus fuerit credi debeat. 2. Absentia est duplex, scilicet *praesumpta* et *declarata*. Declarata contingit quando, post triennium, vel (si absens administratorem reliquerit) sexennium, (factis inquisitionibus etiam ope ephemeridis officialis Regni) Iudex sententiam de absentia pronuntiat. Secus, solum praesumpta remanet.

3801. *Quid de natura et distinctionibus successionis?*

I. Successio est iurium, quae defunctus tempore mortis habebat, translatio in alium vel alios.

II. Successio fit dispositione iuris et dispositione hominis. Dispositio iuris producit 1. successiones ab intestato (quae dicuntur etiam legitimae), 2. (supposito testamento) ius ad legitimam. Dispositio hominis est voluntas ipsa defuncti, qui per testamentum, de suis rebus disponat.

N. B. De his omnibus loquor prius ad tramites legis civilis. Postea nonnullas considerationes iuxta ius naturale et ius canonicum superaddam.

§ II.

De successionibus ab intestato.

QUAESTIO I.

Successio ab intestato, seu successio legitima, quandonam locum habet?

3802. R. Quando testamentum deest, vel fuit invalidum, vel ei fuit renuntiatum.

Si deesset solum in parte, successio legitima pro alia parte locum haberet.

QUAESTIO II.

Quinam iure civili sunt incapaces succedendi ab intestato?

3803. Aliqui tales sunt iure ipso, et aliqui per iudicis sententiam.

A) Iure ipso incapaces sunt sequentes:

1° Qui actu mortis illius, de cuius successione agitur, nondum concepti erant. Potest equidem succedere nondum natus (prout passim evenit in filiis posthumis); non vero qui tunc ne conceptus quidem fuisset, prout si partus, elapsis iam decem mensibus a dicta morte, accidisset.

2° Qui, etsi tunc concepti fuissent, nati fuerint non vitales; ita tamen, ut qui vivus natus est (etsi momento post obiisset) praesumendus sit vitalis (scilicet vitae extrauterinae capax), nisi de contrario certe constet, prout si ante completum sextum a conceptione mensem, vel sine organo ad vitam necessario, natus fuisset.

3° Nati extra matrimonium civile et legaliter non recogniti.

B) Per sententiam iudicis incapaces (*tamquam indigni*) esse possunt sequentes:

1° Qui delictuose occidisset aut occidere tentasset illum, de cuius successione agitur;

2° Qui per calumniam de reatu criminali illum iudicialiter accusasset;

3° Qui illum ad faciendum vel mutandum testamentum (intellige semper modo iniusto) coegisset, vel ab eodem faciendo aut revocando impedivisset;

4º Qui testamentum ab illo iam factum destruxisset, vel occultasset, vel adulterasset.

Excipe nisi defunctus ipse haec delicta ei condonasset, et, actu authentico vel testamento, ad successionem eum expresse habilem reddidisset.

3804. *Quid de Religiosis professis, qui successioni renuntiaverint? Quid de foeminis nuptis, quae dotem acceptando, eidem successioni pariter renuntiaverint? Et quid de exteris, scilicet ad aliam nationem seu statum pertinentibus?* Hi olim a successionibus excludebantur; sed hodie apud nos civiliter non amplius excluduntur.

QUAESTIO III.

Quid de successione intestata iure repraesentationis?

3805. I. Repraesentatio est ius, quod in casibus mox explicandis, lex concedit quibusdam parentibus remotioribus tenendi locum proximioris, ad quem haereditas devolvi deberet, sed sive quia mortuus, sive quia indignus (iuxta dicta n. 3803. B), sive quia absens (iuxta dicta n. 3800), non possit.

II. Ius repraesentationis locum habet in duobus casibus tantum; scilicet 1º in favorem descendentium (Cf. n. 3790. II.) defuncti; 2º in favorem descendentium ex fratre vel sorore eiusdem. Exemplum primi casus. Moritur Titius, et nepotes ex filiis (vel filiabus), sive cum aliis filiis viventibus sive non, relinquit. Hi nepotes mortuum patrem (vel matrem) repraesentant, et, quoad haereditatem, eius locum tenent. Exemplum secundi casus. Moritur Caius (sine descendentibus et ascendentibus) et nepotes ex fratribus vel sororibus praemortuis (sive cum aliis fratribus viventibus, sive non) relinquit. Hi etiam nepotes mortuum patrem (vel matrem) repraesentant, et quoad Caii haereditatem, genitoris locum tenent. Caeterum, quoad ascendentes et quoad alios collaterales (v. g. consobrinos), repraesentationis privilegium non adest; sed proximiores viventes capiunt haereditatem, et remotiores excludunt.

III. Sedulo notanda est differentia inter successionem *in capita* et successionem *in stirpes*. Quando repraesentatio locum habere nequit vel utcumque non habet (prout si haeredes essent omnes sive filii, sive fratres, etc.), tunc singuli succedere dicuntur *in capita;* singuli scilicet partem aequalem (quam dicunt *virilem*) capiunt. Quando autem haeredes, vel aliqui eorum,

succedunt per repraesentationem, quando scilicet ipsi vel sint omnes nepotes, vel sint partim filii, vel partim fratres, et partim nepotes (quorum pater vel mater obierit, ut dixi); tunc successio fieri dicitur *per stirpes* (idest per familias); et peragitur sequenti modo: 1° Tot partes aequales fiunt, non iam quot sunt personae, bene vero quot sunt filii, aut quot sunt fratres, computando in numero filiorum aut fratrum etiam mortuos, qui praedictos nepotes vel alios descendentes reliquerint; si autem filii, aut fratres, omnes mortui essent cum prole; tunc tot partes fierent quot illi fuerunt. 2° Pars, quae mortuo contingeret, subdividitur in tot partibus aequalibus, quot sunt filii eiusdem qui vivant, aut descendentes reliquerint; hi descendentes autem partem patris praemortui inter se subdividere deberent; semper scilicet eandem regulam tenendo.

IV. Ius repraesentandi personam defunctam non amittitur, quamvis successioni illius renuntiatum fuisset. Hinc, v. g. filius, qui patris sui defuncti haereditati renuntiavit, succedere potest avo superstiti; huius enim successioni non renuntiavit. Non tamen adest ius repraesentandi personam, quae haereditati renuntiaverit; unde filii capere non possunt *iure repraesentationis* haereditatem avi defuncti, cui eorum pater (dum vivebat) renuntiaverit. Tunc tamen interdum iure proprio et in capita succedere possunt; ut melius videbimus infra.

QUAESTIO IV.

Quid de successione intestata, si defunctus nec coniugem nec filios naturales superstites reliquerit?

3806. *Prima regula.* Si mortuus fuerit cum descendentibus isti ei succedunt, et prorsus excludunt alios.

a) Excludunt scilicet non solum collaterales sed etiam ascendentes.

b) Si descendentes sint omnes in primo gradu (scilicet filii), succedunt in capita; secus in stirpes.

c) Nulla fit differentia inter masculos et foeminas; inter natos ex primo matrimonio et natos ex secundo: inter primogenitum et alios filios.

d) Filii legitimati, et filii adoptivi, eorumque descendentes, legitimis (quamvis cum ipsis concurrerent) aequiparantur.

3807. *Secunda regula.* Si mortuus fuerit sine descendentibus sed cum ascendentibus, isti ei succedunt; sed sub sequentibus distinctionibus.

a) Si mortuus fuerit sine fratribus (N. B. nomine fratrum intellige semper etiam sorores) eorumve descendentibus, tunc

si vivant ambo genitores, ipsi succedunt in partibus aequalibus, et si unus tantummodo vivat, ipse solus succedit. Si vero ambo genitores mortui fuerint, tunc si in linea tam paterna quam materna ascendentes aequalis gradus adsint, medietas primis et medietas secundis cedit; secus, proximiores excludunt remotiores.

b) Si mortuus fuerit cum fratribus eorumve descendentibus, tunc cum istis ascendentes dividunt haereditatem sequenti modo:

Concurrentibus genitoribus, vel alterutro ex ipsis, cum fratribus viventibus et germanis, fiunt tot partes quot sunt personae; ita tamen ut, si in hac divisione tertia pars assis genitoribus vel alterutri ex ipsis salva non remaneret, tunc ex asse ipso haec tertia pars praelevari, et reliquum inter fratres dividi deberet.

Si loco fratrum (vel alicuius ex fratribus) descendentes ipsorum adessent; tunc quoad istos repraesentatio et successio per stirpes interveniret.

Si ambo genitores mortui essent, sed eorum ascendentes viverent; tunc pars, quae genitoribus debita esset, ad ascendentes ipsos, iuxta regulam indicatam supra (*a*) devolveretur.

Fratres non germani (scilicet consanguinei vel uterini); succedunt quidem, sed solum in medietate partis quae illis contingeret, si germani forent; idque verum est sive cum germanis sive soli concurrant. Alia autem medietas non ad germanos solos (si adsint), sed ad ipsos una simul cum ascendentibus spectare videtur.

3808. *Tertia regula.* Si mortuus fuerit sine descendentibus et sine ascendentibus, sed solum cum collateralibus; videndum an inter istos adsint fratres eorumve descendentes, an vero secus.

In primo casu succedunt fratres in capita, eorum vero descendentes iure repraesentationis in stirpes. Si tamen cum fratribus germanis fratres consanguinei vel uterini (eorumve descendentes) succederent; tunc quotae, quae, si germani fuissent ad illos spectaret, medietatem tantum habere deberent; alia autem medietas germanis accresceret.

In secundo casu autem, ad consanguineum proximiorem, vel ad consanguineos proximiores qui sint in eodem gradu (sine distinctione inter lineam paternam et maternam), haereditas devolvitur; et remotiores excluduntur. Successio ista tamen ius repraesentationis (ut supra innuebam) non admittit; et ultra decimum gradum civilem (scilicet ultra quartos consobrinos) minime extenditur.

QUAESTIO V.

Quid, iuxta leges civiles, de successione intestata filii naturalis, qui minime legitimatus fuerit?

3809. I. Si fuerit legaliter recognitus, aliquam partem haereditatis genitoris defuncti assequitur, si concurrat cum filiis legitimis, aut ascendentibus, aut coniuge genitoris ipsius, iuxta regulas A. 744. 745. indicatas. His vero deficientibus, totam, ad exclusionem collateralium, haereditatem caperet.

II. Si legaliter recognitus minime fuisset, tunc ad sola alimenta ius haberet.

Hac in re notanda sunt sequentia :

a) Ius ad alimenta subsisteret quamvis filius spurius (ut supra *n.* 3796 *a*) foret.

b) Probationes *paternitatis*, quamvis (extra casum stupri vel raptus) non admittantur ad assequendam legitimationem (ut innui supra *n.* 3796 *b*), tamen admittuntur ad assequenda alimenta. Huiusmodi autem probationes essent 1° si paternitas resultaret indirecte ex sententia civili vel poenali, ut puta, si mater de filio concepto ex adulterio cum tali vel tali viro perpetrato damnata fuisset. 2° Si paternitas dependeret ex matrimonio quod invalidum declaratum fuisset (Nonne etiam ex matrimonio mere ecclesiastico?). 3° Si paternitas resultaret ex declaratione explicita patris ipsius in scriptis (etsi privatis) exarata, v. g., in testamento olographo, vel in epistolis a patre ad matrem missis, in quibus de prole tamquam sua verba faceret etc.

c) Alimenta determinari possunt non solum ex stricta necessitate, sed etiam ex convenientia, habito respectu praecipue ad substantias genitorum, numerum et statum haeredum legitimorum ; ita tamen ut filii illegitimi sorte notabiliter modestiori (prudentis iudicis arbitrio taxanda) contenti esse debeant.

QUAESTIO VI.

Quid de iuribus coniugis superstitis in successione intestata coniugis defuncti?

3810. Ut coniux superstes ius succedendi habere possit, oportet ut defunctus divortium (iuridicâ sententiâ civili quae in rem iudicatam transierit) contra eundem superstitem non obtinuerit. Hoc praesupposito, iura coniugis iuxta casuum diversitatem diversa sunt, et valent regulae sequentes :

I. Si coniux concurrat cum defuncti filiis legitimis vel legitimatis vel adoptivis, tunc ius habet ad usumfructum portionis, quae ad unumquemque filium spectaret, si ipse (vel ipsa) quoque filius (scilicet alius filius) esset; ita tamen ut eadem portio quartam totius haereditatis partem nunquam superare possit. Hinc si unicus esset filius, vel si filii essent duo aut tres, ad coniugem spectaret semper quarta pars et nihil amplius; si vero filii essent quatuor, tunc quinta; et, si essent quinque, tunc sexta pars (et sic successive), in solo usufructu (ut dixi) ad eundem (vel eandem) spectaret.

II. Si coniux concurrat cum defuncti filiis partim legitimis et partim naturalibus recognitis, tunc ius habet ad usumfructum portionis aequalis parti, quae uni filio legitimo competit; ita tamen semper ut quartam totius haereditatis partem nunquam excedere possit.

III. Si coniux cum solis defuncti ascendentibus, aut cum solis filiis naturalibus, aut cum solis fratribus vel sororibus eiusdem (eorumve descendentibus) concurrat, tunc non ad solum usumfructum, sed ad proprietatem tertiae partis totius assis ius habet.

IV. Si coniux cum defuncti ascendentibus simulque filiis naturalibus recognitis concurreret; tunc non tertia, sed solum quarta pars haereditatis, iure proprietatis ei competeret.

V. Si coniux neque cum defuncti descendentibus, neque cum ascendentibus, neque cum fratribus vel sororibus eiusdem (eorumve descendentibus); sed cum aliis collateralibus concurreret; tunc videndum an isti sint intra vel extra sextum gradum civilem. In primo casu (ut puta, si concurreret cum primis vel secundis consobrinis) coniux duas tertias partes haereditatis; in secundo autem (ut puta, si ageretur de tertiis consobrinis) totam haereditatem habere deberet.

QUAESTIO VII.

Quandonam fiscus, seu publicum aerarium, succedit?

3811. Quando haereditas sit *vacans*, nullus scilicet ex recensitis parentibus (scilicet neque coniux, neque ullus consanguineus intra decimum gradum civilem) defuncti intestati adsit vel intra trentennium inveniri potuerit.

§ III.

De testamento.

QUAESTIO I.

Quid sit testamentum, et quaenam sint diversae eiusdem formae?

3812. *Quid est testamentum?* Actus revocabilis, quo quis, quid fieri velit post mortem suam de omnibus bonis suis, aut eorum parte, in favorem sive unius sive plurium, declarat. Dixi *aut eorum parte*; hodie enim nihil vetat quominus quis partim testatus et partim intestatus moriatur: si nempe solum de parte haereditatis suae disponat, dum alia pars ad haeredes *ab intestato* defertur.

3813. *Quotuplex potest esse testamentum?* 1° Olographum. 2° Publicum, quod dicitur etiam nuncupativum vel apertum. 3° Secretum, quod dicitur etiam in scriptis vel clausum.

3814. *Quid est testamentum olographum, et quid exigitur ut sit validum?*

I. Dicitur olographum quando manu testatoris scriptum fuit.

II. Ut sit validum, exigitur 1° ut eius manu ex integro scribatur; 2° ut ponatur *data* et (in fine) subscriptio.

Explicationes. I. Data, scilicet praecisa indicatio diei, mensis, et anni, potest exprimi notis aritmeticis (etsi tutius sit eam integris litteris conscribere), et sive in principio sive in fine potest collocari, dummodo sit ante subscriptionem, vel unico contextu cum subscriptione.

II. Subscriptio expedit ut fiat apponendo proprium nomen et cognomen integris litteris, sed sufficeret si testator more suo consueto se subscriberet.

III. Non sufficeret si alter manum testatoris duxisset, ut testamentum scriberet.

IV. Quae aliena manu scripta fuissent irritum redderent testamentum, si (v. g., ex contextu) argui deberet, voluntate testatoris sic factum fuisse; non vero si quis, inscio vel mortuo testatore, aliquid in eius testamento scripsisset.

V. Quidquid manu testatoris scriptum fuisset post subscriptionem pro non scripto haberetur (nisi nova subscriptione confirmatum fuisset); sed testamentum non vitiaret.

VI. Si quid ab ipso testatore deletum fuerit, pariter pro non scripto habetur, etsi forte adhuc bene legi posset. Alia vero firma remanerent. Utrum autem litura voluntate testatoris, vel potius fortuito atramenti lapsu evenerit, quaestio non iuris sed facti erit.

VII. Quae testator, sive inter lineas; sive ad modum postillae; sive etiam ad paginae latus, etsi sine alia speciali subscriptione, scripserit, valent, nec quidquam vitiant; subscriptio enim quae in fine ponitur, sufficit; nec oportet ut testator se approbare interpositiones, postillas, lituras etc. declaret.

VIII. Nihil obstat si aliquae lineae sine scriptura (scilicet, ut aiunt, in albo) relictae fuerint; vel si non unico contextu et cum diversis *datis* testamentum scriptum fuerit; vel si ex erroribus orthographicis aliquae litterae huc illuc omissae fuerint; vel si testator locum, in quo testamentum scripsit, non indicaverit, aut chartâ simplici, vel loco atramenti hematite sive in toto sive in parte (v. g. in subscriptione) usus fuerit; aut testamentum non clauserit sed apertum reliquerit: aut in forma epistolae illud conscripserit (de hoc tamen postremo aliqui dubitant).

IX. Testamentum olographum deponi potest apud publicum notarium ab ipso testatore, vel etiam servari privatim (ut solum post mortem testatoris ad notarium deferatur); quo casu expedit ut saltem duo exemplaria conficiantur, et in locis tutis ponantur atque personis fiducia dignis consignentur.

3815. *Quid est testamentum publicum?* Est illud in quo testator viva voce suam voluntatem coram notario et quatuor testibus (vel coram duobus notariis et duobus testibus) declarat. Notarius autem per se vel per amanuensem illam in scriptis exponit; deinde per se coram testatore et testibus legit testamentum, et scribit lectionem ipsam fuisse factam. Notandum quod testator, si esset *perfecte* surdus, testamentum legere, et notarius de hoc mentionem facere debet. Si autem huiusmodi testator ne legere quidem posset, tunc quinque testes exigerentur. Postea oportet ut testator se subscribat; quod si facere non possit, impedimentum declarare, et notarius huius declarationis mentionem pariter facere deberet. Oportet denique ut testes et notarius propriam subscriptionem apponant. Haec omnia ita exiguntur, ut, si aliquid non servaretur, testamentum invalidum foret.

Adnotationes. I. Testator debet declarare suam voluntatem per extensum; neque sufficit si ad interrogationes respondeat;

ita vel *non* (it. *sì* o *no*), et a fortiori si solo nutu capitis responderet, maxime si iam in extremis atque (ut ita dicam) magis mortuus quam vivus esset. Nihil tamen officeret si aliqua interrogatio ei dirigeretur, ut hoc vel illud melius explicaret.

II. Testes debent esse tum natura, tum lege idonei. *Natura;* oportet ut sint nec mentecapti, nec surdi, nec caeci, nec idiomatis testatoris ignari. *Lege;* (apud nos) oportet et sufficit ut sint masculi, aetate maiores (scilicet 21 ann. compl.); atque ut scribere sciant; sintque nationales vel saltem in Regno residentes; neque ob delictum iura civilia amiserint; neque notarii ipsius amanuenses sint. Oportet insuper ut non solum quando testamentum legitur, sed etiam quando prius testator suam voluntatem per extensum manifestavit, praesentes fuerint. (Mutus-non-surdus admittitur, si scribere sciat).

3816. *Quid est testamentum secretum seu clausum?* Est illud quod sigillatum ita, ut absque fractione vel alteratione aperiri vel extrahi nequeat, coram quatuor testibus idoneis et scribere scientibus (ut supra) traditur notario a testatore ipso expressis verbis significante quod illud suum testamentum est. Notarius autem in ipso debitas adnotationes facit, et subscriptiones procurat etc. (iuxta A. 783).

Adnotationes. Si hoc testamentum sit scriptum, in toto vel in parte, aliena manu, tunc oportet ut testator in unaquaque pagina subscriptionem suam apposuerit; quod si facere nequiverit, saltem oportet ut sciat et possit legere, et declaret se testamentum legisse ex integro, addendo cur se subscribere nequiverit, qua de re notarius in actu consignationis mentionem facere debebit. Si autem testator manu propria totum testamentum scripsisset, tunc sufficeret (et oporteret) quod in fine se subscripsisset, etsi forte indicationem diei, mensis et anni non apposuisset. Muti nequeunt ullo modo testari nisi scribere sciant; et si (scribere scientes) testamentum secretum condere velint, oportet ut actu consignationis in scriptis declarent illud esse proprium testamentum, atque (si olographum non fuerit) a se fuisse lectum.

3817. *Quid si testator incoepisset quidem testamentum, sed, antequam praedicta omnia ad illum spectantia completa fuerint, obiisset?* Tunc (uti patet) testamentum civiliter nihil valeret.

3818. *Circa praedictas solemnitates, ad testamenti valorem praescriptas, adsuntne exceptiones?* Utique; scilicet 1° tempore pestis; 2° in mari; 3° quoad milites tempore belli.

3819. *Quid sufficit ad testamenti validitatem tempore pestis, scilicet in locis, ubi pestis, aut morbus qui existimatur contagiosus, grassetur?* Sufficit si recipiatur a notario, vel a syndico, eorumve vices gerentibus, vel a parocho aut ministro cultus, coram duobus testibus; et tunc testes quilibet (etsi foeminae) idonei sunt, dummodo sextumdecimum annum compleverint. Oportet tamen ut testamentum exaretur in scriptis atque subscribatur ab eo qui illud recipit. Oportet etiam ut vel testator et testes se subscribant, vel mentio fiat de causis propter quas tales subscriptiones omissae fuerint. Notandum 1° quod testamenta tempore pestis sic exarata valorem amittunt, si testator supervivat, elapsis sex mensibus postquam pestis cessaverit vel ille in locum sanum se receperit; eo autem non supervivente, apud officium publicae registrationis quamprimum deponi debent. Notandum 2° quod, ut valeant huiusmodi testamenta, non sufficit si aliquis casus pestis acciderit, sed exigitur ut morbus vere grassetur, et vere contagiosus existimetur, etsi de contagio certitudo non haberetur, qua de re exemplum habes in cholèra.

3820. *Quid de testamento condito in itinere maritimo?* Recipi potest a superioribus navis. Sufficiunt duo testes, qui tamen sint masculi atque aetate maiores. Valet ad tres menses, ex quo testator venerit in terram ubi testamentum more consueto facere possit. Sed hac in re videndus est codex.

3821. *Quid de testamento militari?* Recipi potest a superiore militiae (aut etiam a chirurgo militari, si miles aegrotet). Sufficiunt duo testes masculi atque aetate maiores. Confici potest solum ab iis, qui sunt actu in expeditione causâ belli, tam intra quam extra regnum, vel occupant praesidia extra regnum, vel sunt captivi apud hostes, aut obsidione impediti. Valet ad tres menses, ex quo testator venerit in loco ubi testamentum more consueto facere possit.

3822. *Valetne testamentum factum a duobus vel pluribus simul uno eodemque actu?* Negative, sive in mutuum favorem, sive, etiam in aliorum gratiam, testamentum conderent.

QUAESTIO II.

Quinam testamentum condendi sunt civiliter incapaces?

3823. I. *Qui actu testamenti non sanae mentis fuerit.* Talis praesumitur qui habitualiter est mentecaptus. Si lucida inter-

valla haberet, non destrueretur dicta praesumptio, nisi probaretur eo tempore sanae mentis fuisse; quod ex tenore testamenti, ex duratione lucidi intervalli, ex iudicio notarii et testium etc. arguendum esset. Idem dic de moribundo delirante, qui identidem a delirio cessaret et sanam mentem ostenderet. Nihil dico de ebrio. Monomaniacus tamen, qui scilicet in unica materia demens est, valide testari potest, nisi in dicta materia disponat.

Quid de testamento quod vocant *ab irato* (scilicet facto in aestu irae); vel condito a persona magnae melancholiae et mentis debilitati subiecta; vel facto a suicida? In his casibus perpendendae sunt circumstantiae, et praecipue tenor testamenti, gradus passionis vel debilitatis, iudicium medicorum etc. Sola circumstantia quod testamentum proxime ante suicidium factum fuerit, non sufficit ut absolute tamquam in statu dementiae factum haberi debeat.

II. *Interdictus ob mentis infirmitatem, interdictione durante.* In hoc casu nihil prodesset si testator actu testamenti sanae mentis fuisset. Dixi *interdictus*, aliud enim esset de inhabilitato tantum. Dixi *ob mentis infirmitatem;* **non enim sufficeret si alia** de causa interdictus fuisset.

III. *Minor, qui annum decimum octavum adhuc non compleverit.* Notandum quod testamentum factum ab huiusmodi minore, processu temporis validum non evaderet.

IV. Iure canonico incapaces sunt quoque *Regulares;* sed de hoc alibi.

3824. *Quid de filiisfamilias?* Dummodo an. XVIII compleverint, testari possunt de bonis propriis, quae sive haereditate, sive donatione, sive exercitio militiae, professionis, artis, vel utcumque labore et industria separata, eis obvenerint.

3825. *Quid de testamento illius qui in bonis nihil haberet?* Etsi quis hic et nunc nihil haberet, testamentum condere posset atque haeredem instituere; tractu temporis enim aliquid acquirere posset, et testamentum solum post mortem valet.

3826. *Quid si testator ex metu, vel dolo, vel errore aliquam dispositionem testamentariam fecisset?* Imprimis defectus huiusmodi nunquam obesse possunt aliis dispositionibus, quae in eodem testamento libera voluntate factae fuissent. Dispositionibus autem factis ex iniusta coactione vel deceptione, sive favore cogentis vel decipientis, sive favore tertiae personae non complicis; aut factis ex errore; applicanda sunt dicta de donationibus (*n.* 3606-3608).

QUAESTIO III.

Quaenam est differentia inter legatarios et haeredes?

3827. Legatarii (qui dicuntur etiam *succedentes titulo particulari*) sunt illi, quibus testator relinquit aliquid determinatum (v. g., talem vel talem fundum, aut pecuniae summam). Haeredes vero (qui dicuntur etiam *succedentes titulo universali*) sunt qui, cum obligatione satisfaciendi legatis (si adfuerint), patrimonium defuncti capiunt, sive in toto, si haeres sit unicus, sive in partibus (aequalibus vel inaequalibus) si haeredes sint plures. Haeredes autem alii dicuntur *necessarii*, et sunt qui per legem patrimonii partem (vulgo *legitimam*) necessario habere debent; alii autem *voluntarii* appellantur, et sunt qui liberâ testatoris voluntate haeredes instituuntur. Recolendum est quod testator (hodie apud nos) posset in testamento etiam sola legata facere; et tunc legatarii *ex testamento*, haeres autem (vel haeredes) *ab intestato* bona defuncti caperent. Inter legatarium et haeredem aliae quoque differentiae adsunt, quatenus scilicet 1° haeres repraesentat personam defuncti eiusque debitis (si haereditatem expresse aut tacite acceptaverit) satisfacere tenetur; legatarius vero non; 2° haeres actu mortis testatoris acquirit nedum dominium sed etiam possessionem patrimonii defuncti; legatarius vero dominium quidem sed non possessionem (quae ab haerede ei dari debet) acquirit.

QUAESTIO IV.

Quaenam personae recipiendi per testamentum sunt civiliter incapaces?

3828. Incapaces, iuxta modum loquendi iuridicum, dicuntur et sunt sequentes:

I. Qui nequeunt succedere *ab intestato*: scilicet 1° nondum concepti; 2° nati non vitales; 3° indigni; iuxta explicationes datas *n.* 3803. Attamen, quoad nondum conceptos, adest exceptio; recipere enim possunt per testamentum filii immediati personae a testatore determinatae, quae vivat actu mortis testatoris ipsius, etsi dicti filii tunc non adhuc concepti fuissent. (*A.* 764). Et circa indignos notandum quod exclusio indigni ab haereditate testamentaria non ita nocet eius descendentibus innocentibus, ut priventur *legitima*, quae excluso contingere debuisset.

II. Filii spurii testatoris (in sensu explicato *n.* 3796) Hi incapaces sunt, quatenus (etiam per testamentum) nihil praeter alimenta recipere possunt.

III. Filii naturales testatoris recogniti sed non legitimati. Hi quoque dicuntur incapaces, quatenus, si adsint descendentes vel ascendentes legitimi testatoris, nequeunt recipere per testamentum plus quam lex eis attribueret si *ab intestato* succederent (iuxta dicta *n.* 3809).

IV. Tutor a proprio administrato (nisi sit eiusdem ascendens vel descendens vel frater vel soror vel coniux) nequit recipere quidquam per testamentum, quod tempore tutelae vel ante rationum redditionem confectum fuerit.

V. Coniux binubi incapax est recipiendi ab illo per testamentum portionem maiorem illa quam reliquerit filio minus considerato prioris matrimonii.

VI. Notarius, vel quisquis alius receperit testamentum publicum, incapax prorsus est, sive haereditatis sive legati titulo, quidquam recipiendi. Idem dic de testibus.

VII. Qui scripsit testamentum secretum incapax pariter est quidquam recipiendi. Excipe, nisi testator specialem approbationem sive manu propria scripserit, sive actu consignationis emiserit.

3829. *Quid si testator, volens aliquid relinquere spurio vel alicui alio ex praedictis incapacibus, in fraudem legis dispositionem fecisset in favorem suppositae personae, cum qua scilicet secreto convenisset tradendi incapaci quod sic receptura erit?* Talis quoque dispositio invalida foret. Et notandum quod pater, mater, descendentes et coniux incapacis, semper praesumuntur personae suppositae; in aliis autem casibus suppositio seu fictio probatione indigeret.

3830. *Quae testator reliquerit incapaci, cui cedunt?* Iure italico, haeredibus.

3831. *Quid de dispositionibus factis in favorem entis civiliter suppressi, vel ita ut (ad valide illas acceptandas) auctorizatio aliqua exigatur?*

Ad I.um respondeo: Entia civiliter suppressa apud nos sunt beneficia simplicia, capellaniae collativae, capellaniae laicales, ordines religiosi, canonicatus collegiatarum, capellaniae chorales, abbatiae, prioratus, ecclesiae receptitiae, comuniae, ecclesiae ordinum religiosorum, et collegiatae (nisi sint etiam parochiales, vel nisi a Municipiis conserventur, vel sub dominio privatorum transierint). Uno verbo, exceptis Episcopatibus, se-

minariis, paroeciis, et capitulis Cathedralium, omnia entia moralia autonoma, quae habeant characterem perpetuitatis et sint directa ad cultum, suppressa et prorsus abolita sunt. Dispositiones itaque ad fundanda vel dotanda entia huiusmodi (in quibus haec tria concurrant, scilicet 1° perpetuitas, 2° autonomia, 3° causa cultus) civiliter sunt invalidae; et pro his gubernii auctorizatio obtineri nequit.

3832. Ad II.um respondeo: Auctorizatio Gubernii (intellige semper apud nos iuxta legem civilem) exigitur in duobus casibus:

I. Si dispositio facta sit in favorem corporis moralis conservati et iam existentis, v. g., congregationis publicae beneficentiae, paraeciae, seminarii etc.

II. Si facta sit pro novo ente morali (quod non sit de genere eorum quae abolita sunt) creando; tunc enim pro ipsa entis moralis creatione auctorizatio exigeretur. Casum habes si testator ad fundandam sive novam paroeciam, sive operam piam in favorem pauperum, sive quamlibet aliam operam laudabilem, a suis executoribus testamentariis (atque adeo modo autonomo) administrandam, dispositionem fecisset.

Caeterum dispositiones non perpetuae, quae sive ab haeredibus sive ab executoribus testamentariis adimpleri deberent (quamvis ageretur de insumendo toto asse in celebratione Missarum), valerent et nulla actorizatione indigerent.

3833. *Quid si testator ope personae interpositae in favorem entis suppressi (v. g. ordinis religiosi) dispositionem faceret? Dispositio huiusmodi essetne invalida perinde ac si in favorem personae incapacis (iuxta dicta n.* 3729) *facta fuisset?* De hoc vide *Praxis n.* 2574.

3834. *Quid de haereditate vel legato in favorem minoris vel cuiuslibet sub tutela constituti?* Pro acceptatione, consensus tutoris, imo etiam consilii familiae, exigitur.

QUAESTIO V.

Quid de substitutionibus?

3835. Regulae quae valent circa substitutiones in donationibus (Cf. *n.* 3636), valent etiam circa substitutiones in testamentis. Cf. Praxis *n.* 2582 *et seqq.*

QUAESTIO VI.

Quid de dispositionibus indeterminatis?

3836. I. Si indeterminatio respiceret *personam*, dispositio esset invalida. Hoc triplici modo contingeret: 1° Si neque ex verbis testatoris, neque ex circumstantiis extrinsecis, cognosci posset de quonam individuo loqui intenderit. 2° Si testator reliquisset tertio facultatem determinandi personam cui ab haerede aliquid ad modum legati dandum esset. Attamen valeret huiusmodi dispositio si persona eligi deberet a tertio non prorsus ad libitum, sed inter plures personas a testatore indicatas, vel inter individuos certae familiae, aut societatis. Idem dic si ageretur de dispositione pro pauperibus ab eodem tertio eligendis. Si autem dispositio in favorem pauperum esset generica prorsus, quin testator distributionem alicui commisisset, tunc (lege sic disponente) ab administratoribus publicae beneficentiae pauperibus loci, in quo testator obierit, distributio fieri deberet. 3° Si testator animam propriam vel aliorum haeredem vel legatariam reliquisset. Haec dispositio invalida esset (intellige civiliter), si modo sic mere generico facta fuisset. Aliud foret si testator determinationes civiliter non interdictas adiunxisset: v. g., ut talis vel talis Ecclesia (non suppressa) haeres vel legataria evaderet cum onere celebrandi Missas vel suffragia pro anima sua etc.

II. Si indeterminatio respiceret *quantitatem* in legato, si nempe testator arbitrio tertii vel haeredis reliquisset determinationem quantitatis (v. g., pecuniae) tradendae vel erogandae, tunc pariter dispositio invalida esset. Excipe nisi ageretur de legato remuneratorio pro servitiis in extrema infirmitate testatori ipsi praestitis; tunc enim si legatarius de quantitate ei oblata non esset contentus, arbitrio boni viri vel iudicis res esset definienda.

QUAESTIO VII.

Quid de caducitate dispositionum testamentariarum, et quid in iisdem de iure repraesentationis et de iure accrescendi?

3837. I. Caducitas intervenit si vocatus (ille scilicet in cuius favorem dispositio facta fuit) testatori praemoriatur, vel incapax reddatur, vel renuntiet. Utique tunc dispositio fit *caduca*; cedit scilicet, si agatur de haerede, haeredibus ab intestato; et, si agatur de legatario, haeredi testamentario.

3838. II. Renuntiatio, ut valeat, coram Praetore emitti debet, si agatur de haereditate; insuper neque conditionalis, neque dilata in posterum, neque partialis esse potest. Si vero ageretur de legatis, renuntiationem privatam, sive expressam sive tacitam, sufficere dicunt Iurisperiti.

Caducitas impediri potest in tribus casibus, scilicet 1° propter substitutionem vulgarem (si nempe testator ipse designasset personam in casu substituendam): 2° propter ius repraesentationis; 3° propter ius accrescendi.

3839. III. Quoad ius repraesentationis, quid sit, et relate ad quas personas locum habeat in successionibus ab intestato, iam dixi supra (*n.* 3805 *et seq.*), ubi notavi quod in casibus mortis et incapacitatis tantum, non vero in casu renuntiationis, intervenire potest. Hic itaque addendum est solum quod ius istud *apud nos* adest etiam aequali modo quoad successiones testamentarias; unde, v. g., si testator fratrem suum haeredem vel legatarium instituisset, eo praemortuo vel incapaci (non item renuntiante), eiusdem filii iure repraesentationis haereditatem vel legatum caperent. Excipe nisi testator expresse contrarium statuisset, vel nisi de legato solius ususfructus, aut alterius iuris suapte natura personalis, ageretur.

3840. IV. Ius accrescendi intervenit quando uno eodemque testamento atque una eademque dispositione (seu periodo) duo vel plures haeredes (et idem dic de legatariis) vocati fuerunt coniunctim, dicendo, v. g.: *Constituo meos haeredes Titium et Caium:* vel: *Lego meam domum Livio et Maevio*; ita scilicet ut testator vel partium mentionem non fecerit, vel dixerit: *in partibus aequalibus.* Tunc autem, uno praemortuo vel reddito incapaci vel etiam renuntiante, pars illius (cum suis utilitatibus et oneribus) accrescit alii vel aliis. Idem dic si decursu temporis, haereditate iam acquisita, unus moriatur etc. Haec tamen intellige semper dummodo 1° alii succedere non debeant haeredi aut legatario defuncto vel incapaci iure repraesentationis, iuxta dicta n.° praecedenti, et dummodo 2° testator alium expresse non substituerit. Nonnulla alia, speciatim quoad usumfructum eiusdem rei pluribus personis relictum, vide in *Cod. n.* 884.

QUAESTIO VIII.

Quid de dispositione conditionali aut pura et simplici?

3841. I. Dispositio *conditionalis* est quae relinquit in incerto, an qui vocatus fuit, haeres vel legatarius revera futurus sit, eo

quod oporteat ut eventus incertus prius verificetur. Conditio distinguenda est ab *onere*, quod nihil suspendit, sed solum obligationem imponit.

II. Si dispositio non sit conditionalis, tunc dicitur *pura et simplex*. Haec semper et in quovis casu efficit ut haeres vel legatarius ius acquirant ad haereditatem vel legatum actu mortis testatoris, et sufficit si unico momento ei supervivant, ut ius ipsum ad suos haeredes transmittant (quamvis forte adhuc nihil acceptassent imo nihil scivissent). Eis tamen integrum erit tali iuri renuntiare.

III. Aliud est conditio, et aliud *appositio morae*, quae solum legatis apponi potest, et non iam (sicut conditio) relinquit in incerto an vocatus futurus sit revera legatarius, sed solum ei differt rei traditionem (v. g.: Lego Titio centum aureos ei dandos post duos annos). Si autem mora apponeretur haereditati, pro non scripta haberetur, et (valida remanente dispositione) vocatus statim haeres evaderet.

IV. Circa conditiones notandum, quod, quamvis ordinarie efficiant ut verificatio expectari atque interim dispositio in suspenso remanere debeat, ut dixi ; tamen interdum alios effectus habent.

3842. *Quinam sunt casus in quibus conditio non suspendit, sed alios effectus habet?*

I. Conditio interdum ipso facto invalidam reddit dispositionem.

Exemplum habes si redderet rem inintelligibilem (v. g. *Haeres meus erit Caius si erit Titius*), vel legatarium privaret iure exigendi legatum (v. g., *Lego Titio centum aureos, si haeres meus de hoc erit contentus*), vel legatum redderet inane (v. g., *Lego Titio centum aureos, dummodo centum aureos pro haerede solvat*). Idem dic (prout noster Codex statuit) si conditio esset de haereditate reciproce constituenda, si nempe, v. g. Titius, ad habendam haereditatem Caii (quem percipit sibi esse praemoriturum), pacisceretur se illum constituturum esse haeredem, dummodo ille in suum favorem testamentum conficiat; atque adeo Titius ipse in testamento diceret: *Haeredem constituo Caium sub conditione quod ille quoque me haeredem constituat.* Idem dic etiam de conditionibus quae palam facerent testatorem ironice loqui, aut esse mentecaptum, ut statim explicabitur.

3843. II. Conditio interdum efficit, ut ipsa (valida remanente dispositione) sperni et tamquam non scripta haberi debeat. Hoc (iure communi et nostro sic disponente) accidit quando testator (etsi sanae mentis fuerit, nec ironice loqui intenderit) *irrationabiliter* illam apposuerit, quod accidere potest praecipue si conditio fuerit vel 1° impossibilis, vel 2° contra leges et bonos mores.

3844. Circa conditionem impossibilem notandum imprimis non intelligi conditionem, de qua ex una parte testator ignoraverit esse impossibilem, et ex alia rationabiliter illam apposuerit. Instituit, v. g., Titium haeredem sub conditione quod filiam suam in uxorem duceret, sed illa (eo inscio) mortua erat. Oportet itaque ut nedum impossibilis, sed etiam irrationabilis fuerit. — Notandum insuper conditionem impossibilem inducere posse suspicionem quod testator aut non sanae mentis extiterit, aut ironice haeredem vel legatarium instituerit. Quid enim si, factis aliis legatis, dixisset: *Titius autem, qui vellet mille scutata in vitiis insumenda, habebit mille scutata si vixerit mille annis, aut si digito caelum tetigerit, aut si totam aquam maris biberit, aut quando homines non pedibus sed capite iter facient* etc.? Profecto, si de dementia, vel de huiusmodi ironia (non iam haeredis institutionem sed exhaeredationem significante) constaret, tunc nedum conditio, sed etiam dispositio corrueret. At vero, si de hoc non constet, conditiones, quae, propter impossibilitatem (etsi relativam vel moralem tantummodo), sint irrationabiles, tamquam non scriptae, firma remanente dispositione, haberi debent. Enim vero contingere potest quod a testatore sanae mentis et volente haeredem vel legatarium vere instituere, conditio impossibilis (maxime si impossibilitas fuisset solum moralis) ex ignorantia, vel hallucinatione, vel affectu excessivo ad rem conditione illâ requisitam, vel fanatismo etc., apposita fuerit. Casus esse posset, v. g., si haeredem instituisset Titium sub conditione quod intra tres dies monumentum marmoreum ei conficeret, vel in habitu poenitentiae pedestrem longissimamque peregrinationem expleret etc. Contingere potest etiam quod non ex intentione, bene vero ex lapsu calami (scribendo v. g., *trè* pro *trenta,* aut *purchè* pro *perchè* etc.) conditio expressa fuisset. Sed, quidquid sit de causa cur res huiusmodi acciderit, semper subintrat lex, quae decernit ut conditiones impossibiles irrationabiliter appositae spernantur et tamquam non scriptae habeantur; dispositio autem firma remaneat; unde Iurisperiti dicunt quod *non vitiant, sed vitiantur:* et quod dominium, si non transiret voluntate testatoris, transiret voluntate legis, quae illius consensum suppleret.

3845. *Quid de conditione renuntiandi alicui successioni?* Videndum an haec renuntiatio fieri debeat vivente persona de cuius successione agitur, an vero ea mortua. In primo casu renuntiatio valida est impossibilis; secus in secundo; si nempe vocatus expectare possit ut eadem successio aperiatur, et tunc videbit an primae, an vero secundae haereditati renuntiare sibi magis utile sit.

3846. *Quid de conditione quod haeres vel legatarius bona ei relicta nec alienare nec hypothecis subiicere possit?* Haec conditio est de re possibili, et valet dummodo 1. non extendatur ultra vitam haeredis vel legatarii ipsius: 2. ei non imponatur obligatio tradendi bona ipsa tertiae personae designatae: 3. hoc fiat ex causa rationabili, nempe ad impediendam certam vel probabilem bonorum ipsorum dissipationem.

3847. Quod autem sperni debeat conditio etiam quando sit contra leges et bonos mores, notandum 1° quod codex nomine legum intelligit leges civiles, unde (in sensu codicis) conditio de faciendo divortio (quoad vinculum) in matrimonio contracto ecclesiastice tantum, valida; civiliter tantum, invalida censeretur. Valida quoque esset (in sensu codicis) conditio de adeundis (apud nos) urnis politicis, de acceptando officio iure civili licito, iure canonico illicito etc. Notandum 2° quod ut conditio sit contra

bonos mores non oportet ut sit de re peccaminosa in se, sed sufficit quod in bonorum morum praeiudicium redundare soleat.

3848. Hinc (tamquam honestae, possibiles, et rationabiles) valerent conditiones 1° *Si talem artem (tibi convenientem) vel officium susceperis,* aut e contra, *si talem professionem non susceperis:* 2° *Si domicilium in tali civitate constituas,* vel *non constituas*: 3° *Si talem personam te indigentem non deseras*: 4° *Si cognomen meum sumas:* 5° *Si honeste vivas:* 6° *Si ad catholicam religionem te convertas,* vel *in ea perseveres.* 7° *Si, lupanari relicto*, *in poenitentiali recessu te claudas etc.*

3849. E contra facile sunt in praeiudicium bonorum morum, et proinde facile tamquam non scriptae haberi debent, conditiones 1° *Si nupseris cum consensu et iuxta placitum talis personae.* 2° *Si in uxorem duxeris talem* (quam non amet) vel *si in uxorem non duxeris talem* (quam amet nec sit indigna). Aliud esset de conditione (speciatim generica) non contrahendi matrimonium cum persona indigna, cum dedecore familiae etc.

3850. *Quid de conditione servandi caelibatum aut viduitatem?* Generatim contra bonos mores (propter periculum vitae licentiosae aut concubinatus) esse censetur, et proinde ordinarie non tenet.

Excipe casum *iustae causae;* prout contingeret 1° Si, v. g., propter infirmitatem, status coniugalis vocato futurus esset infelicissimus. 2° Si viduae aut vidui secundae nuptiae futurae essent ruinosae filiis. 3° Si haec conditio a coniuge defuncto coniugi superstiti apposita fuisset.

Excipe etiam casum in quo vocatus frui quidem nequiret liberalitate testatoris nisi in statu caelibatus aut viduitatis, sed testator ipse impediendi matrimonium nullam intentionem habuisset. Reliquit v. g. mulieri pensionem fruendam durante caelibatu aut viduitate, non iam ad ei impediendum matrimonium, sed ad subveniendum illius necessitati, qua, invento marito, non amplius laborabit. Idem dic si patruus nepoti ostendenti vocationem ad statum ecclesiasticum, fundum pro patrimonio sacro vel libros theologicos etc. relinqueret, sub conditione quod Ordines sacros suscipiat.

3851. *Quid si conditio nec impossibilis, nec contra bonos mores esset, sed nihilominus stulta et irrationabilis foret?* Tunc etiam, valida remanente dispositione, sperni et tamquam non scripta haberi posset, ut puta, si conditio esset de sepeliendo defuncto cum vestibus pretiosis, gemmis etc. Ita cum iure communi docent Iuristae.

3852. III. Interdum conditio considerari debet tamquam adimpleta, quamvis adimpleta minime fuisset. Casus sunt sequentes:

1° Si haeres voluntarie et malitiose (ne scilicet legatum conditionale solveret) conditionis adimplementum prorsus impedivisset (iuxta dicta *n.* 3288 *V.*), aut effecisset ut legatarius nimiis difficultatibus ad conditionem adimplendam subiici debuisset.

2° Si ex una parte non de casuali sed de potestativa aut mixta conditione ageretur, et ex alia praesumi deberet quod ex mente testatoris intelligenda esset benigniter, nempe cum clausula *si fieri poterit.* Ut plurimum ita, sed aliquando rigorose intelligi debet, si nempe testator principaliter de re (propter quam conditionem posuit), de persona autem non nisi subordinate sollicitus fuisset; ut puta, si dixisset: *Titius haeres erit si in uxorem duxerit Caiam filiam meam.* Si matrimonium istud (sive ex dissensu sive ex morte Caiae) non sequeretur, Titius haeres non esset. Aliud dicendum foret si testator principaliter de persona et secundario de re sollicitus fuisset; ut puta, si dixisset: *Titius haeres erit dummodo tali mense Romam petat;* tunc enim Titius haereditatem habere deberet, etsi propter infirmitatem vel aliud impedimentum iter ad aliud tempus (adhuc tamen utiliter) differre cogeretur.

3° Si conditio non quidem litteraliter, sed aequipollenter (iuxta dicta *n.* 3296) sine laesione voluntatis testatoris adimpleta fuisset. Conditio erat, v. g., de solvendo debito, et tu a creditore debiti ipsius remissionem obtinuisti.

QUAESTIO IX.

Quid de dispositionibus factis ex causa falsa, vel a resciente postea se habere filios, vel a non cogitante de filiis futuris, vel ad finem turpem?

3853. I. Quoad causam falsam, distinguendum inter causam finalem (si nempe testator, errore cognito, sic non disposuisset), et mere impulsivam. In primo casu error (ad differentiam aliorum contractuum, iuxta dicta *n.* 3281) dispositionem invalidam redderet. Casus esset in patre, qui firmiter credens filium suum unicum esse mortuum, haeredem instituisset Titium; et postea, mortuo patre, filius compareret, atque haereditatem reclamaret. Attamen constare deberet evidenter quod causa fuerit finalis. Secus dispositio foret valida; nec obstaret quod causa (impulsiva tantummodo) expressis verbis (non tamen ad modum conditionis) a testatore indicata fuisset.

II. Quoad testatorem mortuum cum filiis aut descendentibus ei superstitibus, quos actu testamenti non habuisset, leges decernunt quod testamentum in tali casu nihil prorsus valeret; quod verum esset quamvis filius futurus non naturalis et legitimus sed solum adoptivus, vel (etsi post mortem testatoris tantum) legitimatus fuisset.

III. Quoad finem turpem, si testator illum expressisset, distinguendum pariter an fuisset motivum finale, an vero impulsivum tantummodo. Quum talis finis semper supprimendus sit, in primo casu dispositio (utpote quae cum illo substantialiter coniungeretur) corruere deberet; in secundo autem, non; etsi enim finis turpis tamquam suppressus et non scriptus habeatur, dispositio, quae aliis quoque principalioribus motivis inniteretur, valida esse pergeret. Troplong *n.* 389.

QUAESTIO X.

Quid de parte disponibili, de legitima et de iuribus coniugis filiorumque naturalium in successione testamentaria?

3854. *Potestne testator disponere de omnibus bonis suis prout vult?* Non semper; interdum enim distinguendum est inter partem disponibilem et partem non disponibilem; et testator, si de parte non disponibili disponeret, invalide de illa disponeret, et (valido remanente testamento) lex defectum corrigeret.

3855. *Quandonam testator de integro suo patrimonio valide et cum effectu disponere nequit; quandonam scilicet patrimonium distinguendum est inter partem disponibilem et partem non disponibilem?* Quando testator actu mortis suae habeat haeredes necessarios, qui sunt 1° filii legitimi; vel 2° ascendentes, vel 3° coniux; vel 4° filii naturales. In aliis autem casibus de integro suo patrimonio disponere valet. Sed haec sunt explicanda.

3856. *Quid si testator cum filiis legitimis moriatur?*

I. Nomine filiorum legitimorum veniunt etiam filii legitimati, et filii adoptivi, eorumque descendentes. Attamen hi descendentes repraesentando filium defunctum, legitimam quae ad illum spectaret inter sese subdividere debebunt.

II. Pars disponibilis tunc erit sola patrimonii medietas (et quidem salvis adhuc iuribus coniugis et filiorum naturalium, ut infra); alia autem medietas ad filios (vel ad filium, si unicus adesset filius) pro legitima spectabit.

3857. *Quid si testator moriatur sine filiis (ut supra), sed cum ascendentibus?* Tunc pars disponibilis a duabus tertiis patrimonii partibus constituitur (salvis semper iuribus praedictis coniugis et filiorum naturalium); unde legitima ascendentibus dēbita restringitur ad tertiam partem; quae sequenti modo distribuitur. Viventibus ambobus testatoris genitoribus, illi hanc legitimam inter se dividunt. Vivente unico genitore, ille hanc totam legitimam capit. Mortuo utroque genitore, et viventibus ascendentibus in linea paterna et materna; eiusdem legitimae medietas ad unos et medietas ad alios cedit, si sint in gradu aequali; sin minus, proximiores alterutrius lineae totam legitimam capiunt et remotiores excludunt.

3858. *Circa legitimam praedictis debitam estne aliquid notandum?* Notanda sunt sequentia:

I. Debetur pleno iure, scilicet proprietatis et ususfructus, atque sine dilatione a momento mortis testatoris.

II. Sine ullo onere et sine ulla conditione.

III. Si testator minuisset legitimam sub uno respectu (auferendo, v. g., usumfructum ad tempus vel imponendo onus alicuius pensionis temporaneae etc.); sed illam auxisset sub alio respectu (dando, v. g., ius in futurum ad alia capitalia quae ad partem disponibilem spectarent); tunc legitimarii (idest ius habentes ad legitimam) poterunt pro libitu sive exequi dispositionem testatoris cum iure ad dictam compensationem futuram, sive exigere legitimam integram et liberam, iuri ad eandem compensationem renuntiando prorsus.

3859. *Quid de iuribus coniugis in successione testamentaria?* Etiam in successione ista, ut coniux superstes iura habere possit, oportet ut sententia divortii (quae transierit in rem iudicatam) contra illum lata non fuerit. Si huiusmodi sententia non existat, tunc ius habebit ad portionem (attamen semper in solo usufructu) sumendam ex patrimonio defuncti sine ullo detrimento legitimae descendentibus vel ascendentibus (ut supra) debitae; ita ut scilicet ex parte disponibili sumi debeat. Haec autem portio, iuxta tres diversos casus, tribus diversis modis taxari debet; scilicet 1° si coniux concurrat cum filiis legitimis eorumve descendentibus, tunc portio est aequalis illi quae titulo legitimae ei competeret si esset unus ex filiis scilicet alius filius; 2° si concurrat cum ascendentibus, tunc portio est quarta pars totius patrimonii; 3° si neque descendentes (legitimi vel legitimati) neque ascendentes adsint, tunc portio est tertia (intellige semper, ut dixi, in solo usufructu).

3860. *Quid de iuribus filiorum naturalium, qui legaliter recogniti (sed non legitimati) fuerint, eorumque descendentium?*

I. Si filius naturalis concurrat cum filiis aut ascendentibus legitimis; tunc ius habet ad medietatem quotae, quae titulo legitimae ei contigisset, si ipse quoque cum aliis filius legitimus fuisset.

II. Si filius naturalis cum praedictis non concurrat; tunc ius habet ad duas tertias partes quotae, quae ei dari debuisset si legitimus fuisset.

III. Descendentes legitimi filii naturalis praemortui iura eiusdem reclamare possunt.

3861. *Circa portionem filiis naturalibus debitam estne aliquid notandum?*

I. Eis debetur non in solo usufructu (sicut coniugi), sed in proprietate.

II. Non praeiudicat legitimis, sed ex parte disponibili sumi debet.

3862. *Quaenam regulae teneri debent* 1° *ad determinandum an dispositiones a testatore factae intra partem disponibilem contineantur; an vero illam excedant et sic legitimae praeiudicent;* 2° *ad legitimam ipsam (quatenus laesa fuerit) integrandam?* Regulae principales sunt sequentes:

I. Patrimonium a defuncto relictum purgandum est ab aere alieno.

II. Computari debent donationes, quae forte factae fuerint a testatore vivente, perinde ac si bona donata in patrimonio ipso adhuc invenirentur; qua de re vide dicta (*n.* 3625).

III. Computari debent quoque largitiones, quas forte ipse testator vivens, titulo sive dotis, sive patrimonii ecclesiastici, sive utcumque ad modum haereditatis anticipatae, filiis fecisset; iuxta dicta (*n.* 3641 et seq.).

Notandum quod donationes palliari possunt sub figura contractus onerosi; idque praesumitur si pater filio (ad favendum ei in fraudem legis) proprietatem aliquam, sine consensu aliorum filiorum, cessisset sub pacto redditus vitalitii vel reservationis usus fructus; et tunc hae quoque palliatae donationes computari deberent.

IV. Summa autem resultans ex patrimonio relicto et purgato, additis donationibus et largitionibus praedictis, erit basis ad determinandum quanta sit legitima (quae modo ex medietate, modo ex duabus tertiis partibus etc. efformatur, ut dixi); et quanta sit pars disponibilis.

V. Si ex dicto patrimonio et largitionibus haereditatis anticipatae rationem habentibus, legitima salva et integra remaneat, simulque possint legata atque aliae dispositiones testamentariae adimpleri; tunc nulla quaestio supererit. Si vero, satisfaciendo his dispositionibus, legitima salva non remaneret, tunc ipsae imminuendae essent proportionaliter; idque (nisi testator aliud statuisset) absque distinctione inter haeredes et legatarios, vel inter legatum et legatum. Si autem eas imminuere non sufficeret, tunc illas prorsus supprimere oporteret. Si denique, ad salvandam legitimam, ne haec quidem suppressio sufficeret, tunc ad reductionem donationum recurrendum foret, incipiendo ab ultima etc. (iuxta dicta *n.* 3625).

QUAESTIO XI.

Quid de interpretatione quoad dispositiones testamentarias?

A.

Regulae generales.

3863. I. Si verba sint clara, ita ut nullam ambiguitatem praeseferant, et nequidem sensum improprium patiantur; tunc ipsis standum erit, neque ad coniecturas (quae aliam fuisse mentem testatoris subindicent) recurrere licebit.

II. Verba accipi debent in sensu proprio seu obvio, habita ratione modi loquendi testatoris, nisi constaret fuisse mentem illius ut in sensu improprio acciperentur.

III. Si verba sint ambigua, indaganda erit ex circumstantiis (v. g., status, conditionis, affectus, consuetudinis etc.) mens testatoris ipsius. Dubio adhuc permanente, standum erit maiori probabilitati. Ea quoque deficiente, arbitrio iudicis res erit definienda.

B.

Regulae speciales.

3864. I. Quando certum est testatorem facere voluisse dispositionem in favorem talis vel talis personae, et verba duplicem sensum ita habere possint, ut, si uno sensu intelligantur, dispositio invalida; et si alio, valida foret; tunc sensus, qui

validitati favet, teneri debet. Hinc si testator dixisset: *Instituo haeredem Titium, eique substituo Sempronium,* haec dictio intelligi deberet de substitutione vulgari, non vero de fideicommissaria, quae ut vidimus invalida esset. Notandum quod haec regula applicari potest quoque legatis, favendo scilicet potius legatario quam haeredi.

II. Quando incertitudo (quae omnibus perpensis remaneat) non circa validitatem, sed circa quantitatem legati versetur; tunc pro quantitate minori (in favorem haeredis) standum erit.

III. Dictio: *omnia bona mea mobilia et immobilia*, universalitatem quoad bona et iura omnia significat.

IV. Verbum *mobilia* speciali animadversione indiget; italico enim sermone longe aliud est dicere *mobilia (i mobili, la mobilia, la casa mobiliata);* et aliud *bona mobilia (i miei beni mobili, i miei effetti mobili, la mia sostanza mobile, tutti i miei mobili).* Prima dictio restringitur ad solam cubiculorum supellectilem; scilicet lecta, sedilia, mensas, imagines muris affixas, aliaque similia quae in cubiculis pro necessitate vel ornatu esse solent; non vero ad mobilia venalia, vel ad collectiones rerum pretiosarum vel antiquarum, quae casu in cubiculis reposita fuissent. Secunda autem ad mobilia cuiuslibet generis (comprehensa quoque pecunia), extenditur.

Quid si testator dixisset: *Relinquo domum cum rebus omnibus quae in ipsa inveniuntur?* Tunc comprehenduntur mobilia omnia cuiuslibet generis; sed excepta pecunia. Attamen haec quoque comprehenderetur, si testator dixisset: Quidquid erit in domo mea, vel in tali cubiculo, vel in tali capsa tempore mortis meae erit Titii; maxime vero si dixisset: nullius rei exclusione facta, vel: nemo inspicere possit quid ibi sit.

3865. V. In legatis praesumendum est quod testator locutus fuerit de rebus et personis existentibus tempore testamenti, non vero de rebus acquisitis aut personis natis postea; excepto semper casu in quo ex contextu vel circumstantiis aliter iudicandum sit. Hinc ordinarie liberatio a debitis ad debita futura (etsi ante testatoris mortem contracta fuerint) non extenditur. Legatum pecuniae aut vestium, de pecunia aut vestibus tempore testamenti existentibus intelligitur. Idque maxime si testator adiecisset verba temporis praesentis, dicendo, v. g.: Lego uxori meae immobilia quae possideo. Legatum in favorem filiorum alicuius, de filiis tempore testamenti natis, non vero de aliis (etsi ante mortem testatoris) nascituris, intelligendum erit etc.

3866. VI. Si testator legaverit *credita,* in his pecunia, quae

apud administratores vel correspondentes esset, non comprehenderetur; hi enim non debitores sed depositarii sunt. Si legaverit *cibaria*, haec intelligi debent de solo cibo et vino. Si legaverit *alimenta (*it, *mantenimento)*, tunc intelliguntur etiam vestes, habitatio, famulatus conveniens, medicamenta aliaeque res necessariae durante vita legatarii; et aliquando (attentis circumstantiis) intelligi possunt etiam expensae instructionis convenientis conditioni. In determinanda autem quantitate (a testatore non designata) videndum an et quo modo defunctus (maxime tempore quo testamentum condidit) solitus fuisset cibaria vel alimenta sive legatario ipsi, sive aliis eiusdem conditionis praestare. Ex facultatibus etiam defuncti, ex eius affectu erga legatarium, ex ipsius conditione etc. consilium sumi debebit.

3867. VII. Si ad legati fruitionem (prout in legatis dotium contingere solet) vocarentur *virgines*, aut *puellae honestae*, aut simpliciter *puellae* (it. *zitelle*), verba ista sensu sequenti accipi deberent:

A) Verbum *virgo* significat puellam quae suo honore gaudeat, quamvis secreto virginitatem amisisset. Aliqui censent, virginitate occulte amissa, dotem posse quidem dari sed non a puella peti; sed hic scrupulus est.

B) Epitetum *honesta* intelligitur semper de honestate *publica*, unde lapsus occulti non obsunt.

An autem una vel altera fornicatio, de qua murmur vel etiam certa notitia subsecuta fuerit, sufficiat ut mulier non amplius honesta dici possit, pendet a circumstantiis, et a praesumpta intentione testatoris. Agitur, v. g., de dotibus dandis puellis honestis loci? Unica fornicatio probabiliter non obstabit, quandoquidem *una hyrundo non facit ver;* sed excipe si de facto praesenti et certo (atque adeo hic et nunc valde scandaloso) ageretur, aut si testator dixisset *puellis magis honestis* (et adessent puellae quae nunquam lapsae fuissent) maxime vero si dixisset *puellis exemplaribus*. Unica autem fornicatio notoria certe obstaret si testator reliquisset dotem propriae consanguineae determinatae sub conditione *si semper honesta remanebit*, aut reliquisset usumfructum suae viduae *donec honeste et caste vixerit*. Praxis (*n.* 2650).

C) Verbum *puella* (it. *zitella*) significat foeminam, quae saltem duodecimum annum compleverit. Exigitur etiam ut nunquam nupserit; viduae enim (etsi iuvenes) non dicuntur puellae.

3868. VIII. Si testator sincerus catholicus reliquisset dotes pro foeminis matrimonium contracturis, verbum *matrimonium*

intelligi potest solum (iuxta mentem testatoris ipsius) de matrimonio ecclesiastico. Idem dicendum de subsidiis, quae a persona catholica viduis earumque filiis relicta fuissent; non enim supponi posset quod testator viduis ex solo matrimonio civili favere voluerit.

3869. IX. Clausula — *durante viduitate* — vel — *si lectum meum servabit* —, quae a marito viduae suae aliquid relinquenti apposita fuerit, ita (iuxta ipsius mentem) intelligi deberet, ut ad legati amissionem matrimonium ecclesiasticum (saltem notorie contractum) sufficiat. Ita certe sentit Ecclesia, quae ideo non permittit ut vidua (in huiusmodi casu) matrimonium ecclesiasticum sine civili contrahat, prout decisum fuit a S. C. C. Acta (*XVII* 478). Dixi *matrimonium saltem notorie contractum;* de matrimonio conscientiae enim, in quo mulier adhuc coram omnibus vidua praecedentis mariti appareret, an aliter dicendum sit iudicent sapientiores.

3870. X. Clausula — *donec cum filiis steterit* — quae a marito (ut supra) apposita fuerit, an efficiat ut vidua legatum perdere debeat si ad secundas nuptias transeat, quamvis filios minime derelictura esset, disputant Doctores. Si tamen optimo viro nuberet, non intelligo cur legatum amittere deberet, maxime si futurum esset ut vidua sic bono filiorum ipsorum multo melius consuleret.

3871. XI. Legatum *in favorem pauperum*, si testator nihil omnino determinaverit, iuxta legem civilem, locali publicae beneficentiae instituto cedit (ut supra dixi). Si autem distributionem haeredi commiserit, tunc plures censent, quasdam regulas esse servandas, nempe praeferendos esse pauperes testatori magis coniunctos; item concives; item magis indigentes; item pauperes probatioris vitae; item nobiles a proprio statu delapsos; item verecundiores; item foeminas periclitantes; item moniales valde indigentes etc. etc. Sed hae regulae grosso modo interpretari debent; secus enim in tricas coniicerent et infinitis scrupulis et perplexitatibus executores testamentarios exponerent. Melius forsan dixit Bonacina (III. XVII. 8. § 4. n. 2): « Testatoris voluntas adimpleri videtur quibuscumque paupe-« ribus tradatur..., etiamsi extent alii maiori paupertate labo-« rantes ». Idque multo magis si testator dixerit, haeredem vel executorem testamentarium distributionem facere posse *pro libitu suo*. Et haec doctrina etiam ad casum dotium puellis pauperibus tradendarum applicari poterit.

3872. XII. Pensio relicta famulo sub clausula — *Donec ad*

haeredis servitium remanebit — non amittitur a famulo propter discessum, casu quo culpâ haeredis discedere coactus fuerit. Huiusmodi tamen coactionis probatio ad famulum ipsum, non vero ad haeredem, spectaret.

QUAESTIO XII.

Quid de dispositionibus a testatore ipso revocatis?

3873. Revocatio dispositionis testamentariae a testatore ipso fieri potest expresse et tacite; non tamen absolute, sed solum sequentibus modis.

I. Fit expresse 1° per novum testamentum civiliter validum, quod sive apertis verbis praecedens annullet (ex toto vel pro ea parte), sive includat dispositionem cum antecedenti incompatibilem; 2° per declarationem factam a testatore ipso personaliter et receptam a publico notario coram quatuor testibus se subscribentibus. Revocatio itaque expressa, quae aliter fieret (etsi certissima), civiliter nihil valeret.

II. Fit tacite, sed solum quoad legata, et duobus modis tantum; scilicet 1° Si testator rem legatam sive venditione sive donatione etc. voluntarie alienasset, etsi postea illam recuperasset, vel alienatio invalida extitisset; et idem dic de alienatione partis, relate ad partem ipsam. 2° Si testator rem legatam in aliam ita transformasset, ut eiusdem forma nomenque primitivum evanuisset.

QUAESTIO XIII.

Quid de executore testamentario?

3874. *Quis est executor testamentarius?* Est persona cui testator committit curam prompte et exacte exequendi suam voluntatem *quoad legata*, et interdum etiam quoad nonnulla alia urgentia, quae post eius mortem peragenda sint (v. g., funeralia). Equidem ad haec omnia tenentur haeredes; sed quia in ipsis negligentia, aut etiam (v. g., propter absentiam, aetatem puerilem, perplexitatem acceptandi haereditatem etc.) impotentia, intervenire potest; ideo executores testamentarii a prudentibus testatoribus designari solent. Nemo tamen evadere potest executor testamentarius nisi hoc munus acceptet; qua in re unusquisque liber est.

3875. *Quinam potest esse executor testamentarius?* Exceptis minoribus (etsi auctorizationem tutoris vel curatoris haberent, imo etsi emancipati forent), et exceptis iis qui natura vel lege contrahendi obligationes sunt incapaces (cuiusmodi sunt interdicti, inhabilitati, et mulieres coniugatae); omnes alii (et proinde etiam unus ex haeredibus vel legatariis, aut testes adhibiti in testamento, vel ipse notarius, vel foeminae etc.) executores testamentarii esse possunt.

3876. *Quoad executores testamentarios suntne faciendae distinctiones?* Utique. Imprimis *unicus* vel *plures* esse possunt; et, si plures sint, possunt singuli deputari indistincte ad omnia praedicta; vel potest unum officium uni, et aliud alteri assignari. Praeterea munus istud potest *adnecti personae,* atque adeo eius morte cessare (non enim ad haeredes transit); et potest etiam *adnecti dignitati,* v. g., Parocho pro tempore, Syndico etc.; quo casu executoria (v. g., pro legatis periodicis in perpetuum solvendis) perpetua evadere potest. Denique executor testamentarius aliquando est merus *invigilator* cum facultate cogendi iudicialiter haeredes etc.; et aliquando (si nempe testator sic expresse statuisset) est etiam *possessor* et *administrator bonorum mobilium* defuncti sive in toto sive in parte; quae tamen possessio ultra annum extendi nequit, et potest etiam eliminari ab haeredibus, qui vel probent perfecte satisfecisse legatis, vel sufficientem pecuniae summam aliamve cautionem idoneam pro illorum perfecta satisfactione offerant.

3877. *Quaenam sunt iura et officia executoris testamentarii?*

I. Si inter haeredes adsint minores, vel interdicti, vel absentes, vel aliquod corpus morale; tunc executor testamentarius potest et debet (ope Praetoris) sollicite curare ut apponantur sigilla (ubi scilicet bona mobilia clauduntur); atque ut (praesente vel citato haerede) inventarium legale conficiatur. Haberet autem ius ad haec omnia, quamvis inter haeredes non adessent minores etc., si secus satisfactio legatorum in periculo versaretur, aut si ille esset possessor et administator bonorum mobilium (ut supra); quod, tamquam basis, exigeretur ut rationem reddere posset.

II. Ius haberet (etsi non obligationem) ad Iudicem recurrendi, vel utcumque in iudicium comparendi, si testamenti valor impugnaretur.

III. Potest et debet provocare (etiam iudicialiter) venditionem bonorum defuncti, si ad satisfaciendum legatis (deficiente pecunia) hoc necessarium foret.

IV. Si esset possessor bonorum mobilium et administrator (ut supra). tunc ad actus administrationis more boni patris familias, atque adeo ad pensiones aliaque credita liquida exigenda, teneretur, et quidem sub poena refactionis damnorum si ex negligentia haeredes damnum passuri essent. Teneretur insuper (monito tamen et consentiente haerede) legata, atque etiam debita certa et urgentia (v. g., pro inventario, pro expensis ultimae infirmitatis, et sepulturae congruae) solvere. Denique in fine anni rationes reddere, atque ab administratione cessare deberet.

V. Quoad ea quae non ad legata, sed ad successionem haereditariam vel divisiones inter haeredes etc. spectant, nullam auctoritatem habet; nisi forte testator (ut puta, si aliquis haeres esset minor, vel mentecaptus etc.) aliquam huius quoque generis attributionem ei legitime dedisset.

VI. Executor testamentarius muneri acceptato renuntiare nequit absque iusta et gravi causa.

VII. Mercedem exigere nequit (agitur enim de officio gratuito). Exigere poterit tamen non solum id, quod forte testator ei reliquerit, sed etiam refactionem pro expensis, quae legitime ab ipso toleratae fuissent; nemini enim proprium officium debet esse damnosum.

3878. *Sub qua culpa executores testamentarii et haeredes tenentur legatis satisfacere?* Sub gravi; et quidem non solum in omissione sed etiam in procrastinatione satisfactionis culpa gravis. atque onus damna reparandi, intervenire potest.

§ IV.

De aperitione successionis.

3879. *Mortuo aliquo, quot casus contingere possunt circa haeredis successionem?* 1° Quod ille, ad quem haereditas devolvi deberet, nec acceptet nec renuntiet. 2° Quod renuntiet. 3° Quod acceptet. 4° Quod haeres sit incertus, vel utcumque haereditas hic et nunc nec acceptantem nec administratorem habeat.

QUAESTIO I.

Quid si ille, ad quem haereditas devolvi deberet, nec acceptet nec renuntiet?

3880. I. Quamvis nec acceptet nec renuntiet, *fictione iuris* (ut alias innui) consideratur ut proprietarius et possessor bonorum defuncti, non quatenus possit illa vendere aut quomodocumque alienare (hoc enim haereditatis acceptationem implicaret); sed quatenus iisdem a nemine legitime spoliari valeat. Idque verum est sive per testamentum sive ab intestato haereditas ei devolvatur. Nec refert si forte qui res ei auferrent, ad illas tamquam defuncti creditores vel legatarii, ius haberent.

II. Potest capere possessionem *realem* bonorum eorundem, et omnes actus admninistrationis (sed non dominii, ut dixi) circa illa exercere.

III. Non sumit nomen haeredis, ante acceptationem haereditatis, unde debita defuncti solvere non teneretur.

IV. Si, administrando aut realem possessionem capiendo, in haereditate se immisceat, transactis tribus mensibus post habitam notitiam apertae successionis, iure ipso praesumitur acceptasse et habetur ut haeres. Si vero in haereditate nullatenus se immiscuisset, tunc nunquam haeres evaderet, salva tamen ei facultate haereditatem ipsam reclamandi et acceptandi, sed (propter praescriptionem) non ultra trentennium. Finge v. g., quod, capta haereditate ab intestato, postea reperiretur adesse testamentum; aut quod, capta haereditate per testamentum, postea reperiretur illud fuisse invalidum aut aliud posterius subsistere testamentum. Patet in his casibus contingere posse quod verus haeres, longo quoque tempore, in haereditate, quam sibi competere ignorat, non se immisceat.

QUAESTIO II.

Quid de renuntiatione haereditatis?

3881. I. Renuntiatio haereditatis nequit esse privata, aut tacita, aut praesumpta, sed pro valido exigitur ut sit solemnis, idest apud Cancellarium Praetoris peragatur. Excipe 1° si haeres citatus iudicialiter (ad declarandum quid facere intendat) non compareret; 2° Si lapsu 30 annorum praescriptio compleretur.

II. Ut renuntiatio sit valida, exigitur non solum ut vi aut dolo extorta non fuerit, sed etiam 1° ut qui renuntiat nihil subtraxerit vel absconderit: 2° Ut neque conditionalis sit, neque partialis tantum, neque dilata in posterum (ut alias innui). 3° Ut haereditas neque expresse neque tacite prius acceptata fuerit: 4° Ut non ante, sed solum post mortem illius, de cuius successione agitur, peragatur.

III. In successionibus ab intestato pars renunciantis accrescit cohaeredibus eiusdem gradus si adsint et acceptent; secus, ad gradum subsequentem (in capita) devolvitur. In successionibus testamentariis autem pars renunciantis cedit cohaeredibus habentibus ius accrescendi, si adsint; secus, haeredibus ab intestato.

IV. Renuntiatio haereditatis est revocabilis, si adhuc nemo illam acceptaverit aut ad illam ius acquisiverit.

V. Si renuntiatio haereditatis renuntiantem redderet impotentem ad satisfaciendum suis creditoribus, tunc ipsi possent iudicialiter reclamare, ut ex eadem haereditate sibi satisfiat.

QUAESTIO III.

Quid de acceptatione haereditatis?

3882. I. Acceptatio haereditatis potest esse solemnis, atque etiam (ad differentiam renuntiationis) privata vel tacita, qualis interveniret non solum si exercerentur actus qui acceptationem praesupponunt (si nempe absque urgenti necessitate debita defuncti solverentur aut capitalia alienarentur), sed etiam si ius successionis venderetur, aut aliis (ad illam in casu renuntiationis ius non habentibus) donaretur.

II. Acceptatio haereditatis retrotrahitur ad tempus mortis antecessoris, quatenus ex tunc succeditur in omnia iura et debita defuncti. Si tamen haereditas prius fuisset in manu alterius, qui tamquam haeres se gessisset, tertii, qui bona fide cum illo contractus onerosos (aliud esset de donationibus) celebrassent, nullo modo turbari possent; sed qui res haereditarias sic vendidisset, pretium vero haeredi restituere deberet; non tamen fructus, si bona fide processisset.

III. Acceptatio haereditatis debet (sicut renuntiatio) esse totalis, absoluta, nec in posterum dilata. Est autem irrevocabilis *(semel haeres, semper haeres)* ad differentiam renuntiationis, quae in aliquo casu revocari potest, iuxta dicta (*n.* 3879. *IV*).

IV. Denique acceptatio haereditatis potest esse 1° Pura et simplex; 2° cum beneficio inventarii.

A.

Quid de haereditatis acceptatione pura et simplici?

3883. I. Contingit quando haeres sibi non reservat ius conficiendi prius inventarium bonorum defuncti.

II. Tunc haeres ipse tenetur (saltem civiliter) solvere omnia debita defuncti et ex integro adimplere legata (quin ius habeat reducendi donationes quae forte a defuncto factae fuissent), idque quamvis nedum legitima sibi salva non remaneret, sed etiam de proprio satisfacere cogeretur. Excipe tamen 1° si donationes vel legata cohaeredibus suis facta fuissent: 2° si haereditatem adiisset, credendo non adesse ullum vel aliud posterius testamentum, ita ut nullam perspexisset necessitatem sibi cavendi per inventarium; et postea testamentum detegeretur, in quo ipse quidem adhuc haeres vocaretur, sed legata ultra vires haereditatis continerentur.

B.

Quid de haereditatis acceptatione cum beneficio inventarii?

3884. I. Inventarium est descriptio legalis omnium bonorum defuncti cum respectivo valore, ita ut ex illo authentice pateat quantus sit valor totius haereditatis.

II. Effectus inventarii sunt tres: 1° haeres non tenetur ad debita et legata solvenda ultra vires haereditatis; 2° Si ius habeat ad legitimam, potest (solutis debitis) illam sibi applicare reducendo legata et donationes (si opus sit); et idem dic de creditis quae forte ipse contra defunctum habuisset, praelevando quantum pro illis sibi debetur; 3° Potest efficere ut bona haereditaria semper remaneant (sicut vi inventarii sunt ab initio ipso iure) a bonis propriis separata et sub distincta administratione, ne (propter confusionem) unquam cogatur solvere debita ultra vires haereditatis, si forte alii creditores apparituri essent; unde creditores haereditatis nunquam evadant creditores haeredis.

III. Potest quilibet haeres inventarii beneficium exigere; et quidem non obstante vetito testatoris. Si autem haeredes essent plures, sufficit si unus illud petat, quod valebit pro omnibus.

IV. Beneficium inventarii exigi nedum posset sed deberet si haeres esset minor, aut interdictus, aut inhabilitatus, aut corpus

morale. Notandum etiam quod si ex pluribus cohaeredibus, unus exigeret inventarium, et alii (v. g. ad expensas evitandas) non; tunc illud esset obligatorium pro omnibus.

V. Declaratio de non acceptanda haereditate nisi cum beneficio inventarii, fit apud cancellarium Praetoris loci ubi mors accidit.

VI. Si haeres iam sit in possessione actuali bonorum haereditatis, inventarium fieri debet intra tres menses. Aliqua tamen prorogatio obtineri poterit a Praetore si forte necessaria esset ad illud complendum. Elapso autem tempore concesso, si inventarium adhuc completum non fuisset; tunc haeres iam purus et simplex evaderet.

Si haeres non esset in possessione actuali et in haereditate de facto se non immiscuisset; tunc usque ad triginta annos differre posset; quibus elapsis (ut alias innui) quodvis ius circa haereditatem ipsam amitteret. Attamen, etiam ante dictum temporis lapsum, creditores erga haereditatem illum cogere possent ad deliberandum utrum haereditatem ipsam velit necne acceptare.

VII. Haeres cui beneficium inventarii concessum fuit, ne (plus vel minus) beneficium obtentum amittat, observare debet sequentia:

1° Nihil abscondere. Si autem aliquod haereditatis obiectum describere scienter et mala fide praetermitteret; tunc evaderet haeres purus et simplex; et inventarium nullitate omnimoda laboraret.

2° Usquedum definitive haereditatem acceptet vel repudiet, nedum potest sed debet bonorum haereditatis ipsius (sine ulla mercede) admnistrationem tenere. Debet consequenter (quatenus opus sit) administrationis reddere rationem creditoribus et legatariis; qua petita et suo tempore non reddita, ad debitorum et legatorum satisfactionem etiam de proprio iudicialiter cogi posset. Tenetur tamen solum de dolo et de culpa gravi; non de negligentia levi. Posset etiam, iusta de causa, ab administratione removeri.

3° Si creditores aut legatarii id postulent (intra tres menses ab aperitione successionis), facultas tenendi separatum patrimonium defuncti a proprio, converti potest in obligationem; et ipsi poterunt etiam petere cautionem pro valore mobilium aut pro fructibus immobilium.

4° Haeres amitteret privilegium dictae separationis, seu (ut aiunt) evaderet *confusus*, et teneretur solvere debita et legata

de proprio, in duobus casibus; scilicet 1° si venderet bona immobilia absque auctorizatione iudiciali; 2° si absque tali auctorizatione venderet bona mobilia; sed hoc postremum verum est solum ad quinquennium.

VIII. Si aliqui creditores, asse iam exhausto in satisfactione aliorum creditorum et legatariorum, se praesentarent, isti ab haerede (qui inventario se munivit) nihil exigere possent. Regressum tamen haberent contra legatarios; sed solum intra triennium.

IX. Expensae, si sint rationabiles, v. g., pro appositione sigillorum, pro confectione inventarii, pro lite necessaria etc. gravant haereditatem, et proinde praelevandae sunt ante divisionem; aliae vero (v. g. pro sustinenda lite inconsulta) solum haeredem gravarent.

QUAESTIO IV.

Quid si haeres sit incertus, vel utcumque haereditas hic et nunc a nemine acceptetur vel administretur?

3885. I. Casus contingere potest 1° Si haeres sit ignotus (cum spe tamen illum inveniendi): 2° Si expectandum sit an conditio aliqua verificetur: 3° Si haeredes, sive ab intestato sive testamentarii, renuntiaverint. In his casibus haereditas dicitur *iacens*. (Diceretur *vacans* si certum esset haeredem deficere, atque adeo haereditatem ad fiscum devolvi).

II. Haereditas iacens administratur a curatore, quem Praetor (ad instantiam interesse habentium, vel ex officio) designat. Curator debet perficere inventarium, atque in capsam depositorum iudicialium deponere pecuniam etc. iuxta *A*. 982.

QUAESTIO V.

Quid de divisione haereditatis?

3886. *Quid est divisio haereditatis?* Haec locum habet quando haeredes sunt plures, et consistit in determinatione partis, quae unicuique cohaeredi competit; ita ut unusquisque quotam suam capiat; et sic, cessante condominio, dominium absolutum incipiat.

Distinguitur itaque a divisionibus quoad rerum usum tantummodo, quae saepe fiunt ab agricolis, dum unus ex fratribus cum familia sua et supellectilibus necessariis ad aliam domum se confert; sed interim in communione adhuc re-

manet. Distinguitur etiam a divisionibus imperfectis et precariis; dum scilicet bona dividuntur quidem, sed grosso modo, atque ita ut divisionis accuratae et definitivae reservatio fiat; unde qui plus iusto habuit, restituere; et qui minus, recipere supplementum adhuc debeat. Nihil tamen vetat quominus divisio veri nominis fiat solum in parte; quatenus sine alicuius iniuria cohaeredes vel non omnia vel non omnes dividant. Interdum reapse vel dividunt sola mobilia et fundos in communi relinquunt; vel alicui discedere volenti suam partem integram tribuunt, dum alii in communione remanent.

3887. *Quotuplex potest esse divisio?* 1° Iudicialis; 2° Privata et amicabilis, quae nedum in scriptis, sed etiam sine scriptis fieri potest.

3888. *Cohaeres possetne semper petere divisionem haereditatis?* Affirmative; nec profecto expedit quod cohaeredes inviti remanere cogantur in communione; quae discordiae et negligentiae mater esse solet. Idque verum est quamvis testator divisionem interdixisset, et quamvis cohaeredes ab immemorabili indivisi essent; hac enim in re praescriptio non datur.

Hoc tamen intellige sub sequentibus conditionibus: 1. Quod vere sit cohaeres et cum aliis haereditatis possessionem assecutus fuerit; non enim posset exigere divisionem si esset haeres conditionalis et conditio adhuc verificata non fuisset; aut si esset quidem haeres purus et simplex, sed haereditatem non acceptasset, et, propter trentennium transactum et praescriptionem completam, illam amplius acceptare non posset. 2. Quod alia vice facta non fuerit divisio veri nominis, de qua sufficit praesumptio ex indiciis vehementibus, v. g., si ageretur de iis qui divisiones in scriptis facere non solent (prout facile accidit in agricolis), iamque plus quam a decem annis virant separatim et unusquisque suam portionem (verisimiliter iustam) cognoscat. 3. Quod, casu quo inter haeredes fuerint minores, testator non interdixerit divisionem donec extet aliquis qui a minoritate non exiverit etc.

3889. *Ut divisio rite peragatur, quaenam sunt normae principales?* 1° Excludendum est quidquid ad defuncti patrimonium (atque adeo ad bona haereditaria) non spectet; 2° Coadunandum est activum patrimonii ipsius; 3° Determinandum passivum; 4° Activum purgandum a passivo quantum statim fieri debet, vel etiam quantum cohaeredes conveniunt ut statim fiat; 5° Determinandum quid restet activi, et (si casus ita ferat) quid restet passivi; 6° Activum et passivum istud inter cohaeredes iuste partiendum est.

3890. *Quid de excludendis rebus patrimonio defuncti extraneis?* Res huiusmodi possunt esse sequentes:

I. Res furtivae vel usurpatae, quae in se adhuc existant; si quidem non iam dividendae sed restituendae sunt (res clamat ad dominum).

II. Res, quae apud defunctum in pignus, depositum, vel commodatum aderant; hac enim non sunt dividendae, sed alicui

ex cohaeredibus tradendae cum onere (forsan compensando) illas custodiendi, et suo tempore restituendi.

III. Bona dotalia vel extradotalia matris, quae reperiantur commixta cum patrimonio patris defuncti; nisi forte mater ipsa quoque iam mortua fuisset, atque iisdem regulis divisioni subiici possent.

IV. Res, quae vel spectent ad aliquem cohaeredem personaliter (v. g., ad filium propter donationes ei factas, aut alias haereditates ei obventas, aut eiusdem industriam separatam), vel spectent ad specialem *societatem* cohaeredum; ita ut vel alii cohaeredes eidem societati extranei sint, atque adeo de iisdem rebus participare non debeant; vel divisio, quae ad talem societatem refertur, diverso modo peragenda sit. Casum habes in agricolis, qui, mortuo patre, ad divisionem procedere volentes, aliter patrimonium paternum, et aliter fructus fundi (quem in societate coluerunt), dividere debent.

V. Res quae post mortem defuncti accumulatae fuerint; quaeque proinde non ad haereditatem, sed ad patrimonium novum (quod facile cum aliis regulis est dividendum) spectent.

VI. Res quae empta fuerit a cohaerede nomine proprio, etsi pecuniâ haereditatis usus fuerit; non enim quae alienâ pecuniâ empta fuerint, domini pecuniae propria evadunt, si eius nomine emptio peracta non fuerit. Cohaeres tamen ad pecuniam in commune reponendam et divisioni subiiciendam utique teneretur.

3891. *Quid de coadunando activo patrimonii defuncti?*

I. Ad activum istud pertinent *a)* bona omnia tam mobilia quam immobilia, quae existant, atque ad defunctum pertinuerint. Item eiusdem credita et iura omnia realia *b)* Fructus bonorum et iurium ipsorum, quos forte cohaeredes ante divisionem percepissent, vel percipere debuissent.

II. Bona defuncti considerari debent prouti sunt tempore divisionis (non autem prouti erant tempore mortis); ita tamen ut aliquando (iuxta regulas generales) pro melioramentis huic vel illi refundendae sint expensae, aut e contra ab aliquo pro deterioramentis exigi possit reparatio.

III. Si aliquid, quod ad defunctum pertinebat, non amplius existat, vel si fructus consumpti aut non percepti fuerint; tunc videndum an de his damnis et defectibus aliquis (sive bonae sive malae fidei) respondere debeat.

IV. Si filii aliquid habuissent a patre adhuc vivente ad modum portionis anticipatae haereditatis, illud conferre deberent, iuxta dicta (*n.* 2174 et seq.).

V. In activo haereditatis computari debent etiam credita quae difficile exigi possint; item iura litigiosa; imo etiam res deperditae vel quae sint in manu furis aut usurpatoris, dummodo recuperatio adhuc possibilis sit. Haec tamen omnia vel solum iuxta spei valorem aestimari et alicui cohaeredi assignari, vel (expectando eventum) indivisa relinqui debebunt.

3892. *Quid de determinatione passivi?* Passivum in debitis et legatis consistit. In debitis autem veniunt etiam alimenta, quae forte in posterum filiis spuriis dari debeant.

3893. *Quid de activo purgando a passivo statim et ante divisionem?*

I. Onera (ex debitis et legatis) 1° possunt consistere in solutione pecuniae, vel in re tradenda *in corpore* (ut puta, si talis vel talis fundus legatus fuerit); 2° possunt respicere solutionem faciendam vel statim, vel in futurum, scilicet post aliquod tempus, aut periodice tractu successivo.

II. Res tradenda in corpore separari debet ab activo statim; ad illud enim pertinere nequit, nisi quatenus solum post temporis lapsum tradenda esset, atque interim fructus produceret.

III. Debita et legata pecuniaria, quae statim solvi debeant, statim solvantur. Si pecunia haereditaria non esset sufficiens, contingere potest quod partem bonorum sive mobilium sive etiam immobilium vendere expediat vel oporteat.

3894. *Quid de divisione inter cohaeredes, factis praedictis subtractionibus, circa activum, et circa passivum (quod forte restet)?*

3895. *Circa activum* servanda sunt sequentia:

I. Imprimis valor uniuscuiusque obiecti sive mobilis sive immobilis, et deinde summa totalis statui debet.

II. Si quis ex cohaeredibus conferre debeat aliqua (sive quia portionem anticipatam haereditatis receperit, sive quia, v. g., propter particularem fructuum receptionem, erga haereditatem debitor sit), atque collationem ipsam non faciat; tunc singuli cohaeredes ex massa communi portionem aequalem (aut proportionalem) sibi praelevare debent.

III. Postquam sola massa dividenda remanserit, observare oportet an aequaliter an vero inaequaliter cohaeredes dividere debeant. Si aequaliter, tunc fiunt tot massae minores et aequales quot sunt haeredes vel stirpes condividentes, et unusquisque unam eligit; qua in electione, si non convenirent, sortes adhibendae essent. Regula antiqua erat ut electio fieret iuxta

aetatem uniuscuiusque, incipiendo a natu minori, unde effatum: — Maior dividit, minor eligit —. Si vero dividere debeant inaequaliter, tunc massae aequales faciendae essent iuxta portionem minorem; ita ut, v. g., si Antonius quartam partem habere deberet, et Livius reliquum; faciendae essent quatuor massae, quarum Antonio una, et Livio tres competerent. In his massis efformandis procurare oportet (quantum possibile erit) ut in unaquaque bona diversi generis (v. g. immobilium, mobilium, pecuniae etc.) comprehendantur. Si autem subdivisiones (quoad succedentes iure repraesentationis) fieri deberent, eaedem regulae servandae essent. (*A.* 998).

IV. Cohaeredes ius habent ut bona haereditaria sibi dentur in natura. Quia tamen contingere potest quod (attenta natura obiectorum quae nullatenus aut difficile dividi valeant) massae aequales fieri nequeant; interdum aliqua venditio necessaria evadit, nisi scilicet ope pecuniae vel reddituum inaequalitates facile compensari possint. Ius autem exigendi portionem bonorum in natura competit etiam illis qui in sola legitima succedunt. Secus est de coniuge et de filiis naturalibus, iuxta *A.* 819. 744.

V. Documenta, quae totam haereditatem respiciunt, deponi debent apud personam a condividentibus electam. Quae autem respiciunt obiecta aut iura particularia, spectant ad illum qui ea obtinuit. Quae denique respiciunt fundum divisum, spectant ad illum qui maiorem partem habet. Semper tamen aderit obligatio illa communicandi interesse habentibus, data necessitate.

3896. *Circa passivum* regulae sunt sequentes:

I. Si testator disposuisset ut aliquod debitum vel legatum satisfaciendum esset a tali vel tali haerede; tunc (dummodo legitima, quae ei debeatur, salva remaneat) ille solus eodem oneratus evaderet.

II. Praescindendo ab hoc casu, debita et legata (quae ante divisionem soluta non fuerint) pergunt gravare cohaeredes omnes (iis quoque comprehensis qui solam legitimam habuissent); ita tamen ut (divisione facta) solum pro portione sua unusquisque teneatur. Imprimis itaque summa totalis debitorum et onerum omnium, et deinde eorundem divisio, in proportione quotae bonorum (quam unusquisque obtinuit) fieri debet. Si autem (propter hypothecam vel aliquid aliud) debitum esset tale, ut cohaeres ad solvendum ultra quotae suae proportionem cogeretur; tunc ille contra cohaeredes regressum haberet.

III. Haeres usufructuarius totius haereditatis, aut partis eiusdem, tenetur ex integro, aut in proportione partis habitae,

solvere pensiones periodicas et fructus debitorum aut legatorum, quibus haereditas ipsa gravetur.

QUAESTIO VI.

Quid de casibus qui post peractam divisionem accidere possunt?

3897. I. Si post divisionem nova obiecta aut nova credita reperirentur; tunc illa inter cohaeredes essent dividenda. Si in divisione consideratus fuisset tamquam cohaeres, vel legatarius, vel creditor, qui talis minime considerari debuisset, tunc quidquid datum ei fuisset, repeti et inter veros cohaeredes dividi deberet.

II. Si nova debita detegerentur, eorundem solutio spectaret ad cohaeredes, non tamen in solidum, sed in proportione quotae uniuscuiusque (*A.* 1029). Praeterea, facto inventario, tenerentur solum iuxta vires haereditatis, quibus non sufficientibus, creditores contra legatarios ius haberent.

III. Si novus cohaeres detegeretur, ille ad novam divisionem (rescindendo primam, nisi alia compositio fiat) ius haberet.

IV. Si cohaeres recepisset creditum inexigibile, vel rem sive molestiis aut evictioni subiectam, sive mensurae aut numeri aut ponderis minoris quam esse debuisset, tunc contra cohaeredes ius ad indemnitatem haberet. Aliud esset si actu divisionis periculum non adfuisset, aut si pro illo compensatus fuisset.

V. Si in divisione obiecta male aestimata fuissent, unde quis iam evidenter multo minus recepisset, in conscientia ad indemnitatem (nisi tamen quinquennii praescriptio completa fuisset) ius haberet; sed in foro externo non audiretur nisi ultra quartam suae iustae portionis partem laesus fuisset.

VI. Si quis ex metu vel dolo divisionem acceptasset, ad illam rescindendam ius haberet. Excipe nisi cessante metu vel dolo illam ratam habuisset.

QUAESTIO VII.

Quid de divisionibus, quae interdum ab eo ipso fiunt, qui favore haeredum suorum de rebus suis disponit?

3898. I. Ut haeredes non exponantur discordiis et quaestionibus inter se ipsos in rebus dividendis, declinent expensas (quae ad rerum aestimationem faciendam et quotas constituendas, necessariae essent) et sine mora sint in libera possessione haeredi-

tatis: usuvenit interdum, ut ille ipse, qui in illorum favorem de rebus suis disponit, divisionem faciat et unicuique suam quotam constituat. Hoc fieri solet praecipue a patre vel matre vel aliis ascendentibus, sed nihil vetat quominus ab extraneo quoque fiat. Divisio huiusmodi duobus modis peragi potest; scilicet 1° in testamento; 2° per actum *inter vivos*.

II. Si divisio fiat a patre vel matre, vel alio ascendente, oportet 1° ut omnes et singuli filii, et (quatenus sit casus) filiorum praemortuorum descendentes, considerati fuerint. Si aliqui praetermissi fuissent; tunc non solum ipsi, sed etiam alii, novam divisionem exigere possent. Oportet 2° ut nemo ex iis, quibus portio assignata fuit, laesus fuerit in legitima; secus, divisio pariter impugnari posset. Oportet 3° ut, si divisor habeat bona plurium specierum (v. g., immobilia, mobilia, pecuniam etc.), quotas (saltem pro valore legitimae) ita constituat, ut in ipsis (quantum possibile et congruum est) earundem diversarum specierum bona immisceantur. Oportet 4° ut, post divisionem expressam in testamento, testator non tales faciat alienationes ut portio alicui assignata vel prorsus deficiat, vel legitimam non amplius constituere possit.

Attamen pater vel mater etc., etsi ad divisionem procedat per testamentum, disponere potest de parte disponibili prout vult; unde filii, dummodo omnes et singuli legitimam integram habuerint, nullum ius urgere possunt, si v. g., aliquis ex ipsis portionem maiorem obtinuerit, vel si pars bonorum extraneis data fuerit. Dixi *si ad divisionem procedat per testamentum;* si enim illam perageret per actum inter vivos, noster codex (*A*. 1048) dicit, filios impugnare posse divisionem, si aliquis ex ipsis ultra quartam partem laesionem subiisset. Sed quo sensu hoc intelligi debet? De hac re cf. *Praxis n.* 2723 *V*.

III. Si divisio non a patre vel matre vel quolibet ascendente, sed ab alio fieret, iste maiorem libertatem haberet. Quum tunc legitima locum non habeat, non esset cur regulae hucusque recensitae servarentur. Tunc itaque sufficit si prae oculis habeantur sequentia, quae tam genitoribus quam aliis (divisionem haeredibus suis facere volentibus) communia sunt. Haec autem referuntur ad differentiam, quae intercedit secundum quod per actum inter vivos vel per testamentnm, divisiones fiant.

a) Per actum inter vivos divisor abdicat a se dominium rerum suarum ipso facto, illudque transfert in haeredes eo ipso momento; quod (uti patet) non accidit in testamento; sed oportet ut prius mors sequatur.

b) Divisio per actum inter vivos censetur donatio; unde 1° Oportet ut acceptetur. 2° Solemnitates exiguntur. 3° Nequit extendi ad bona futura; unde, si divisor in posterum aliquid acquisiturus esset, hoc in eius morte (nisi prius aliter disposuisset) haeredibus ab intestato devolveretur. 4° Divisor donationem sic factam revocare nequit, nisi forte conditiones (v. g., sibi pensionem suppeditandi) apposuisset, quibus non adimpletis contractus resolvi posset. Haec omnia autem in testamento (dummodo in forma factum fuerit) non exiguntur, uti patet.

c) Sive inter vivos sive per testamentum divisio facta fuerit, haeredes sibi invicem de evictionibus (quae forte subsequantur) tenerentur.

IV. Divisio inter vivos non facile est consulenda. Equidem divisor sic se liberat a curis administrationis; sed se exponit periculo ne propter ingratitudinem aut dissipationes haeredum, in ultimis vitae suae annis in miseria versetur et afflictionibus multis exponatur. Si de re huiusmodi timere deberet, saltem reservatione pensionis, ad modum conditionis resolutivae, sibi consulat.

Monitum.

Quaestiones hucusque resolutae sunt iuxta codicem civilem italicum. Equidem codices aliarum quoque nationum maxima ex parte conveniunt. Quia tamen interdum huc illuc differunt; ideo extra Italiam proprius codex consulendus erit. Praeterea lex naturalis aut canonica interdum permittit (vel etiam exigit) ut aliae regulae serventur; de quibus proinde hic aliquid dicendum est.

§ V.

Exponuntur nonnulla, quae circa successiones, attento iure naturali aut canonico, sunt speciali animadversione digna.

QUAESTIO I.

Quid de testamento informi?

3899. I. Tale est si destituatur requisitis a lege civili praescriptis, sed certe constet quod factum fuerit, nec careat requisitis iure naturae necessariis.

II. Valet et obligat in conscientia sine dubio si factum fuerit ad causas pias; idque pro toto orbe verum est. Patet ex dictis in

Praxi (*n.* 2727 *et seq.*) et in Cas. consc. an. 1894 (Cas. II.). Causae piae sunt quae sive ad cultum divinum, sive ad salutem animarum, sive ad christianam charitatem referuntur. Quod autem dicitur de testamento, dicitur etiam de legato, et de donatione causa mortis (iuxta dicta *n.* 3632). Notandum quod dispositiones huiusmodi *a fortiori* adimpleri deberent in duobus casibus: 1° Si haeres fiduciarius ipsi defuncto promisisset illas adimplere: 2° Si certe aut verisimiliter ageretur de obligationibus, quibus defunctus ex iustitia vel religione (vel utcumque in conscientia) satisfacere debuisset.

III. Hinc, quoad causas pias, non exigitur ut notarius interveniat, vel ut ei post mortem testamentum consignetur. Non exigitur ut testes sint masculi, aetate maiores etc.; sed sufficit si sint fide digni. Sufficit insuper si sint duo: unico tamen testi haeres credere non teneretur, quamvis foret fide dignissimus, vel iureiurando rem confirmaret: excipe nisi alia signa gravis momenti (v. g., fama publica, observantia legati etc.) superadderentur; tunc enim unicus testis cum his adminiculis sufficeret. Casu autem quo testator manifestasset suam voluntatem haeredi ipsi immediate, tunc nullus testis exigeretur, nec oporteret ut haeres ipse dispositionem adimplere promisisset. Valeret etiam testamentum vel legatum pium solis nutibus expressum. Inhabilitas sive condendi testamentum, sive recipiendi per testamentum, quae lege civili relate ad quasdam personas statuitur, quoad causas pias non valet. Denique in conscientia servanda esset dispositio pia facta in testamento, quod completum non fuisset, si constaret defunctum illud non complevisse quia non potuit, certe completurus si potuisset. Ille, v. g., scripta pia dispositione, morte improvisa correptus, subscriptionem apponere nequivit, vel, scriptis a notario his vel illis piis dispositionibus, testator sensibus destitutus remansit et obiit. Aliud esset si charta non subscripta inveniretur, nec sciretur qua de causa subscriptio apposita non fuisset. Cas. consc. an. 1894 (*l. c.*).

IV. Communissime dicunt nihil valere (etiam quoad causas pias) desiderium, quamvis usque ad vitae extremum manifestatum, imo nihil quoque valere voluntatem deliberatam disponendi, si reapse defunctus dispositionem non fecisset (advocavit, v. g., notarium, sed antequam adveniret, obiit). At vero res ista disputabilis mihi videtur; unde nec illum damnarem qui clam desiderio defuncti ex bonis illius satisfaceret, nec haeredem qui satisfacere recusaret. Praxis (*n.* 2729).

V. Loquendo autem de testamento informi ad causas profanas (dummodo certe constet quod ultimam defuncti voluntatem vere contineat) iure naturae validum esset. Lex civilis illud invalidat, sed notandum illud invalidare solum eo sensu quod haeredes legitimi possint patrimonii defuncti realem possessionem capere, atque etiam contra haeredem vocatum in testameato informi reclamare (sive iudicialiter sive privatim): quod utique verum est etiam in conscientia, sed exceptis duobus casibus supra indicatis, nisi scilicet defuncto promisissent eius voluntatem adimplere, vel scirent agi de obligationibus quibus defunctus ipse in conscientia satisfacere teneretur. Caeterum ipsa lex civilis, cui solum prospicere ordini publico atque perturbationes impedire convenit, non censetur esse sollicita contra illos qui, haeredibus legitimis minime reclamantibus, iuxta defuncti voluntatem in testamento informi expressam, et absque ulla perturbatione, bona illius sibi applicaverint; unde ipsi, quum nec contra ius naturae nec contra ius civile delinquant, iam tuta conscientia eadem bona retinere possunt. Praxis (*n.* 2740).

QUAESTIO II.

Quid in conscientia quoad legitimam filiis relinquendam?

3900. I. Pater, iure naturae et ex stricto debito pietatis, tenetur filiis (quatenus possit, iique indigeant) relinquere alimenta tam stricte quam late dicta, nempe quidquid necessarium est non solum ne fame pereant, sed etiam ut iuxta proprium statum et conditionem, atque particulares necessitates (v. g., si aliquis esset habitualiter infirmus), convenienter vivere possint.

Modo tamen valde restricto taxari possent alimenta erga filium, qui pravis moribus imbutus foret, vel omnia esset dissipaturus etc. E contra non sufficeret relinquere filiis alimenta, si ipsi suo labore et industria patrimonium accumulassent aut maxima ex parte auxissent; non enim praesumi posset eos habuisse intentionem adeo gratis laborandi, ut fructum etiam suorum laborum extraneis relinquere patri pro lubitu suo integrum esset. Iure naturae tenetur etiam pater nec praeferre filios illegitimos (si illos haberet) vel personas aut causas turpes filiis legitimis; quid enim si dum illis magna capitalia, istis (nempe filiis legitimis) sola alimenta relinqueret?

II. Si legitima (quae lege civili statuitur) non sufficeret ut pater erga filios (vel erga aliquem filium) muneri suo (iuxta ius

naturae, ut supra) satisfaceret; tunc aliud (quantum satis) superaddere deberet.

III. Si e contra iuri naturae sufficienter satisfaceret pater relinquendo filiis (aut alicui filio) portionem minorem illa, quae eâdem legitimâ taxatur; tunc probabiliter non peccaret, si reapse portionem minorem iisdem relinqueret; nec (ante iudicis sententiam) inquietandi essent haeredes, vel legatarii, vel donatarii, qui sic cum praeiudicio legitimae a testatore bona accepissent; salvo tamen filiis iure reclamandi iudicialiter, et petendi reductionem. De re ista vide argumenta in Praxi (*n.* 2749). Hic noto solum quod casus iste est valde practicus, saepe enim accidit quod pater aliquibus filiis, speciatim vero filiabus (maxime si iam nuptae sint) praeiudicium infert in legitima, v. g., emendo stabilia nomine filiorum (ita ut non ipse pater, sed filii domini appareant); vel tradendo brevi manu pecuniam filiis: vel dicendo filiis ut post mortem suam sibi applicent pecuniam, legitimam autem pro filiabus solum ex bonis, quae abscondi nequeunt, determinent; vel assignando filiabus dotem aut talem summam pro legitima, dum reapse legitima multo maior (propter capitalia abscondita) esse deberet.

IV. Ecclesia non solet acceptare bona relicta ad causas pias cum praeiudicio legitimae, sed si (filiis non indigentibus atque adeo salvo iure naturae) illa acceptasset, tunc filii civiliter quidem, sed non in conscientia, contra Ecclesiam ipsam reclamandi ius haberent. Praxis (*n.* 2752).

QUAESTIO III.

Quid iure canonico vel in conscientia de dispositionibus in favorem filii spurii vel utcumque illegitimi?

3901. Vidimus supra (*n.* 3828, 3809) quod, iuxta leges civiles italicas, genitores 1° Propriis filiis spuriis alimenta tam stricte quam late dicta relinquere possunt; sed, si sint spurii in sensu legis (iuxta dicta *n.* 3796), et tamquam tales fuerint recogniti vel a iudice declarati, nihil aliud: 2° Propriis filiis naturalibus legaliter recognitis, ultra alimenta, bona alia possunt relinquere, sed cum restrictionibus *n.* 3828 *II.* indicatis.

At vero in conscientia, et inspecto iure canonico, sequenti modo res se habent:

I. De bonis ecclesiasticis eorumque fructibus nec licite nec valide, sive per testamentum sive inter vivos, quidquam (etsi

non magni valoris) dari potest filiis spuriis aut aliter illegitimis, sive propriis sive extraneis, etsi legitimati fuerint. Pius V.

II. Clerici autem, nequidem ex bonis patrimonialibus, dictis illegitimis, sive propriis (etsi in statu saeculari illos procreassent), sive extraneis, quidquam pariter dare possunt. Pius V.

Excipe, nisi ageretur de casu strictae necessitatis, qui (extantibus brephotrophiis) vix unquam practicus esse poterit.

III. Saeculares, de bonis non ecclesiasticis sed propriis, iure naturae, et (non obstante lege civili) in conscientia, filiis spuriis etiam ultra alimenta, et filiis naturalibus etiam ultra mensuram ipsa lege civili statutam, largitiones facere possunt, dummodo nec filiis legitimis (certe praeferendis) iniuriam afferant, nec rationibus praeponderantibus (cuiusmodi posset esse ratio scandali) praepediantur. Bona autem sic accepta pariter in conscientia ab his filiis spuriis aut naturalibus retineri poterunt, nisi legitimi reclament; si enim reclamarent atque ad iudicem recurrere vellent, tunc ad tramites legis civilis restitutio eis fieri deberet. Cf. Praxis (*n.* 2753 - 2761).

QUAESTIO IV.

Quid in conscientia de successionibus quando vel solum matrimonium ecclesiasticum vel solum matrimonium civile contractum fuerit?

Casus huiusmodi sunt multi et diversitates valde notabiles praeseferunt. Expono sequentes:

3902. **Casus I.** *Titius contraxit prius matrimonium mere ecclesiasticum cum Bertha, ex qua filios procreavit. Dein, relictâ familiâ, civiles nuptias inivit cum Sempronia, ex qua alios genuit filios. In morte testamentum condidit; in eoque, de Bertha eiusque filiis ne verbo quidem facto, totam haereditatem Semproniae eiusque filiis reliquit. Ad quid hi haeredes in conscientia tenentur?*

Praemittendum (pro casu isto et sequentibus) quod leges civiles, quatenus filios ex matrimonio ecclesiastico progenitos tamquam illegitimos considerant, et genitoribus eos ut tales considerandi facultatem praebent, nullum in conscientia valorem habere possunt. Quum itaque leges istae sic non valeant, et antiquae non amplius vigeant; id unum (ni fallor) restat, ut in casibus huiusmodi (sive de testamentariis sive de intestatis successionibus agatur) a lege naturali presse sumpta regulae su-

mendae sint. His praemissis, casus expositus sic resolvendus esse videtur:

Titius potuit testamentum condere, et, solo iure naturae inspecto, potuit etiam dictos filios illegitimos simul cum Sempronia haeredes instituere; sed non ita ut legitimos praeteriret. Cum autem de facto illos praeterierit, et sic muneri suo defecerit; reliquum est ut haeredes (qui in omnia onera realia defuncti succedunt) id exequi teneantur, quod defunctus ipse ex pietate vel iustitia ex patrimonio suo exequi debuisset. Sed quid praecise exequi debuisset?

Quoad filios: ex strictissima pietatis obligatione (ita clamante iure naturali et divino) debuisset recognoscere filios Berthae tamquam suos legitimos, eisque non solum notabilem haereditatis partem relinquere, sed etiam illos ab illegitimis, imo spuriis, (praescindendo a rationibus specialissimis, v. g., si hi spurii suo labore patrimonium auxissent) valde distinguere.

Quoad Bertham; imprimis ex iustitia ei reparare debuisset damna, quae ex iniusto divortio passa fuisset. Insuper, si celebrationem actus civilis sive expresse sive tacite ei adpromisisset, tunc integram quotam legalem (qua pariter inique, propter promissionem non adimpletam, privata fuisset) ei relinquere debuisset (notandum autem quod promissio tacita semper adesse videtur, nisi expresse aut signis sufficientibus exclusa fuisset). Denique ipsum factum nominandi haeredem uxorem civilem et excludendi legitimam, veram et magnam iniuriam contra istam constituere videtur, quae omnino (maxime si insuper paupertate laboraret) reparari deberet. Praedicti itaque ex testamento haeredes haec omnia in conscientia adimplere tenerentur.

3903. **Casus II.** *Quid si Titius, de quo supra, testamentum non fecisset; et sic, vi legis civilis, tota haereditas filiis ex matrimonio civili progenitis et Semproniae eorum matri contigisset?* Iure naturae filiis legitimis et uxori legitimae satisfaciendum esset ut supra; rationes enim sunt semper eaedem; imo, ex hoc ipso quod defunctus nihil in contrarium disposuerit, a fortiori valere debent.

3904. **Casus III.** *Livius, relicta Lucretia uxore mere civili, ex qua filios procreaverat, moritur intestatus apud Antoniam, quam ecclesiastice tantum in uxorem duxerat, et ex qua etiam filios habuerat. Sic autem in hoc quoque casu tota haereditas filiis Lucretiae, et Lucretiae ipsi, cedit civiliter. Sed quid in conscientia?* Respondendum est ut supra, et quidem a fortiori magis quam in casu praecedenti; heic quippe praesumptam Livii

ipsius voluntatem habemus; quum enim in pace cum familia sua legitima mortuus fuerit, omnino praesumendum est, eiusdem voluntatem fuisse ei magis favendi. Id autem verum esset, quamvis, sive vivente sive mortua Lucretia, illius quoque filios apud se benevole retineret; non solum enim religio, sed etiam recta ratio et sensus communis dictant, semperque dictarunt, ut filii legitimi distinguantur ab illegitimis, hisque (per se loquendo) valde praeferantur.

3905. **Casus IV.** *Sempronius cum filiis ex matrimonio mere ecclesiastico susceptis moritur intestatus; et sic haereditas ad eiusdem ascendentes vel collaterales civiliter devolvitur. Quid de istis in conscientia?* Poterunt quidem acceptare haereditatem, sed solum cum intentione non recedendi ab obligationibus, quae iure naturali et divino in huiusmodi successione intestata imponuntur. Ius naturae autem exigit certe, ut ad filios legitimos haereditas devolvatur; ita tamen ut ius ipsum non prohibeat ascendentibus, et forsan nequidem collateralibus (si in familia convivant), quominus partem aliquam sibi retineant. Sic enim semper (quando leges civiles adhuc non aderant) res ista considerata fuit, ut bona cuiuslibet decedentis sine testamento, in familia ipsius remanere deberent. Cf. Troplong (*De donat. et test. Introd.*).

3906. **Casus V.** *Caesar cum filiis ex matrimonio civili progenitis eorumque matre moritur intestatus. Isti proinde iure civili haereditatem capiunt, aliosque Caesaris ipsius consanguineos excludunt. Possuntne in conscientia illam retinere?* Remanente obligatione naturali erga ascendentes Caesaris si adsint et alimentis indigeant, in hoc casu ius naturae violari non videtur.

3907. **Casus VI.** *Quid si Caesar cum uxore civili et sine prole mortuus fuisset intestatus? Poteritne tunc eadem uxor civilis quotam legalem in conscientia acceptare et retinere?* In hoc quoque casu ius naturae violari non videtur.

3908. **Casus VII.** *Plautilla, quum non posset, post contractum matrimonium ecclesiasticum cum Claudio, illum inducere ad complendum actum civilem, surripit clam aliquid de eiusdem bonis, ut se compenset de quota legali, quam in morte ipsius habere nequibit. Potestne iuste ita se gerere in conscientia?* Si actus civilis ei sive expresse sive tacite (ut supra dicebam *n.* 3902 *in fin.*) ei promissus fuisset; tunc affirmative; secus, negative; uxor enim ad praedictam quotam de stricta obligatione naturali ius non habet, vel saltem de hoc non satis constat.

Si tamen, ad providendum filiis (qui, propter actus civilis deficientiam, damnis et periculis exponi poterunt), ita se gereret; utique tunc etiam ab iniustitia immunis esse posset. Cf. Monit. Eccles. (*II. III. pag.* 44).

QUAESTIO V.

Quid de filiis masculis, qui, mortuo patre sine testamento, inhaerendo adhuc moribus antiquis, totam haereditatem paternam capiunt; et sororibus, quae dotem congruam occasione matrimonii iam habuerunt, nihil tribuunt: atque insuper, si forte ipsae recursum ad iudicem minitentur, abscondunt pecuniam, ne (dum iuxta leges hodiernas aequaliter cum ipsis dividere deberent) partem legalem integram obtinere valeant? Quid itaque in conscientia de casu isto valde practico, qui speciatim apud agricolas communissime et frequentissime accidit?

3909. Loquendo prius de iure naturae, hoc certe exigit ut patrimonium patris (qui intestatus decesserit) dividatur aequaliter inter filios, si nulla gravis ratio in contrarium adsit. Si autem graves subsistant rationes constituendi differentias, utique tunc ius naturae sinit, ut ab aequalitate recedatur. Rationes huiusmodi essent, v. g. si, dum aliqui filii iamdudum exierunt a familia atque separatâ oeconomiâ peculium sibi procurarunt, alii in familia remanserint, pro illa semper laboraverint, nullumque lucrum sibi applicaverint, genitores senescentes custodierint, assem paternum servaverint vel etiam auxerint etc. Bona ratio quoque semper considerata fuit differentia sexus, quatenus satis sit si filiae, quae a familia occasione matrimonii exiverint, dotem congruam habuerint. Hoc patet ab hystoria generis humani (ut videre est apud Troplong *De don. et test. Introd.*), sicque communius leges positivae quoque saeculis elapsis statuerunt. Adde quod patrum voluntas esse solet ut bona maiori ex parte apud filios in familia remaneant; et si multi patres interrogarentur, fere omnes talem esse propriam voluntatem responderent. Si itaque resolutio expositae quaestionis a solo iure naturae sumenda esset, responderi deberet filios in conscientia ut supra se gerere posse.

3910. Difficultas itaque restringitur ad indagandum quo sensu lex civilis (quae apud nos hodie aequalitatem statuit) intelligi debeat; an scilicet intendat statuere obligationem in conscientia, ipso facto et sine ulla exceptione; an vero, quoad personas quae

iam exierunt a familia, et maxime foeminas, contenta sit quod ipsae reclamare possint iudicialiter, si velint? Ego responderem negative ad primam partem et affirmative ad secundam. Ratio est quia leges civiles non solent curare de obliganda conscientia, et satis habent si subditi obligentur post iudicis sententiam, quando bono ordini sic sufficienter consulitur. In casu autem huic ipsi bono ordini sic consulitur nedum sufficienter, sed melius; maxime quando fratres valde et diu laborarunt pro familia etc; durissimum enim esset et pene dixerim iniustissimum, si ad fructus sudorum suorum dandos aliis, qui non laborarunt, cogerentur in conscientia. Ita profecto res ista apud nos communiter intelligitur, et fratres (etiam meticulosae conscientiae) peccare non credunt, quamvis sororibus iam nuptis cum dote iam recepta nihil tribuant; imo, si illae aequaliter dividere praetendant, id pro vexatione habent, cui solum coacti cedere debere existimant. Nihil dico de casu, in quo sorores ita tacerent, ut earum silentium pro renuntiatione haberi deberet.

QUAESTIO VI.

Quid de commutationibus in legatis?

3911. I. Legatum profanum, si in forma designata nullo modo aut non licite adimpleri posset, vel inutile prorsus evasisset, tunc (in favorem haeredum) evaderet caducum, seu pro non scripto haberetur. Si autem illius executio esset possibilis, licita et utilis, sed iusta interveniret causa commutationis, haec ad Principem spectaret.

3912. II. Legatum pium nunquam evadit caducum; sed eveniente impossibilitate (sive facti sive iuris) illud exequendi, in aliud opus pium commutari debet. Ex aliis quoque causis locum habere potest commutatio, dummodo sint iustae (secus enim illicita et invalida esset ipsa commutatio). Facultas autem commutandi legata pia non ad Principem, sed ad S. Sedem spectat.

3913. III. Plures theologi docent, Episcopos quoque ad huiusmodi commutationes devenire posse, et exigunt solum ut iusta causa subsistat. Alii autem (inter quos Lugo, Laymann, Sanchez etc. cum S. Ligorio *III.* 931) eandem facultatem Episcopis attribuunt, sed ita ut negent quamlibet iustam causam sufficere, et dicant exigi et sufficere causas sequentes: 1° Si legatum nequeat adimpleri in forma praescripta: 2° Si necessitas aliqua (etsi non urgens) commutationem exposcat: 3° Si ex praesumpta

vel interpretativa testatoris voluntate commutatio fieri possit, ita ut praesumi debeat, quod, si ille viveret et circumstantias perspiceret, contentus esset (*Cf. l. Lig. t. c.*). At vero haec doctrina (quae, uti patet, etiam iuxta hos theologos posteriores, latissimam Episcopis facultatem tribueret) admitti non potest. Patet ex rationibus sequentibus.

3914. I. Clementina (*C. Quia contigit De Domib. religios.*) dicit: « Ea, « quae ad certum usum largitione sunt destinata fidelium, ad illum debeant, non « ad alia (salva Sedis Apostolicae auctoritate) converti ». Ad quae verba subdit Glossa: « Nota per hanc litteram *solum* Papam posse alterare usum illo- « rum, quae per fideles donata sunt vel relicta ».

3915. II. Ratio quae aliquam fundamenti speciem adversariis praebere potest, et reapse a pluribus adducitur, consistit in sequentibus Tridentini (*Sess. XXII. C. VI.*) verbis: « In commutationibus ultimarum voluntatum, quae non- « nisi ex iusta et necessaria causa fieri debent, Episcopi, tamquam delegati Sedis « Apostolicae, summarie et extraiudicialiter cognoscant nihil in precibus, ta- « cita veritate vel suggesta falsitate, fuisse narratum, prius quam commuta- « tiones praedictae executioni demandentur ». Sed haec verba non sunt ad rem et potius contrarium probant. Tridentinum enim hic loquitur de commutationibus non iam concedendis, bene vero a S. Sede iam concessis et solum exequendis, de quibus scilicet Episcopi examinare debeant *an vera sint exposita*, priusquam earundem executionem permittant.

Quod talis sit sensus Tridentini ex ipsa verborum consideratione manifeste patet. Dicit Lucidi (*Vol. II. C. VII. n. 71*): « Hanc Concilii Tridentini san- « ctionem nonnulli male interpretati existimaverunt, Episcopis ex hoc loco « datum fuisse defunctorum voluntatem commutare. At vero si illius loci con- « textus penitius inspiciatur, manifesto patebit, hoc ibidem poni, quod preces « pro voluntate commutanda fuerint iam oblatae, eaeque porro non Episcopis, « sed S. Sedi. Iam vero S. Sedes, antequam ad commutationem exequendam « deveniat, illud in antecessum requirit, ut Episcopi summarie et extraiudicia- « liter de causae iustitia ac necessitate cognoscant ». Et Pallottini (*v. Legatum B. V. n. 4*) subdit: « Quam quidem sanctionem nonnulli Doctores, non bene « perpensa sive non probe intellecta Concilii sententia, extendentes, nedum « interpretati sunt de delegata potestate cognoscendi tacitam veritatem vel « suggestam falsitatem in precibus, verum etiam de potestate commutandi pias « defunctorum voluntates. Hoc tamen constantissime refutarunt doctiores cano- « nistae etc. ». Et paullo post (*n. 13*): « Compertum est commutationes volun- « tatum testatorum, non ab Episcopis, ut per manifestum errorem affirmarunt « nonnulli, sed nonnisi a Sede Apostolica fieri posse ». De hoc testem habemus ipsam Congregationem Concilii, quae (ut omnes norunt) Concilii ipsius interpretationi praeficitur, eiusque sensum auctoritative determinat. Enimvero (in *Commen.* 23 Nov. 1765), excriptis praedictis Tridentini verbis, dixit: « Epi- « scopis ergo in ea sanctione delegatam Sedis Apostolicae nomine potestatem « dat, qui suam non haberent, cognoscendi de tacita veritate vel de suggesta « falsitate in precibus, et quidem iam datis, priusquam commutationes *et qui- « dem iam concessae*, executioni mandentur ». Quum itaque doctrina de facultate Episcoporum commutandi legata pia unice fundetur in dictis Tridentini verbis, eaque perperam intelligantur, restat ut doctrina ipsa quovis prorsus fundamento destituatur.

3916. III. Doctrina Sacrarum Congregationum semper fuit quod solus Romanus Pontifex commutationes huiusmodi facere potest.

Enimvero S. C. C. (in *Comen. d. cit.*), adducta doctrina auctorum dicentium quod Rom. Pontifex tantummodo pias dispositiones commutare potest, subiunxit: « S. Congregatio perpetua sua sententia hanc doctrinam constabi- « livit, et commutationes voluntatum, a Sede Apostolica non factas, irritas « declaravit semper ».

3917. S. C. de Prop. Fide (*an. 1807*) in instructione directa ad Vicarium Ap. Cocincinae (*Collectanea S. C. de P. F. n. 1622*) dixit: « Commutari quidem « Sedis Apostolicae auctoritate possunt fidelium voluntates.....; sed commuta- « tiones, ex Tridentino (*Sess. 2, 2 c. 6*), nonnisi ex iusta et rationabili causa « fieri debent, ut Summus Pontifex fidelis et prudens administrator habeatur « et sit. Qua lege cum Summus idem Pontifex obstringatur, *qui solus pote-* « *statem habet perficiendarum huiusmodi commutationum,* ipsius est cogno- « scere et iudicare de causa, quae in singulis casibus interveniat, talis nempe « sit necne, ob quam iuste et rationabiliter a voluntate piorum offerentium, « *sive interpretando sive commutando* recedi possit.... In quarum rerum iu- « dicio, si ab inferioribus quibus ab Ap. Sede (intellige absolute et generaliter) « commissum sit, forte peccetur, supremo bonorum Ecclesiae, rerumque Deo « oblatarum administratori ac dispensatori vitium huiusmodi a Deo iudice impu- « taretur. Hisce omnibus de causis fit ut S. Sedes abstineat a facultate huiusmodi « (generaliter) deleganda, sed ad iudicium eius particulares casus deferri iubeat, « ut, perpensis omnibus circumstantiis, quid magis in Dominos expediens iudi- « caverit, ipsa constituat ac decernat ».

3918. Denique de Rota Romana dicit Lucidi (*l. c. n. 72*): « Commutatio « defunctorum voluntatis ab Episcopo facta, ex eiusdem Sacrae Rotae senten- « tia non sustinetur ».

3919. Dices: Argumenta hucusque adducta valent quidem contra illos, qui absolutam tribuunt Episcopis commutandi facultatem et exigunt solum ut iusta causa subsistat; non vero contra illos qui facultatem ipsam limitant ad casus supra (*n. 3913*) indicatos; in iis enim non tam de commutanda, quam de interpretanda testatoris voluntate ageretur. Resp. Negative. Si enim res ita se haberet, iam casus in quibus adesset necessitas recurrendi ad S. Sedem, vix unquam contingerent; quandonam enim, supposita necessitate vel iusta causa commutandi, non erit praesumendum quod, si testator viveret, de tali commutatione (ob circumstantias superventas) contentus esset? De hoc insuper habemus declarationem expressam in verbis supra citatis (*n. 3917*) S. C. de Prop. Fide, quae dicit: *Sive interpretando sive commutando.*

3920. IV. Quamvis nequeant Episcopi de regula ordinaria ad commutationes procedere, hoc tamen eis licebit in casibus sequentibus; 1° Si necessitas urgeat, nec suppetat tempus recurrendi ad S. Sedem; ita tamen ut, si ageretur de commutatione perpetua vel tractum successivum habente, recurrendum sit postea ad S. Sedem pro approbatione (*Cf. cit. instruc. S. C. de Prop. Fid. in fin.*): 2° Si ageretur de commutatione leviuscula in re unica vice peragenda: 3° Si res eroganda quidem esset in usus pios, sed ita ut vel testator speciem non determinasset, vel bona superflua remanerent. S. C. de Prop. Fid. Pro Sin. 13 Ian. 1794 dixit: « In arbitrio et potestate Episcopi esse erogare

« in usus pios redditus bonorum Ecclesiae, qui vel ad peculiarem « usum non fuerunt a testatoribus destinati, vel satisfacto onere « a testatoribus iniuncto, aliquid aliud superest de iisdem reddi- « tibus in usus pios erogandum ». Collect. cit. *n.* 1621.

3921. V. Pro regula petendi commutationes a S. Sede, notanda sunt sequentia:

I. Commutationes concedi quidem possunt, sed non faciliter; nimia quippe facilitas in derogando ultimis testatorum voluntatibus reddere potest viventes, qui id fieri vident in testamentis mortuorum, minus pronos ad pias dispositiones. Hinc concedi possunt tantummodo ex iusta et adaequata causa, nec facile credendum est quod tamquam talis vere subsistat. Causa autem erit iusta et adaequata in duobus casibus. 1° Si commutatio iam sit omnino necessaria, quatenus pia dispositio modo a testatore destinato non amplius adimpleri valeat; aut illius executio nimis difficilis vel periculosa vel inutilis evaserit. 2° Si haec duo concurrant, quod scilicet commutatio fiat in melius (v. g., reddendo pium opus ex transeunte perpetuum), simulque iuxta praesumptam seu interpretativam testatoris voluntatem. Ordinarie autem prima ratio absque secunda non sufficeret, multo magis si testator commutationem praevidisset, illamque fortiter interdixisset. Nec valeret quod haeres commutationi consentiret, aut etiam illam desideraret. Videndum etiam ne ex commutatione ius tertii laederetur, quo casu illam obtinere (nisi forte ex gravissima et urgentissima causa publica) impossibile esset. Pallottini (*l. c.* 14, 40).

3922. II. Oportet ut non solum subsistat causa commutationis, sed etiam ordinarie ut opus subrogatum sit simile primo: secus enim de interpretativo testatoris consensu difficile praesumi poterit. Si autem primum in parte retineri valeret, solum pro alia parte commutatio fieri posset. Pallottini (*l. c.* 129).

3923. III. Saepe accidit quod pius usus differri potius debeat quam commutari. Hoc anno, v. g., non adsunt puellae quibus dotes sint concedendae, sed aderunt sequentibus annis etc. Pallottini (*l. c.* 23).

3924. IV. Si redditus pro legati adimplemento imminuti fuissent, sed ita ut in parte legato adhuc satisfieri valeret, tunc non iam de commutatione, sed solum de imminutione oneris quaestio esse posset. Imo interdum ne imminutio quidem locum habere deberet, sed haeres supplere teneretur; heic enim sequenti modo distinguendum est. Si pro legati adimplemento testator designasset fundum, et fundus tractu temporis (sine

haeredis culpa) in parte periisset, vel (propter tributa adiuncta aliasve causas) minores fructus redderet, unde iidem ad satisfaciendum legato non amplius sufficerent; tunc videndum foret an testator prius designasset fundum et postea statuisset ut ex illo tale vel tale legatum adimpleretur; an vero prius statuisset onus satisfaciendi legato et postea fundum designasset. In primo casu fundus assignatus fuisset *taxative*, et legatum solum per quantum sinerent fructus eiusdem satisfieri deberet; in secundo autem fundus designatus fuisset *demonstrative*, eoque sive in parte sive etiam in toto pereunte, onus satisfaciendi legato semper in haeredibus remaneret.

QUAESTIO VII.

Quid de dispositione testamentaria facta sub conditione, quae sit illicita, sed ab hodiernis legibus civilibus ut talis non consideretur, sed potius positive approbetur?

3925. I. Casum habes in conditione nuptias civiles cum aliqua persona contrahendi non obstante anteriori matrimonio mere ecclesiastico cum alia contracto, vel cadaver sive cremandi, sive mere civiliter aut cum signis massonicis sepeliendi etc.

II. Conditiones huiusmodi lege quidem civili considerari poterunt tamquam attendibiles, sed non in conscientia; Ecclesia enim legem ipsam, tamquam ad peccatum provocantem, certe non approbat; unde reliquum est ut conditio negligi debeat, et nihilominus haereditas acceptari possit.

QUAESTIO VIII.

Quid de iure canonico circa executores testamentarios, et auctoritatem Episcopi exigendi rationem quoad legata pia et pias fiducias?

3926. Etiam quoad legata pia potest testator executorem vel executores testamentarios constituere, et quidem ita ut, primis mortuis vel renuntiantibus, alii iuxta suas designationes succedant. Episcopus haec impediendi vel mutandi nullam auctoritatem habet, et multo minus administrationem ad se revocare potest; intellige nisi vera necessitas aliud exigeret.

Ius tamen habet Episcopus invigilandi et rationem exigendi ut piae defunctorum voluntates semper fideliter et exacte adimpleantur; quod verum esset quamvis testator a iure revisionis Episcopum expresse exclusisset.

3927. Enimvero Iure Romano (Auth. de eccl. tit. § *Si quis autem* Col. IX) sic statutum fuit: « In omnibus piis voluntatibus defunctorum volumus san- « ctissimos Episcopos providere ut secundum voluntatem defuncti omnia pro- « cedant, licet testator et donator hoc prohibuerit ». Quae lex confirmata fuit Iure Canonico, dicente Gregorio IX. (Cap. *Tua nobis* de testam.). « Tua nohis « fraternitas intimavit quod nonnulli tam religiosi, quam clerici saeculares et « laici, pecuniam et alia bona, quae per manus eorum ex testamento decedentium « debent in usus pios expendi, non dubitant aliis usibus applicare. Cum igitur « in omnibus piis voluntatibus sit per locorum Episcopos providendum ut « secundum defuncti voluntatem universe procedant, licet etiam a testato- « ribus id contingeret interdici, mandamus quatenus executores testamentorum « huiusmodi, ut bona ipsa fideliter et plenarie in usus praedictos expendant, « monitione praemissa, compellas ». Et Trid. (*Sess. 22 a. 8*) dicit: Episcopi, « etiam tamquam Sedis Apostolicae delegati, in casibus a iure concessis, « omnium piorum dispositionum, tam in ultima voluntate quam inter vivos, « sint executores: habeant ius visitandi hospitalia.... et pia loca omnia... ac « omnia quae ad Dei cultum et animarum salutem, seu pauperes susten- « tandos instituta sunt, ipsi ex officio suo, iuxta sacrorum canonum statuta « cognoscant et exequantur, non obstantibus quacumque consuetudine.... privi- « legio aut statuto ». Notandum tamen quod Episcopus non semper tenetur exigere documenta erogationem comprobantia, sed aliquando potest credere executori asserenti se muneri suo satisfecisse: quod verificatur speciatim in rebus minutis (v. g. eleemosynis manualibus) de quibus saepe difficile et interdum impossibile sibi procurare documenta. Posset tamen Episcopus exigere iuramentum. Cf. Sanchez (*Consil. L. U. C. l. Dub. 49*) et Lugo (*De iust. et iur. D. 24 n. 334*).

3928. II. *Quid de haerede fiduciario?* Quid scilicet si testator in testamento ad tramites legis civilis confecto modum erogationis non expressisset, sed haeredi aut alteri privatim modum ipsum significasset, aut etiam rem totam (scilicet modum erogationis) eiusdem arbitrio reliquisset? Ille certe teneretur piam defuncti voluntatem adimplere, et proinde, si erogatio tractum successivum haberet, notam erogationum exacte servare, capitalia custodire, et absque mora providere ut etiam post mortem (quatenus casus ita ferat) voluntas defuncti ab aliis adimpleatur.

3929. *Sed habetne ius Episcopus hoc etiam in casu (haeredis fiduciarii) rationem exigendi?* Affirmative, et quidem non solum quando ille fiduciam explicaverit, aut opera pia determinaverit et successoribus suis adimplenda iniunxerit, sed etiam in aliis casibus. Episcopus scilicet exigere potest 1° ut haeres fiduciarius fiduciam sibi explicet: 2° ut ille eiusque successores rationem singulis annis sibi reddant. Ratio est quia leges (*Cf. supra n.* 3927) loquuntur generaliter, nec est cur casus isti excipiantur; imo necessitas ut Episcopus cognoscat, vigilet et rationem exigat, urget magis in casibus istis quam in aliis. Hoc patet etiam ex Decreto quod paucis ab hinc annis in notissima causa Ravenna-

tensi a S. C. Concilii emissum fuit. Quidam duobus parochis commisit secretam fiduciam in chirographo manu sua exarato expressam, simulque deposuit capsam capitalia continentem apud Curiam Archiepiscopalem. E.mus Archiepiscopus iussit ut dicti haeredes sub poena suspensionis fiduciam sibi explicarent, et coram se vel suum Cancellarium capsam aperirent. Quum autem ipsi se opposuissent, atque ad S. C. recursum fecissent, eadem S. C. sic decrevit: « Oratores stent mandatis Eminentissimi Ar- « chiepiscopi quoad modum traditionis depositi penes Curiam « existentis, et ab eo rehabilitentur, et ad mentem...... Mens « est.... ut duo parochi statim exhibeant E.mo Archiepiscopo « authographum fiduciae, eiusque simplicem copiam in manibus « eius, si velit, relinquant, cautissime tamen ab E.mo Archie- « piscopo custodiendam ».

Haec tamen regula habet exceptionem pro casu, in quo fiducia respiceret rem, quae iusta de causa tenenda esset secretissima, quod dupliciter contingere potest, nempe 1° si ageretur de obligationibus conscientiae, ita ut revelatio infamiam aliquam testatori vel tertiis esset allatura: 2° si revelatio ipsa (et consequens redditio rationum quotannis) periculum evulgationis ita involveret, ut per partem aliorum haeredum lites et molestiae ita essent exoriturae, ut ipsa opera pia a testatore relicta in discrimen et ruinam coniici possent. *Cf.* Lugo et Sanchez *(ll. cc.)*.

3930. IV. *Quid de taxa, quae pro legatorum piorum revisione ab Episcopo imponeretur?* Seclusa speciali S. Sedis approbatione, hoc non licet. Patet ex sequentibus documentis.

In taxa Innocentiana (in lege scilicet ab Innocentio XI promulgata) dicitur: « Illicitum declaratur quodvis emolumen- « tum, sive directum sive indirectum, et proinde prohibetur ne « Episcopus aut Praelatus, eius Vicarius et Cancellarius, aut « alius quilibet minister et familiaris, sub ullo praetextu, licet « muneris vel donativi, quidquid exigant.... pro revisione ra- « tionum locorum piorum ». Apud Lucidi *Vol III. pag.* 162.

S. C. C. (in Faventina 19 Sept. 1772) ad quaesitum: « An « redditio rationis, sive in Terra Brisighellae (pro Congrega- « tione vulgo *Paulina*), sive in civitate Faventiae, gratis reci- « pienda sit ab Episcopo, seu potius Vocales dictae Congrega- « tionis teneantur solvere mercedem revisori synodali, seu « alteri per Episcopum deputando et in qua summa in casu? » Respondit: « Affirmative ad primam partem; negative ad se- « cundam ». Apud Pallottini (*v. Administrator* § *VI. n.* 395).

Ferraris (*v. Administratio*) dicit : « Pro labore autem revi-« sionis computorum locorum piorum nequeunt Episcopi ali-« quam mercedem, seu propinam, exigere; sed hoc munus « gratis implere tenentur, non obstante quacumque contraria « consuetudine, prout mandat Taxa Innocentiana. Et ratio est « quia Ordinarius habet redditus mensae, ut onera officii sui « sustineat ». (*Cap. Statutum de Reser. in* 6°, *et S. C. C. in Panormitana* 4 Martii 1690).

S. C. C (*in Panormitana* 18 Iul. 1664) declaravit nullam partem legatorum sive mortuariorum posse assignari ab Episcopo Deputatis pro eorundem legatorum investigatione, denunciatione, executione. Apud Pallottini (*v. Legatum* § *V. n.* 7).

Novissime (nempe anno proxime elapso 1896) eadem S. C. C. (postulantibus plerisque Episcopis ut taxae diversae ab illis, quae in lege Innocentiana statutae fuerunt, approbarentur) decrevit novas taxas indigere approbatione S. Sedis. Enimvero ad quaesitum : « An generalibus quibusdam editis normis, specifica prae-« finitio taxarum in singulis Dioecesibus Ordinariorum arbitrio « sit relinquenda; an potius praescribendum ut hac de re agatur « in synodis provincialibus, et quatenus synodi haberi nequeant, « in conventibus Episcoporum in singulis provinciis, et in Italia « in singulis regionibus, ad hunc effectum peculiariter habendis, « sub lege nempe ut uniformis taxa in singulis provinciis seu « regionibus, quoad fieri possit, statuatur, Sacrae Concilii Con-« gregationi pro approbatione subiicienda ? » Respondit (10 Iun. 1896): « Negative ad primam partem; affirmative ad secundam ». Facto verbo cum SS.mo, qui resolutionem approbavit, confirmavit et servari mandavit. Apud *Monitore* (*Vol. IX. p. II. pag.* 121).

QUAESTIO IX.

Quum, iuxta legem civilem (*Cf. n.* 3883), *haeres qui inventarium legale non confecerit, teneatur solvere debita etiam ultra vires haereditatis, obligatio ista valetne etiam in conscientia?*

3931. I. Creditores certe in conscientia uti possunt favore legis, quamvis scirent ipsorum credita haereditatis vires excedere atque adeo haeredem sincere et sine ulla fraude hanc rationem opponere; lex enim non solum propter fraudem sed etiam propter periculum fraudis iustissime pro bono publico lata fuit.

II. Haeres tenetur in conscientia solvere debita etiam ultra vires haereditatis post sententiam iudicis; non vero antea, et maxime si creditores (forsan quia proprium creditum ignorarent) nihil peterent; id enim quid nimis durum esset, neque ad consulendum bono publico necessarium est ut obligatio huiusmodi in conscientia imponatur; unde credi potest quod lex civilis hanc obligationem imponere non intendat. *Cf. Praxis* (*n.* 2803).

QUAESTIO X.

Quid, iuxta ius canonicum, de successionibus quoad clericos, quoad clericorum haeredes, et quoad religiosos?

3932. I. Clerici de bonis patrimonialibus, quasi patrimonialibus, parsimonialibus et industrialibus (*Cf. n.* 3085, 3086 *V. VI. VII, et* 3087) disponere possunt ad libitum quasi sicut alii. Dixi *quasi*, quia fieri debet exceptio 1° quoad dispositiones in favorem illegitimorum (ut supra *n.* 3901): 2° quoad fructus negotiationis clericis interdictae, quatenus S. Congregatio spoliorum illos sibi applicare posset.

De bonis autem superfluis (*Cf. n.* 3086 *IV.*) nequidem ad causas pias disponere possent per testamentum, huiusmodi enim bona ad dictam S. Congregationem spoliorum devolvi deberent; sed variis de causis (*Cf. Praxis n.* 2773) lex ista fere ubique (et maxime si in Dioecesi eidem S. Congregationi quotannis tributum solvatur) ad nihil reducitur. Quatenus autem in loco eadem lex in viridi observantia minime sit, et clericus bona superflua habeat, ita de iisdem disponere ut in causis piis erogentur, in conscientia nedum potest sed tenetur. (*Cf. Theologia pastor. n.* 981).

II. Haeredes clerici beneficiati, ad quos sive per testamentum sive ab intestato dicta bona superflua devenissent, ea (quum succedant in omnia onera realia defuncti) in usus pios erogare tenerentur. Sed Lugo (*IV.* 49) dicit hoc esse contra praxim communem, atque Ecclesiam ab haeredibus id exigere non solere. Quid itaque de haeredibus qui pro neglecta manutentione satisfacerent quidem relate ad fabricas, sed non relate ad fundos rusticos, quia pro illis et non (prout olim apud nos usuveniebat) pro istis satisfactio ab Ecclesia petita fuisset? Eadem indulgentia ob eandem rationem intervenire videretur.

III. Quoad religiosos sive solemnium sive simplicium votorum, vide dicta *n.* 3093 - 3094.

QUAESTIO XI.

Circa interpretationem dispositionum testamentariarum estne aliquid aliud notandum de iure canonico?

3933. I. Subsidia dotalia pro monialibus relicta applicari possunt puellis vota simplicia in pio Instituto profitentibus, dummodo 1° Institutum ipsum a S. Sede fuerit approbatum (non vero laudatum tantummodo): 2° Vota sint perpetua: 3° Contrarium a fundatore vel testatore dispositum non fuerit. Pius IX apud Lucidi (*II. V.* 458).

II. Legatum relictum pro dote matrimoniali dari nequit puellis vota religiosa emittentibus. Excipe (ex praesumpta testatoris voluntate) si relictum fuisset puellae determinatae, quae, potius quam nubere, religionem ingredi vellet. S. Lig. (*III.* 930).

QUAESTIO XII.

Qui testamentum olographum sibi damnosum destruit, estne iniustus et teneturne ad restitutionem?

3934. Affirmative; si enim illud destruit post mortem testatoris, iniustus est contra haeredes vel legatarios in testamento ipso vocatos. A momento quippe mortis testatoris haeredes in re et legatarii ad rem ius a lege statutum habent, iuxta dicta *n.* 3827. Si autem illud destrueret ante mortem testatoris, esset iniustus non solum contra testatorem ipsum, sed etiam contra eosdem haeredes vel legatarios; etsi enim tunc non habeant adhuc ius nec in re nec ad rem, habent tamen ius ne modo iniusto (cuiusmodi est laceratio vel combustio testamenti) priventur haereditate, quam secus (ut suppono) assecuti fuissent.

CAPUT XII.

DE OCTAVO DECALOGI PRAECEPTO.

Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. (*Exod. XX* 16).

3935. *Quid vetatur in hoc praecepto?* Vetantur mendacia et interdum etiam fictiones cum proximi deceptione.

3936. *Quid est mendacium?* Est locutio falsa ad alium directa et obligationi veritatem dicendi contraria.

Dicitur *locutio*, quia simplices fictiones possunt quidem esse illicitae sed non sunt mendacia. Locutio autem fieri potest 1. per verba (sive ore prolata, sive scripta, sive typis impressa, sive per telegraphum vel telephonum communicata: 2. per gestus: 3. per signa conventionalia (sive in bello, sive in viis ferreis, sive in mari etc.).

Dicitur *falsa*, nempe contra rei veritatem, et non ambigua.

Dicitur *ad alium directa*; qui enim falsa quidem proferret, sed cum nemine loqueretur, mendax non esset, quamvis casu aliqui illum audirent.

Dicitur *obligationi veritatem dicendi contraria*, quia haec obligatio in casu secreti (ut infra explicabitur) minime adest.

3937. *Cur dixisti quod locutio falsa debet esse contra rei veritatem et non ambigua?* Quia aliquando nuda verba, solum in se considerata, essent, aut prima fronte videri possent, falsa, sed inspectis circumstantiis sensum verum habent, aut propter ambiguitatem (si audiens sit non prorsus imprudens) silentio aequivalent. Huiusmodi circumstantiae esse possunt 1° contextus sermonis, vel relatio responsionis cum sensu interrogationis (*Praxis n.* 2842 *et n.* 2853-2854); 2° restrictiones vel conditiones quae, sive ordinarie, sive in talibus vel talibus circumstantiis, subintelliguntur (*l. c.* 2842-2848); 3° sensus ironicus vel hyperbolicus; 4° sensus ludicrus (*l. c.* 2831 *et* 2838); 5° usus communis accipiendi verba aliter ac sonant in quibusdam circumstantiis particularibus, ita ut intelligatur quod certe vel forsan dicuntur ex urbanitate, vel ad non contristandum, vel ad terrorem etc., quin ideo loquens tamquam mendax vel dolosus vituperari debeat, (*l. c.* 2839); 6° Signa externa quae verba comitentur, v. g., subridendo, oculum inclinando etc. (*l c.* 2840); 7° qualitas personae loquentis, si nempe ex cognito illius officio vel arte unusquisque prudens advertere debeat quod falsiloquia, pariter absque nota mendacii et doli, proferre potest, ut in confessariis, secretariis, et forsan etiam circulatoribus (it. *ciarlatani*), accidere valet.

3938. *Undenam desumitur et quomodo probatur malitia mendacii?* Desumitur praecipue ex necessitate sociali, quatenus scilicet necesse est ut homines teneantur sincere loqui; si enim mendacia licita essent, nemo de sibi dictis ab aliis fidere posset, atque ita, cessante fiducia, commercium humanum impediretur et subsistere nequiret. Hinc, iure naturae et gentium ita exigente, quando homo loquitur cum alio, tacite ei adpromittit dicere veritatem, et, si mentiretur, quamdam proditionem committeret. Mendaces dici possunt falsarii verborum, atque (in globo sumpti) magis quam aliqui monetarum vel publicorum sigillorum aut apocharum falsarii, noxii sunt societati. Natura ipsa vehementer abhorret et damnat mendacium; ut quid enim mendax haesitat, titubat, remorsum patitur, rubore suffunditur, et sic infamiam suam persentit? Ut quid nemo tolerare potest ut de mendacio incusetur? Ut quid mendaces ab omnibus vituperantur? Mendax praeterea sibi ipsi damnum infert; vilis enim evadit, quavis fiducia destituitur et plene exhautoratum se reddit (mendaci enim non creditur etiam quando verita-

tem dicit), et omnibus invisus efficitur. Adde quod saepe mendacium non solum veracitatem, sed etiam alias virtutes, v. g., fidelitatem (si agatur de promissionibus), iustitiam (in contractibus, calumniis etc.), charitatem (propter occasionem quod alii culpentur etc.), religionem (si addatur iuramentum) etc., offendit. Saepe etiam mendacium est tegumen iniquitatis, impedimentum publicae iustitiae vindicativae etc. Ab ipsis philosophis ethnicis mendacium quam maxime damnabatur. Plutarchus dicebat: « Mentiri est vernale (vile), omnibusque hominibus « odio habendum ». Antiquum erat effatum: « Mendacium colapho pensandum ». Eadem fuit semper doctrina catholica. S. Ambrosius dixit: « Qui amant menda- « cium, filii sunt Diaboli », qui profecto est pater mendacii. Hoc denique patet ex sacris litteris: « Obbrobrium nequam in homine mendacium » (*Eccl. XX 26*). « Abominatio Domini labia mendacia » (*Prov. XXII*). « Sex sunt quae odit « Deus.... linguam mendacem » *(Prov. VI 16)*. « Perdes omnes qui loquuntur « mendacium » (*Ps. V* 7).

3939. *Quotuplex potest esse mendacium*? Distinctiones magis practicae sunt sequentes:

I. *Damnosum*, prout in calumniis, dolo et fraude in contractibus, vel si occasio sit ut alii culpentur, vel ut alter iuribus propriis (v. g. in iudicio) destituatur.

II. *Officiosum*, si nempe ad propriam aut alienam utilitatem (sine damno alicuius) proferatur. Casum habes in ostentatoribus et adulatoribus; item in filiis, famulis, discipulis etc. qui ad declinandam correctionem vel paullo laboriosiorem operis executionem falso se excusant; item in matribus, quae ad tegenda peccata filiorum coram patre etc., ad mendacia recurrunt.

III. *Iocosum*; si nempe ad capiendum solatium dicatur falsum; non equidem ita ut actu ipso sensus ludicrus appareat (dicendo v. g. *volat asinus*); bene vero ita ut dicta credibilia sint serioque proferantur, et solum postea iocus detegatur, ut puta, si quis alicui diceret: *Titius te inquisivit et indiget loqui tecum etc.*; idque verum non esset.

IV. *Completum* vel *partiale*, secundum quod nihil aut aliquid veritatis includit. Sic, v. g., in exaggerationibus, in diminutionibus, et in repraesentando ut certum quod est dubium etc. mendacium esset partiale.

V. *Formale*, vel *materiale*, vel *affectivum*. Formale est quando advertenter, et materiale quando inadvertenter falsum dicitur. Affectivum autem quando verum dicitur sed ex intentione dicendi falsum. Credis, v. g., Petrum esse domi, et dicis esse in platea, ubi adest revera. Caeterum mendacium materiale dicitur mendacium innocens, et qui illud profert non censetur mendax.

VI. *Simplex* vel *iuratum*.

VII. *Privatum* vel *iudiciale*.

3940. *Quid de ambiguitatibus, seu amphibologiis?*

I. Si adsit obligatio manifestandi candide veritatem, tunc

ambiguitas non licet. Casus dari potest in accusatione sacramentali peccatorum, in respondendo patri ius habenti sciendi veritatem, in respondendo iudici legitime interroganti, vel etiam tyranno publice interroganti de fide, si nempe ratio honoris divini et scandali evitandi valde exigat ut, non obstante timore martyrii, interrogatus fidem aperte profiteatur.

II. Ambiguitas potest esse 1° Nullo modo recognoscibilis : 2° difficile recognoscibilis ; 3° facile recognoscibilis.

III. Esset nullo modo recognoscibilis si quis loqueretur contra sensum verborum, et iuxta sensum quem in sola mente recondit et nullatenus percipi potest, ut puta, si quis diceret : *dabo tibi duos aureos*, et intelligeret *pictos* ; vel : *hac nocte non dormivi*, intelligendo *cum calceis*.

In ambiguitate huiusmodi intervenit *restrictio* quae a theologis dicitur *pure mentalis ;* et haec proprie non est ambiguitas, sed mendacium, etsi aliqualiter imperfectum, eo quod sit quidem contra rei veritatem sed non contra mentem. Certe per se est illicita. Utrum autem in aliquo casu licere possit, dicam infra.

IV. Si ambiguitas, aliquo signo externo, aut aliquo verbo, aut aliquâ circumstantiâ externâ, sit recognoscibilis, tunc intervenit restrictio, quae dicitur *externa* aut *late mentalis*.

Si haec sit facile recognoscibilis, tunc sive nulla sive levi de causa licet ; nisi forte ageretur de re tali, in qua periculum etiam remotum malae intelligentiae evitari deberet.

Si vero esset difficile recognoscibilis, tunc nec facile nec passim adhiberi posset; deceptiones enim nimis frequentes evaderent. Licita tamen esse posset (non obstante desiderio quod audiens ex defectu sufficientis calliditatis deceptus remaneat) in casibus extraordinariis magnae necessitatis, v. g. ad salvandam vitam.

3941. *An temerario interrogatori quid pro quo respondere possimus ?* Affirmative ; ex una parte enim tunc intervenit restrictio externa, quum talis interrogator ex sua ipsa temeritate cognoscere debeat se responsum de cuius sinceritate sit fidendum expectare non posse : et ex alia parte bono publico si generatim expedit sinceritas, expedit etiam ut negotia nostra temerariis interrogatoribus manifestare non teneamur; et advertendum quod saepe saepius non possumus respondere *nescio*, quando scilicet interrogemur de rebus quas ignorare nequimus, nec sufficiat silentium, quandoquidem ex silentio ipso quomodo res se habent argueretur. Vide Praxim (*n.* 2847).

3942. *An, ad tegendum vel non prodendum secretum momentosum contra veritatem loqui liceat ?* Affirmative certe si

restrictio externa interveniret, ut puta, si quis confessarium vel secretarium (uti talem ab eo ipso cognitum) interrogaret. Sed affirmandum est etiam pro casu in quo talis restrictio non adesset, et personis quae sermonem audiunt prorsus imperceptibilis foret. Scio, v. g., ex secreto sacramentalis confessionis Titium esse perversissimum, et nihilominus in quibuslibet casibus (sive interrogatus sive non interrogatus) bene loquor de illo, sicut loquerer si apud me nunquam confessus fuisset. Ita profecto me gerere nedum possem sed deberem, quamvis audientes de hac confessionis circumstantia nihil scirent, aut etiam nullatenus illam supponere possent; unde restrictio, si adesset, iam mere mentalis esset. Scribit Genicot (*Theologia moralis VI, VII n.* 406): « In admittendis restrictionibus mentalibus non difficiles se exhibent auctores primi nominis (1) et « ipse S. Alphonsus, ut liquet ex iis quae S. Doctor (*L. VI* « *n.* 153-169) existimat etiam iuramento firmari posse. Nec « desunt recentes quoque auctores, qui conati sunt nodum hunc « simpliciori modo secare. Ita Berardi (*Praxis n.* 2818 *seqq.*), « qui fuse hoc argumentum evolvit, hanc regulam proponit: « *Quando agitur de necessitate custodiendi secretum, unusquis-* « *que interrogatus respondere potest et saepe debet modo apto* « *ad secretum ipsum custodiendum, etsi nulla specialis adsit* « *circumstantia externa, qua de restrictione, vel utcumque* « *de falsa responsione, suspicari valeat* ».

3943. *Quid de illis qui longe a patria sua, ut incognitos se servent, nomen sibi mutant, et dicunt se esse alios?* Si gravis subsistat necessitas se ipsos occultandi (v. g. ad declinandum carcerem vel mortem) atque adeo proprium verum nomen secretum servandi, tunc id licitum videtur. Patet 1° quia res ista communi sensu minime reprobatur: 2° quia Angelus Raphael, hoc modo se occultavit et dixit: *Ego sum Azarias magni Ananiae filius* (*Tob. V*).

---

(1) Auctores admittunt, v. g., quod mulier adultera, interrogata an adulterium commiserit, respondere potest se esse innocentem (intelligendo se evasisse innocentem per confessionem sacramentalem), aut se adulterium non commisisse (intelligendo pro adulterio idololatriam!!) *S. Lig.* (*III 162*). Item, dicente marito: *tu mihi violasti fidem,* respondere posset: non violavi fidem (intelligendo fidem catholicam). Item interrogatus an occiderit canem vel gallum, respondere posset: non occidi canem (intelligendo canem marinum, it. *il pesce cane;* aut canem coelestem it. *la costellazione della canicola!!*), vel non occidi gallum (intelligendo hominem gallicum). Wigant (*X, IV 62*).

3944. *Quandonam mendacium sit peccatum mortale?*

I. Si graviter noceat, vel de gravi nocumento periculum includat, vel utcumque (sive certe sive probabiliter) valde malas consequentias habiturum sit. (Praxis *n.* 2873 *et seqq.*).

II. Si iuramento firmetur; tunc enim, quamvis mendacium ratione sui esset leve, ratione iuramenti grave evaderet. *Cf. n.* 2858 et vide alia in Praxi *n.* 2878 *et seqq.*

3945. *Quid de mendaciis et responsis ambiguis in iudicio?* Dicam aliqua brevissime.

I. Documenta falsa et testes falsi nequidem ad salvandum a morte innocentem adduci possunt. Praxis (*n.* 2902).

II. Si iudex non legitime aut non iuridice interroget, reus et testes 1° non tenentur respondere: 2° possunt uti verbis ambiguis, imo etiam 3° sub restrictione (subintelligendo scilicet: *ad tibi manifestandum*) negare possunt.

III. Supponendo quod iudex legitime interroget, distinguendum est sequenti modo:

a) Reus in iudicio civili (nempe qui citatur ut debitor), si vere sit debitor, nequit debitum negare; et, si negaret, ad reparationem damnorum teneretur. Si vero non esset debitor et interrogaretur an debitum contraxisset, theologi dicunt quod respondere posset illud non contraxisse, si solutionem factam probare nequiret; tunc quippe (aiunt) subintelligeretur restrictio: *Non contraxi debitum quod tenear solvere.* Idem dicunt de haerede qui bona absconderit ne cogeretur solvere debita ultra vires haereditatis, et de illo qui bonis cessit et aliquid stricte sibi necessarium absconderit; quatenus scilicet negare posset se aliquid abscondisse, subintelligendo restrictionem: *de quo creditoribus satisfacere tenear.* Praxis (*n.* 2899 *et* 2905).

b) De reo in iudicio criminali, non obstante quod sit auctor facti aut indicia dederit, si coram Deo sit innocens (abstulit v. g. rem alienam iure compensationis vel occidit hominem iure defensionis), dicunt posse (si hoc necessarium sit) factum ipsum vel indicia ipsa negare, subintelligendo restrictionem *de quo puniri debeam* (*l. c.* 2906). Si autem vere sit reus, distinguendum est. Si agatur de poena atrociori (v. g. mortis, carceris perpetui, confiscationis bonorum etc.), tunc probabile est posse negare, subintelligendo restrictionem: *ad tibi manifestandum* (non enim supponi potest quod lex adeo dura vere subsistat). Si autem agatur de poena mitiori, certe reus interrogatus tenetur fateri veritatem in iudicio ecclesiastico; secus (uti videtur et apud nos) in civili. Cf. Praxis (*n.* 2908).

c) Advocatus repraesentat reum (si reum defendat); et proinde quae de reo dicta sunt, de illius advocato etiam dici debent.

d) Testes in materia civili et ut plurimum etiam in criminali, iuramento se obligant ad dicendam veritatem integram et nihil aliud quam veritatem. Si itaque affirmarent falsum, aut negarent verum, aut (dicendo se nescire aut non reminisci) sive in toto sive in parte reticerent quod sciunt, nedum mentirentur, sed etiam periurarent. Nihil autem refert sive contra reum, sive in illius favorem, falsos aut reticentes se constituerent.

Testes respondere debent iuxta sensum interrogationis. Nisi autem iudex illos expresse interrogaret tamquam testes famae publicae, aut dicti alieni, aut propriae persuasionis, interrogari censentur tamquam testes oculares, nempe de visu aut auditu proprio immediato. Praxis *n.* 2912-2913.

3946. *Testis vocatus ad testimonium ferendum de facto quod reapse vidit (v. g. Titium occidisse Caium), aut de debito quod reapse se praesente contractum fuit, possetne testari se nihil vidisse et nihil scire ; eo quod ex una parte auctor facti coram Deo non deliquerit, vel qui debitum contraxit postea ab illo in conscientia liber evaserit; et ex alia, si affirmaret (propter impossibilitatem vel difficultatem caetera probandi) imputatus, vel pro debito citatus, iniustam sententiam subiturus foret?* Id etiam concedunt theologi passim cum S. Lig. (*III* 159); sed, meo sensu, non bene ; nisi forte iudex praecise de delicto, aut de debito hic et nunc perseverante, interrogaret. Iudices enim in huiusmodi casibus duas quaestiones bene distinctas instituere solent ; scilicet 1° an constet v. g. Titium esse auctorem facti ; 2° an constet de facti ipsius imputabilitate (et, in casu debiti, 1° an constet debitum fuisse contractum ; 2° an constet debitum fuisse solutum). Dum autem testes interrogantur de facto, et factum subsistat ; iam sine falsitate et periurio factum non vidisse (dum viderunt) dicere nequirent. A fortiori, si ageretur de facto legitime punibili propter culpam iuridicam (v. g. de damno allato ab animali non custodito), etsi culpa theologica prorsus defuisset, veritas absque ulla ambage dicenda esset. Lehmkuhl (*I* 821).

3947. *A testimonio sincere ferendo excusatne grave et notabile incommodum, ita ut scilicet tunc testis interrogatus dicere possit se nihil scire?* Codex poenalis (*A.* 215) dicit, testem excusari si, veritatem manifestando, expositurus esset se ipsum, aut aliquem suum proximum coniunctum, gravi nocumento in

libertate vel honore; quando scilicet (v. g. propter complicitatem) carcerem vel infamiam ipse, vel eius coniunctus, inevitabiliter subiturus esset. Codex autem procedurae poenalis (*A.* 286-287) statuit quod imputati ascendentes, descendentes, fratres, sorores, patrui, avunculi, nepotes, affines in iisdem gradibus, maritus, uxor, filius sive adoptivus sive naturalis recognitus, et parens qui adoptavit vel recognovit; hi omnes nullo modo testes esse possunt; nisi forte crimen contra aliquem de familia perpetratum fuisset, et testes extranei haberi nequirent; quo casu dictae personae testari quidem possent, sed non tenerentur.

3948. *Si testi opponerentur ab adversariis defectus ad debilitandum eius testimonium, deberetne illos fateri, si a iudice de illis interrogaretur?* Respondet Lugo (*XXXIX* 16): « Si ex « obiectis nulla constet testis turpitudo, v. g. quod sit consan« guineus, quod sit inimicus inimicitia non turpi, et similia, « debere eos defectus fateri; secus, si turpitudo testis in iis « contineatur ». Imo addit: « Et hoc, licet de iis infamia la« boret »; quod tamen ultimum non sine mica salis admitti posse dicerem.

3949. *A testimonio sincere ferendo excusatne secretum?* Supponendo semper quod iudicis interrogatio iuridice facta fuerit, secretum naturale et promissum (etsi iuratum) non excusat. Bene vero (intellige nisi notitia sive prius sive postea aliunde quoque habita fuerit, et circa illam versetur interrogatio) excusat secretum commissum; idque verum est non solum si ex necessitate, sed etiam si ex mera confidentia sub pacto silentii communicatum fuerit. Codex proced. poenalis apud nos (*A.* 288) prohibet ne advocati, procuratores, medici, chirurgi, pharmacopolae, obstetrices, et quaelibet aliae personae, quibus (ratione status, professionis, vel officii) secreta communinari solent, tamquam testes in rebus sibi revelatis in iudicium vocentur. Unus excipitur casus, nisi scilicet lex denuntiationem expresse exigat, prout statuitur in Cod. poen. (*A.* 493), ubi dicitur quod medicus, chirurgus, obstetrix, aut alius quilibet officialis sanitarius, qui, assistentiam suae professionis alicui personae praestando, indicia delicti contra vitam animadverterit, ad denuntiationem tenetur, excepto tamen casu in quo persona ipsa esset rea, et proinde denuntiatio illam processui poenali expositura foret.

3950. *Testes tenenturne respondere solum praesidi tribunalis; an vero etiam aliis?* Tenentur respondere etiam imputato eiusque defensoribus, item publico ministerio, iudicibus assesso-

ribus, atque iuratis, necnon parti civili; sed solum si isti licentiam interrogandi expresse petiverint, atque a praeside tribunalis illam obtinuerint. (*Cod. proced. poenal. A.* 305, 492). Contingere potest etiam quod testis testi respondere debeat, si idem praeses ad testium compositionem (*it. confronto*) deveniendum esse iusserit.

3951. *Testis qui in damnum imputati vel citati falsum deposuit, aut verum reticuit, ad quid tenetur?*

I. Si mala fide falsum deposuit, tenetur ante sententiam et tempestive se retractare (quod fieri potest absque poena; *cf. Cod. poen. A.* 216 *et proced. poen. A.* 313). Si vero retractationem tempestive non fecisset, tunc ad damnorum reparationem ex iustitia obligatus esset.

II. Si mala fide verum reticuit, dicendo se nescire, se non vidisse etc. (dum scit et vidit); tunc casus iste duobus modis valde diversis contingere potest. Primus est si neget se fuisse praesentem, aut nihil omnino de ea re scire. Secundus est si dicat se fuisse praesentem, et, dum revera vidit factum totum, dicat se vidisse solum partem, ex quo sequatur quod innocens condemnetur. Me explico. Testis vidit imputatum occidisse Titium; sed vidit etiam occisionem istam evenisse ex necessitate defensionis. Interrogatus de occisione, respondet affirmative. Interrogatus an occisio evenerit ex defensione, respondet necessitatem defensionis minime vidisse. Nonne perinde esset ac si de homicidio voluntario testimonium positivum emisisset? Si itaque hoc secundo modo verum reticuisset; tunc ad damnorum reparationem teneretur, ut supra. Si autem solum primo modo verum reticuisset, tunc nec pro nec contra quidquam dixisset, et perinde esset ac si vocatus ad testimonium ferendum non comparuisset. Sic contra charitatem quidem peccare potuisset, et certe peccasset graviter contra iuramentum et contra iustitiam legalem atque obedientiam legitimo iudici debitam; sed contra iustitiam commutativam minime deliquisset, et proinde ad damnorum reparationem non teneretur. Ita theologi communiter cum S. Lig. (*IV* 270).

III. Si bona fide falsum deposuisset (aut verum dicto secundo modo reticuisset), atque errorem commissum (prout practice accidere potest si deprehenderet se interrogationem male intellexisse) ante sententiam adverteret; tunc theologi cum Lugo (*XXXIX* 24) communiter sentiuut, errorem ipsum ex iustitia et sub poena reparationis damnorum esse corrigendum. Imo Lugo (*l. c.* 30) docet, testem ex iustitia se melius explicare debere,

si forte adverteret quod iudex responsum suum perperam intellexisset.

3952. *Quid de peritis, v. g. medicis, architectis etc., qui in causis sive criminalibus sive civilibus saepe advocantur, ut de rebus ad suam professionem spectantibus sub iuramento iudicium ferant?* Isti testibus aequiparantur (*Cod proc. poen. A.* 310); et proinde quae de testibus dicta sunt, de peritis quoque dici debent.

3953. *Quid de iuratis?* Hi interrogationibus, quas in fine discussionis Praeses tribunalis eis dirigit, responsum iuxta conscientiam, seu iuxta propriam intimam convictionem, dare debent (*Cod. proced. poen. A.* 498). Ad hoc autem ex iuramento (*A.* 487), et ex gravissimo praecepto legis naturalis et civilis, tenentur. Debent itaque 1° discussioni toti attentionem praestare diligenter; 2° Sensum interrogationis bene considerare, et, si aliquid non satis intelligant, explicationem petere; speciatim vero distinguere quando de solo facto, et quando de reatu, et quando de circumstantiis sive aggravantibus sive attenuantibus interrogantur; 3° Attendere quod non petitur ab eis quid dicendum sit praecise ex allegatis et probatis; bene vero quid dicendum sit iuxta propriam intimam convictionem, quae forte in aliis iustis rationibus vel notitiis fundari posset; 4° In dubio schedulam albam vel nihil significantem (quae tamen tamquam reo favorabilis consideraretur) dare possent. (*A* 504).

Sed iam de Decalogo satis.

CAPUT XIII.

DE MANDATIS ECCLESIAE.

Loquor solum de illis mandatis, quae in catechismis ad populi usum indicantur. Imo, quum de auditione Missae iam egerim *n. 2863 et seqq.*, hic de reliquis tantummodo agam.

ARTICULUS I.

DE ABSTINENTIA A CARNIBUS DIEBUS VETITIS SINE OBLIGATIONE IEIUNII.

3954. ***Q. I. Quid veniat nomine carnis?*** R. Distinctio inter carnem et piscem est notissima. De quibusdam animalibus, an veniant nomine carnis, potest esse dubium theoretice, sed vix unquam practice; standum enim est communi christifidelium

sensui; et, si quando opiniones hinc inde probabiles subsisterent, comedere liceret. Piscibus accenseri solent ranae, lumaces, testudines, ostrea, cammari. De fulicis, lustris, castoribus variae, pro variis locis, esse videntur consuetudines. Certe mergi, anates et querquedulae carnibus adnumerantur.

3955. *Carne interdicta, interdiciturne etiam ius* (it. *brodo*) *ex carne*; *item sanguis et medulla?* Affirmative.

3956. *Vetanturne quoque condimenta ex larido et sagimine?* Affirmative, nisi consuetudine permittantur vel indulto. Indultum apud nos dari solet, cum quibusdam exceptionibus. Laridum autem et sagimen, quod in indulto permittitur, non ita pridem intelligebatur suinum tantummodo: sed hodie ex responso S. Inquis. (1. *Maii* 1889) intelligitur sagimen cuiuslibet animalis, v. g. caponis etc. Concessis tamen sagimine et larido (it. *strutto e lardo*), adhiberi etiam posse aliqui censent (in eodem condimento) illa minutissima frustula, quae in ipso larido trito et liquefacto immixta remanent, dummodo fuerit purum.

3957. ***Q. II. Circa dies extra ieiunium, in quibus carnes vetitae sunt, estne aliquid notandum?*** Notandum quod alicubi (v. g. in Hispania) sabbatum ad hac lege excluditur. In Belgio autem facultas comedendi carnem in sabbato conceditur quidem cuilibet, sed oportet ut expresse petatur. Sic obtenta ad totam familiam, ad famulos, ad operarios, ad amicos et hospites ex mera benevolentia (non vero ex stipendio, prout in cauponis) ad mensam receptos, extendi potest. Attamen facultas illuc est solum territorialis; unde qui illam obtinuit, si forte alibi peregrinetur, ubi privilegium non viget, eâ uti nequit. Ita Gury (*Cas. consc. I* 493).

3958. ***Q. III. Quid de gradu culpae in violatione huius legis?*** R. Culpa *per se* est mortalis. Attamen (secluso scandalo) evadere potest venialis ex parvitate materiae. Loquendo de carne, Sporer (*De Ieiun. n.* 11) dicit: « Non damnarem peccati « mortalis eum qui absque ulla necessitate, etiam ex mera le- « vitate, curiositate vel gulositate, die ieiunii modicum frustil- « lum carnis, v. g. instar nucis communis, mediam avicu- « lam, vel quid simile (*unica vice*) devoraret ». Quoad offas autem non carne sed solo iure carnis aut sagimine (deficiente indulto) conditas, quantitas paullo maior ad materiam gravem constituendam exigitur. Gousset (*I* 301) sentit, unicam offam ordinariam (it. *una sola menestra*) semel in die sumptam materiam gravem (intellige, ut dixi, secluso scandalo) non constituere. Id tamen apud nos pro peccato mor-

tali haberetur, nisi aliqua alia circumstantia culpam imminueret. Advertendum est enim quod, stante etiam materia gravi, culpa evadere potest venialis propter aliquam aliam circumstantiam, quae non a toto sed a tanto excusaret, maxime si materia esset quidem gravis sed in infimo gradu. Exempla dabo paullo infra.

3959. ***Q. IV. Quaenam causae ab hac lege excusent vel eximent?*** Causae supremae sunt sequentes.

I. Carentia habitualis et continua usus rationis.

II. Consuetudo legitima. Circa consuetudines notari debet quod regulam principalissimam efformant, et magna adesse potest diversitas inter locum et locum. Oportet autem ut consuetudo vere legitima sit, quatenus absque ullo scrupulo et scandalo etiam a personis timoratae conscientiae epulae vetitae sumantur; secus enim non de consuetudine, bene vero de corruptela ageretur, prout accidit in quibusdam locis, in quibus die Veneris et sabbati carnes comeduntur, et (in obsequium legis!!) piscis quoque manducatur.

III. Grave incommodum. Deficiente scilicet consuetudine, quae aliquam personarum classem generatim et indistincte a lege eximat, videndum an grave et extraordinarium incommodum in casu particulari adsit, a quo excusatio repeti possit. Incommodum, quod ordinarie ipsam abstinentiam comitatur, utique non excusat; imo nec incommodum leve quod superadditur. Hinc, v. g. paullulum rheumatismi, nonnihil insoliti laboris, expensarum compendium ex avaritia, respectus humanus (scilicet timor alicuius irrisionis vel quid simile levis momenti), periculum ne carnes marcescant (dum pauperibus dari possunt), mala imaginaria, adventus hospitum vigiliam minus libenter servantium etc., haec profecto non excusant. Bene vero excusat incommodum grave (ut dixi) et extraordinarium; excipe nisi motiva ordinis superioris (v. g. si in odium religionis comestio praeciperetur) clamarent ut, non obstante illo incommodo, abstinentia servaretur. Notari potest etiam quod difficilius admittendae erunt excusationes iis in locis, ubi lex abstinentiae religiosissime adhuc ab omnibus observatur, ne lex adeo salubriter vigens paullatim suo robore carere incipiat.

3960. ***Q. V. Quinam itaque (veniendo ad particularia) diebus vetitis carnem manducare possunt?*** Sunt speciatim sequentes:

3961. I. *Pueri* ante septennium completum; et quidem probabiliter, quamvis forte rationis usu pollerent. Attamen in tali casu dare illis carnes non expediret.

3962. II. *Perpetuo amentes,* quamvis forte olim sanae mentis fuissent, ut ait D'Annibale (*I* 191). Idem dic de *semifatuis,* si habitualiter mortalis culpae incapaces sint.

3963. *Sed quid de ebriis? Quid de insanientibus ad breve tempus vel saepe lucida intervalla habentibus?* Istis carnes dare (nisi ad medicinam) non licet; ea enim quae obiter transeunt, hominem adhuc legibus subiectum relinquunt. Per accidens excusaretur quidem ebrius si manducaret; sed qui carnem illi daret nullam excusationem haberet.

3964. III. *Omnes infirmi ex morbo acuto* (*cum febri*). *Convalescentes ex morbo gravi. Infirmi ex morbis lentis quidem, sed iam graviter sanitatem labefactantibus;* prout sunt phthisis; cancer; struma (nempe glandularum inflammatio); clorosis (nempe menstruationis inordinatio, si in tali sit gradu ut ciborum appetentiam valde auferat); diabetes (nempe extraordinaria et habitualis urinae profusio); quidam herpes quem nos dicimus *pellagra;* chronicus stomachi catharrus; extraordinarius sive ex utero, sive ex haemorroidibus, sive ex naribus fluxus sanguinis; ampla et purulenta plaga etc. Notandum tamen quod infirmitates lento gradu procedentes (excepto herpete praedicto) non solent excusare in primis stadiis. Attamen tunc quoque excusant, si aeger ova et lac non toleret (hi enim cibi dolores ventris alvique profluvia in quibusdam individuis producunt).

3965. IV. *Illo die vel tempore quo quis medicinam momentosam sumit semper excusatur;* tunc enim praeter morbum id etiam intervenit quod cibi esuriales sunt difficilioris digestionis et salutarem medicinae efficaciam turbant. Hinc excusantur qui balnea faciunt; qui aquas minerales bibunt; qui tempore verno, herbarum, seri, iodii, aut mercurii curationes faciunt; qui stomachum purgant etc. Idem dic de iis qui seria de causa (v. g. propter phthisim pulmonariam) cauteria habent.

3966. V. *Stomachi debilitate laborantes* adeo ut cibum non appetant, vel cibos esuriales digerere nequeant. Cavendum tamen ab hallucinatione; non raro enim corporali saluti simul et abstinentiae prospici potest, v. g. si oleum coctum aut quaedam piscium et condimentorum species evitentur, vel si lac et ova potius adhiberi queant, quae pene sicut carnes nutriunt; duo enim ova saltem tribus bonae carnis unciis aequivalent, ut ait Capellmann (*Med. past. C. III*).

3967. VI. *Interdum foeminae gravidae aut lactantes,* si nempe valde debiles sint cibosque esuriales non tolerent. Istae aliquando excusantur quamvis perfecta sanitate fruantur: gravidae

enim interdum vissimae, persistenti et quasi invincibili carnis cupiditati subiiciuntur; et tunc abstinentia gravibus sanitatis perturbationibus aut etiam seriis morbis occasionem dare posset. Nutrices autem aliquando carnibus indigent propter puerum infirmum; lac enim ex carnibus multo melior est; ex cibis autem esurialibus (quamvis forte abundans esset) valde minus nutriret, ex eoque puer infirmus optimo nutrimento indigens non satis aleretur.

3968. VII. *Pauperes mendicantes* (si ex vera indigentia mendicent et misere vivant) manducare possunt carnem si forte illam in eleemosynam accipiant. Ita rotunde Gury (*n.* 487) et bene. Idem dicerem de pauperibus misere viventibus, quamvis prae verecundia non mendicent, si forte iusculum vel reliquiae carnis eis misericorditer tradantur. Aliqui limitant: nisi aliud habeant. Sed, quamvis consuetis frustulis aut alio miserrimo cibo non careant, nunquid obligari debebunt, ut illud boni nutrimenti pusillum (quo fere nunquam vesci possunt) marcescere sinant vel canibus proiiciant? Ecclesia misericordiam habet pauperum, eiusque leges adeo durae esse nequeunt. Imo etiam credo Ecclesiam non exigere ut investigetur an carnes in eleemosynam acceptae reservari possint ad alios dies (nisi forte ageretur de illis reservandis a vespere ad mane), aut an potius pueris non adhuc septennibus ex toto tradi queant. Porro cum pauperibus, qui famem patiuntur, et sorte prospera bonum cibum in manibus habent, non subtiliter, neque in toto rigore procedi debet. *Cf. Salm.* (*XXIII, II* 132).

3969. *Quid si agatur de personis non equidem mendicantibus neque aliquid in eleemosynam accipientibus, sed nihilominus vere pauperibus et misere viventibus?* R. Hi etiam, quibusdam concurrentibus circumstantiis, a peccato mortali et forte etiam veniali excusari possunt. Exempla. Sempronius pauper agricola multos conduxit operarios, et oleum non habens sagimen vetitum adhibet ut cibos illis coquat. Gury (*Cas. consc. I.* 480). — Caius lanionis operarius, quum die Mercurii aut Iovis carnes deterioris qualitatis pro mercede ei tradantur, ut plurimum die Veneris illas comedit; secus enim in complexu (nempe toto anno considerato) magnum damnum subiret; quum huiusmodi carnes neque recusare, neque facile vendere, neque totaliter ante diem Veneris consumere, neque ad diem dominicum reservare possit. — Livius miserrimus operarius, quum insolito casu die Veneris carnes diei praecedentis ei remanserint, neque pueros septennio minores habeat, ne marcescant illas comedit.

— Miser coriarius ex cutibus pelliculam interiorem abradit, iusque ex illa comparatum familiae suae (proportionata fame laboranti) tradit. — Alicubi pauperes operarii in sabbato ius extorum (*brodo di trippa*) ad coenam adhibent. *Frassinetti* (*Not.* 91).

Caeterum nec paupertas nec miseria sufficit (nisi praedictae aliaeve speciales circumstantiae superaddantur) ut excusatio habeatur. Pauperes nempe et miserrimi quique abstinentiae legem ordinarie observare debent sub gravi. Nec obstat quod laborent et solum panem, salem et allium habeant; ad hoc enim sunt assueti, et pro mortali culpa haberent si legem Ecclesiae non observarent. Gousset (308) excusat a mortali pauperes, si panem furfurosum dumtaxat habentes, illum cum frustulo laridi comederent. Sed sapienter monet Scavini (*I* 390), habenas hoc in puncto non esse solvendas, nisi loci consuetudo (prout alicubi contingit v. g. propter periculum febrium) iam manifeste id permitteret. Tali itaque consuetudine seclusâ, sententia Goussettii admitti potest solum pro casu exceptionali; si nempe aliquis pauper operarius tantae inediae non esset assuetus, unde (nisi laridum superadderet) sufficienter se nutrire nequiret.

3970. VIII. *Excusantur filii, uxores, cognatae, famuli etc*, *si paterfamilias solis cibis vetitis mensam communem parare velit.* Si ageretur de aliqua vice dumtaxat, forsan sat commode refectionem sufficientem ex cibis esurialibus sibi comparare possent, et ad hoc tenerentur. Sed, si agatur de consuetudine, nec cibos licitos (patremfamilias rogando) obtinere queant, carnem manducare poterunt; tunc enim practice in morali impotentia observandi praeceptum versantur; maxime si paterfamilias severe et obstinate exigat ut uxor et filii secum manducent. Equidem quoad famulos et ancillas notant theologi quod aliud servitium quaerere deberent: sed haec obligatio non facile subsistit; si enim in illa domo bene se habeant, valde grave esse solet mutationum periculis se exponere. Sententia itaque servitium mutandi praecipitari non debet, speciatim si agatur de ancilla iuveni, quae ubi famulatur propriam honestatem in tuto habeat, maxime vero si bono spirituali familiae utilis esset. Cf. Frassinetti (*not.* 91). Haec omnia confirmantur ex responso S. Poenitentiariae (apud Scavini *I* 404 3° *et* 6°) sequentis tenoris: « Posse personis, quae sunt in potestate patrisfamilias, cui « facta est legitima facultas edendis carnes, permitti uti cibis « patrifamilias indultis; adiecta conditione de non permiscendis « licitis atque interdictis epulis, et de unica comestione in die, iis

« qui ieiunare tenentur.... Ratio permissionis, de qua in quae-
« situ, (*N. B.*) non est indultum patrisfamilias; sed impotentia,
« in qua versantur filiifamilias observandi praeceptum ».

De famulis et operariis inter haereticos dixit Croix (*n.* 1337) posse eis permitti carnes, dummodo scandalum (quatenus interveniret) tollant, dicendo sibi hoc per Ecclesiam licere in tali circumstantia.

Certe tamen convictores (it. *dozzinanti*) aliam domum quaerere deberent.

3971. IX. *Excusantur quidam operarii* addicti laboribus adeo duris, vel cibi appetentiam ita auferentibus, ut carnibus omnino indigeant, si iam ex consuetudine quoque pateat eos excusari. Hinc scripsit Gury (*Cas. consc.* 482, 483): « Indulgen-
« dum erit iis qui in officinis vitreis vel ferreis, aut in fodinis
« metallicis, carbonariis et similibus vitam degunt.... Item qui
« itinera (*pedestria*) longa et difficillima, praesertim hyemali
« tempore, peragunt. Item qui currus publicos diu noctuque
« plurimis continuis diebus dirigunt, quibus vix tempus bucel-
« lam unam vel alteram festinanter deglutiendi suppetit ».

3972. Hinc (prout sentit etiam medicus catholicus et doctissimus a me consultus) excusabis eos quoque qui duobus circiter mensibus continuis, quando aestatis calores magis ebulliunt et tanta virium reficiendarum necessitas adest, circa machinas triturantes improba defatigatione laborant (*i macchinisti delle trebbiatrici*), speciatim si nocte quoque laborent et somnum necessarium explere nequeant. Sicque decernendum est non solum propter huiusmodi incommoda gravissima et alicubi propter febrium periculum, quod magis instat nisi alimenta substantiosa adhibeantur: sed etiam quia apud agricolas ex solis cibis esurialibus male ut plurimum alerentur; prandia enim, quae ex cibis esurialibus sufficientem refectionem praebeant, agricolis nostris et speciatim miseris montanis ignota et saepe (propter piscis aut pecuniae defectum) impossibilia esse solent. His itaque operariis (alioquin rusticorum more vesci non assuetis) rotunde dicerem: *Manducate quae apponuntur vobis;* nec scrupulum ingererem, si carnes expresse peterent, aut si familiae rector tantae defatigationis intuitu (maxime si piscis recens deficeret) sponte sua carnes eis suppeditaret; aut demum si quis ex his operariis, propter robur extraordinarium vel minorem laborem, cibi substantiosi necessitatem non haberet, et nihilominus (ne familiis incommodum praebeat) mensae communi cum suis sociis assideret. Notari etiam potest quod saepissime ignoratur hora in qua

refectiones locum habiturae sint; unde decurrente nocte ante diem Veneris, agricolae nescirent ex quibus cibis coena paranda sit. Praeterea ubinam pisces illa nocte?

3973. Secus (hucusque apud nos, et seclusa dispensatione, quae facile expediret) dicendum est de agricolis circa machinam ad eos divertentem collaborantibus; quatenus familiae rector cibos vetitos eis suppeditare nequit: ipsi enim uno dumtaxat vel altero die (aut certe solum paucis diebus propter reciprocam operum restitutionem) sic laborant; et aliunde consuetudo legitima eis adhuc (ut suppono) non favet. Si tamen ex solis cibis vetitis mensa eis pararetur, manducare possent; idque maxime si hoc acciderit (ut supra innuebam) ex credulitate quod machina intra diem Iovis adventura esset, dum reapse advenerit post mediam noctem, incaepto iam die Veneris; eos enim tunc temporis gravissimis laboribus fractos bonaque refectione adeo indigentes cogere ut appositum cibum non tangant et solo aut fere solo pane vescantur, id duritiem (a qua benigna mater Ecclesia abhorret) saperet.

Idem dic (praescindendo etiam a casu dictae machinae) de quibuslibet operariis, quibus solae epulae vetitae suppeditarentur, si passim talis casus eis accideret, vel si tota die laborarent, epulasque licitas non facile (v. g. propter gravem timorem offendendi et amittendi dominum sibi valde utilem), aut non sufficienter, obtinere possent.

3974. *Quid de illis foeminis, quae aliqua servitia in hac vel illa domo praestant, si cibi vetiti eis suppeditentur?* R. Excusantur certe si frequenter in tali casu versentur, vel si (domi propriae), ratione paupertatis, aliis cibis se suamque familiam alere nequeant. Excusantur etiam si diem totam aut fere totam in his servitiis (ab una ad aliam domam continue transeundo) insumant; tunc enim dictis operariis aequiparari debent; et ordinarie cibos appositos manducare possunt, ne (difficultates in medium apponendo) servitia amittant. Si vero nonnullis horis dumtaxat in alienis domibus morentur, tunc difficilius excusantur. Ut plurimum enim pane et vino famem (qua forte urgeantur) expellere poterunt, reliquosque cibos domum deferre pueris tradendos vel ad sequentes dies servandos. Si tamen in domo aliena prandere cogerentur (maxime si non pro casu raro, sed habitualiter); tunc non erunt inquietandae si cibos vetitos comedant. Aliquae dicunt: Solum iusculum (*la sola menestra*) sumpsi. Haec excusatio non est spernenda; si enim hoc sine causa factum quibusdam theologis leve visum fuit (ut dixi

n. 2953 *q. III*), cum causa (quamvis non adeo gravi) ad nihil reduci potest.

3975. *Quid de agricolis triticum vel similia ad herum deferentibus, si forte ex solis cibis vetitis mensa eis pararetur?* R. Si ciborum recusatio magnam et acrem superbi domini correctionem, non sine gravi eius indignatione, importaret (vel de hoc periculum esset); tunc excusarentur. Seclusa hac hypothesi, iterum distinguendum est. Si casum non praevidissent, facile comedere possent; si nempe, v. g. fere ieiuni a domo discessissent, valde laborassent, longum iter peregissent etc.; idque speciatim tempore aestivo, quod vires debilitat et in quo miseri agricolae gravissimis laboribus subiiciuntur. Si vero casum praevidissent, domi suae comedere debuissent; unde tunc excusari nequirent; et idem dic si a propria domo parum distarent, ubi sufficientem refectionem facere possent.

3976. *Utrum in locis ubi iam fere universalis est inobservantia abstinentiae a carnibus, pro illis qui qualibet de causa frequenter sunt in casu comedendi apud alios, potestne fieri regula generalis, et dici: Domi vestrae rervate abstinentiam; sed apud alios* (*secluso contemptu et scandalo*) *manducate quae apponuntur vobis?* Videtur affirmandum. Ratio est quia (supposita talis casus frequentia) iam, recusando, nimio incommodo subiicerentur.

3977. X. *Milites*, excusantur certe, si cibis quos gubernium eis praestat, nutriantur. Sed quid de aliis? Gury (*Cas. Consc. I* 484) eos dumtaxat excusat qui ratione necessitatis (seu propter stipendii exiguitatem) coguntur mensam communem facere cum sociis qui abstinentiam observare nolunt. Sed Gousset (*n.* 313) dicit, consuetudinem hoc etiam in casu esse attendendam; et, si forte milites et officiales alicubi communiter existiment, a lege abstinentiae (donec sub armis versantur) se esse exemptos, reprobandi non erunt et absolvi poterunt.

Miles tamen qui, acceptâ licentiâ, domi suae degeret, certe non excusaretur.

3978. XI. *Viatores* aliquando excusari poterunt; si nempe propter itineris defatigationem cibo valde indigeant, et praeter cibos vetitos nihil aut fere nihil in cauponis reperiant, neque alibi divertere queant. Dixi *aliquando;* qui enim bonam habet voluntatem legem Ecclesiae observandi, raro in necessitate illam infringendi versabitur. Viator, si cibos esuriales serio et instanter petat, maxime si frequenter ad eandem (et in hunc finem magis aptam) cauponam divertat, illos ordinarie obtinebit; cau-

pones enim adventoribus satisfacere cupiunt. Praeterea, si viator altioris conditionis non sit (*cf. Croix n.* 1323), nonne offa (*it. menestra*) ex ovis confecta, panis, vinum, caseus et fructus sufficere poterunt? Insuper pisces exsiccati nonne praesto sunt ubique? Ut plurimum igitur non cibus sed voluntas deest, et non de necessitate sed de gulositate, aut saltem de inani respectu humano, agitur; et sic, ut dixi, viatores solum aliquando excusari possunt. Cf. Gury (*Cas. consc. I* 481, 485).

3979. XII. *Coqui* certe excusantur, si epulas (ut cognoscant an bene conditae aut coctae sint) degustent. Sporer (*De Ieiun. n.* 11) eos quoque recte excusat, qui, ad excitandum infirmorum appetitum, cibum coram ipsis avide praegustant, et dicunt: Quam bonus est! Comede, comede!

3980. XIII. *Invitati ad prandium.* Istos quoque excusarem si praeter expectationem prandium ex vetitis epulis paratum inveniant. (Intellige 1° nisi in odium religionis id factum fuerit; 2° nisi invitatus manducando grave scandalum ingerat, prout contingere posset in Sacerdote etc.; 3° nisi, propter confidentiam cum domino, aliae epulae peti possint). Porro discedere, aut toti prandio assistere nihil aut solum panem comedendo, ex una parte virtutem pene heroicam exigeret, et ex alia notabilem turbationem, imo ut plurimum inimicitiam, provocaret.

3981. XIV. *Si bona fide condimenta vetita adhibita fuissent, et ante prandium error detegeretur.* Quando agitur de solis condimentis, causa minor excusat, et in facti specie causa sufficiens practice adest.

3982. *Sed quid si totum prandium ex cibis vetitis paratum fuisset, aut die Iovis coena ex carnibus instructa fuisset, et dum omnes mensae assident, detegeretur in primo casu esse vigiliam de praecepto, et in secundo mediam noctem iam elapsam fuisse?* R. Ex gradu incommodi et difficultatis casus resolvi debet. Vide an mensa parata fuerit pro uno vel altero, an vero pro multis; an de personis plebeis, an vero nobilibus agatur; an modus et tempus epulas licitas parandi adsit vel non adsit etc. Supposita autem difficultate notabili (quae in tali casu vix locum non habebit), dispensatio praesumi poterit. Dicerem tamen, observandam esse legem meliori modo possibili, atque, attenta conditione personarum, contingere posse quod solum iusculum *it. minestra* (praetermissa carne) licite praeberi valeat.

3983. XV. *Eximuntur denique qui ab Ecclesia dispensationem obtinuerunt.* Haec raro (v. g. tempore pestis vel occasione magni concursus profesto etc. qua de re vide Appendicem in

fine huius vol.) toti populo, et frequentius personis particularibus conceditur. Hac in re notanda sunt sequentia:

1° Facultas dispensandi ad Romanum Pontificem, attamen ex privilegio etiam ad Praelatos Regulares quoad suos subditos, spectat. Episcopi dispensare possunt ex delegatione S. Sedis in dicto casu magni concursus; atque etiam pro interim in casu sive gravissimo et urgentissimo, sive solum pro personis particularibus. Parochi autem ordinarie solum declarant an causa sit vel non sit sufficienter excusans. Interdum tamen (ex consuetudine) ipsi quoque dispensare possunt; sed tantummodo cum hoc vel illo parochiano atque pro aliquo die seu ad tempus, ad modum videlicet simplicis licentiae. Gury (*Cas. cons. I* 109).

2° Qui propter aliquam ex causis supra recensitis ab abstinentia excusatur, dispensatione non indiget; quae ideo expostulatur sive ad maiorem conscientiae tranquillitatem, sive pro causa aliquantulum minori; causa enim, quae ad excusandum non sufficeret, ad dispensationem impetrandam sufficere potest. Pontifex sine causa posset quidem dispensare valide, sed non licite; unde semper rationabile motivum exigit; quod ordinarie est sanitas habitualiter male firma, et speciatim habitualis stomachi debilitas.

3° Supplex libellus ad Congregationem S. Officii dirigi debet. Ordinarie exigitur Curiae localis testimonium circa facultates postulantis. Expensae, ut plurimum, 20 aut 25 francos non excedunt; sed haec taxa diminutioni vel augmento subiici potest, si forte orator sit pauper aut ditissimus.

4° Rescriptum, ut plurimum, sic prostat: « Remittimus « preces prudenti arbitrio et conscientiae Domini Ordinarii, qui « dispensare valeat Oratorem, ut carnibus vesci possit diebus « ab Ecclesia vetitis ob male affectam valetudinem, eaque du« rante, exhibita prius fide iurata medici, de consilio confessa« rii, remoto scandalo, et salva ieiunii lege ». Si itaque causa motiva (secus de impulsiva) sit falsa, dispensatio non valet; eaque cessante, dispensatio cessat. In dubio utrum causa cessaverit, dispensatio perdurat; dispensatus enim liber est suaque libertate frui potest donec de ligaminis reviviscentia non constet. Dicit insuper S. Lig. (*I* 196) dispensationem perdurare, quamvis causa valde diminuta fuerit. Caeterum non facile credendum est, causam cessasse, quamvis habitualis infirmitas evanuisse videatur; si enim bonum nutrimentum subtraheretur, forte recrudesceret. Theologi quaestionem (pene inutilem) agitant circa

casum, in quo Pontifex non posuisset clausulam: *eaque (causa) durante;* et postulant an tunc, cessante causa, dispensatio cesset? Plurimi affirmant; aliqui vero negant. Vide Salmant. (*De Leg. V* 91), Diana (*III, II* 74) aliosque apud Croix (*III, II* 1309).

5° Dispensatio extenditur etiam ad carnes non salubres (nempe suinas), nisi expresse excipiantur, quod hodie fieri non solet. Scavini (*I* 391).

6° Promiscuitas carnium et piscium iis, quibus esus carnium indulgetur diebus veneris et sabbati per annum, quando scilicet non sunt dies ieiunii, permittitur, ut constat ex responso S. Poenit. apud Acta (*I pag.* 429, 10). Secus si esset dies ieiunii, tunc enim praedicta promiscuitas nunquam et nemini permittitur, ut infra videbimus.

7° Dispensatio ad carnes, non implicat dispensationem a ieiunio; ut patet ex Bulla *In suprema* Bened. XIV et ex rescriptis. Dispensati itaque diebus ieiunii carnibus quidem uti possunt, sed in prandio solum; quandoquidem de caetero ieiunantibus se conformare debent; dummodo nulla certa et periculosa infirmioris valetudinis ratio intercedat, quae aliter fieri necessario exigat, ut in eadem Bulla legitur.

8° Dispensati comedere quidem possunt carnes, sed a scandalo cavere debent; ut ex iure naturae et ex rescriptis patet.

9° Divitibus vix unquam conceditur ut dispensationem obtentam extendere possint ad totam familiam, maxime vero ad famulos. Haec facultas obtineri potest (sed non faciliter) ab iis quibus exiguum suppetit patrimonium; dummodo speciales Episcopi litterae id testentur. Qui itaque solum pro se dispensationem petiit et obtinuit; non ideo potest, propter avaritiam aut expensarum compendium, unicam mensam facere et cibos vetitos familiae quoque praebere; ut diserte respondit S. Poenitentiaria apud Scavini (*I* 404, 2). Qui sic faceret, peccatum mortale non effugeret, nisi stricta necessitate excusaretur. Familia tamen, si nihil aliud ei daretur, ratione necessitatis (non vero ratione dispensationis) excusaretur, ut supra dixi.

3984. ***Q. VI. Quid de familiaribus, famulis, et cauponibus, qui cibos vetitos aliis (neque excusatis neque dispensatis) parant et praebent?***

R. Uxores et filiae, si maritus aut pater iubeat ut cibos vetitos parent, debent prius (si fructum sperent) procurare ut a malo proposito desistat; idque maxime si ageretur de matre erga filium. At vero si hoc obtinere nequeant gravemque discor-

diam reluctando pertimescant, obtemperare poterunt. Famuli autem facilius excusantur; si enim reluctarent aut difficultates in medium adducerent, ordinarie nihil proficerent et expulsionem sibi procurarent.

Quoad caupones (*osti e locandieri*), magna distinctio fieri debet inter locum et locum. Ubi communissime leges Ecclesiae observantur (et speciatim si illuc oenopolium unicum adesset) vix unquam cauponibus licebit suppeditare cibos vetitos iis, qui evidenter nullam excusationem habent: imo erga illos etiam, qui certe aut probabiliter licite carnibus vescuntur, caute procedere tenentur, ne scandalum sequatur; unde (si fieri possit) taliter comedentibus mensam in cubiculo separato parare debent. A fortiori haec omnia servanda essent si de ospitio religioso (pro peregrinantibus ad Sanctuarium vel confluentibus ad aliquod festum) ageretur. Neque profecto blasphemiis aliquorum cibos vetitos inique exigentium attendendum foret. Ubi autem ecclesiasticae abstinentiae violatio iam obvia evaserit (multo magis ubi catholici cum haereticis permixti degunt), et speciatim si insuper plura oenopolia in loco adessent: omnino excusantur caupones si carnes quibuslibet eas petentibus suppeditent; illas enim denegando nihil proficerent et adventores amitterent. Imo probati auctores docent, mensam communem (*tavola rotonda*) cibis tum licitis tum vetitis instrui posse, ut unusquisque quod vult sumat. Certe tamen peccarent 1° Si refectionem petentibus nec ciborum qualitatem designantibus, illico solos cibos illicitos apponerent; 2° Si praeviderent fore ut cibi esuriales petantur, illosque tempestive non emerent; 3° Si erga illos, qui huiusmodi cibos esuriales expostulant, benevolos non se ostenderent; et, quamvis possent cibos ipsos sat facile et sufficienter comparare, tamen abnuerent, ut ex cibis vetitis, quos in caupona habeant, mensam instruant. Cf. Gousset (*I* 305), Scavini (*I* 271), Gury (*Cas. consc. I* 486).

ARTICULUS II.

DE IEIUNIO ECCLESIASTICO.

3985. Ieiunium consistit in servandis regulis ab Ecclesia statutis 1° *circa quantitatem alimentorum*; 2° *circa horam refectionis*; 3° *circa ciborum qualitatem.* Non omnes ieiunare tenentur. Qui tamen a ieiunio excusantur, liberi quidem sunt circa duo priora; non vero circa tertium. Singula evolvam, et

(perspicuitatis gratia) agam prius de ieiunantibus et postea de non ieiunantibus.

PUNCTUM I.

De ieiunantibus.

§ I.

De quantitate alimentorum.

Agendum est de quantitate alimentorum quoad prandium, quoad coenam, et quoad crustulum theologicum.

3986. ***Quid de quantitate alimentorum in prandio?***

Quoad *prandium* (quod a theologis *unica refectio* appellari solet), ciborum quantitati lex ecclesiastica (secus dicendum de naturali ob virtutem temperantiae) mensuram non assignat.

3987. *Quid de prandii duratione?* Ecclesia optat quidem ut solum quantum satis est ad famem satiandam prandium duret; sed sub praecepto id non ponit. Nisi itaque prandium praecise ad legem eludendam praeter morem protrahatur, scrupuli non sunt iniiciendi. Theologi benignissime loquuntur, et permittunt duas horas, et etiam plus, iuxta locorum consuetudines aliasque circumstantias. Cf. S. Lig. (*I* 1020), et Gousset (*I* 295).

3988. *Quid de prandii interruptione?* Consuetae confabulationes inter epulam et epulam prandium non interrumpunt. Idem dic si quis surrexerit a mensa, animo non amplius comedendi, et statim (v. g. novo ferculo adveniente), mutata intentione, ad comedendum redeat. Idem dic etiam si quis paullisper a mensa discedat, cito rediturus; brevis enim interruptio moralem comestionis unitatem non destruit. Si autem interruptio sit adeo notabilis, ut prandium in duabus vicibus peractum dici debeat; tunc refectio non erit unica, sed duplex; et haec ab Ecclesia interdicitur. Attamen si quis, iusta de causa (prout potest contingere parocho, medico, mercatori etc.), prandium sic interrumperet, illud postea (quamvis forte duae, tres, aut etiam plures horae praeterierint) complere poterit, si prius sufficienter non se refecerit. Cf. Croix (*III*, *II* 1279), S. Lig. (*III* 1020), Gury (*n.* 506) etc. Qui autem sine iusta causa, nempe propter motivum nimis leve, prandium eodem modo interrumperet, cum intentione illud postea continuandi, utique peccaret. Attamen tunc quoque peccatum mortale non adesse crediderim,

si prima refectio famem non expulisset, et secunda prandium non iam sumptuosum sed ordinarium compleret, ita ut in his duabus vicibus non plus cibi sumeretur quam in prandio ordinario et sufficienti ad famem depellendam sumptum fuisset; idque maxime si intervallum unam horam non excessisset, ut ait Gury (*l. c.*). Qui enim ex una parte non plus nutrimenti sumit, quam sumpsisset si regulariter ieiunasset, et ex alia ieiunii pondus a mane usque ad meridiem sustinuit, non videtur quod graviter contra ieiunii legem delinquere queat.

3989. ***Quid de quantitate alimentorum quoad coenam?***

Quoad *coenam* ciborum quantitati mensura ponitur. Non itaque coena sed coenula (quam theologi *collatiunculam serotinam* vocant) permittitur; eaque ab illis etiam, qui sat commode ab ipsa abstinerent, peragi potest; hodie enim haec permissio non ex incommodo (quod secus sustinendum esset), sed ex consuetudine oritur.

Circa ciborum quantitatem, quae in coenula permittitur, suprema regula a praxi timoratorum sumi debet; quae, iuxta diversa loca, varia esse potest. Ex sententiis etiam theologorum regulae satis tutae sumi poterunt. Hi sequentes tres regulas suppeditant.

3990. **Regula I.** *Octo unciae cibi sumi possunt ab omnibus.* S. Lig. (*III* 1025) rotunde dicit: « Quantitas octo unciarum ita « hodie usu recepta est, ut indistincte permittatur, etiam illis « qui cum illa ad satietatem reficiuntur »; hasque octo uncias theologi passim permittunt, quamvis diversarum regionum staterae plus vel minus discrepent; unusquisque enim iuxta proprii loci stateram loquebatur. Caeterum octo unciae ordinarie (sicut apud nos) 240 gr. circiter aequivalent. Haec mensura aliquantulum augetur pro regionibus septentrionalibus; unde scribit Gury (*Cas. cons. I* 463): « Decem uncias permitti posse « Germanis » (1); idque quia ex una parte frigus maiorem famem excitat, et ex alia vinum et cibi illuc minorem substantiam habent minusque nutriunt; unde scripsit Sporer (*App. ad* 3 *praec. III* 26): « Mittant (theologi Italici) Germanis suum « calidum coelum, cibum et vina pinguia, et ieiunabimus cum « ipsis ».

(1) Intellige uncias italicas, non germanicas. Theologi enim Germanici (ut Sporer *n. 27*) octo dumtaxat uncias connationalibus suis concedunt; sed octo unciae germanicae (iuxta stateram illuc, saltem non ita pridem, communem) nostris decem quasi aequivalent, quum ad 280 gr. ascendant.

3991. Notat Tamburini (*VI* 13) non esse necessarium quod statera adhibeatur, ut hae unciae praecise et scrupulose serventur; sed sufficere quod verisimiliter existimetur, cibum huic ponderi circiter aequivalere.

3992. Ego autem censeo quod ista octo unciarum regula valeat quidem quoad panem, pisces, et fructus exsiccatos; non vero quoad poma, cucumeres, pepones, uvam recentem, herbam (*insalata*), oryzam cum aqua ebullitam, aliosque cibos qui multum aquei humoris continent, quique proinde valde minorem substantiam habent, et, quamvis pro momento satient, postea magnam debilitatem relinquunt. Quoad huiusmodi cibos, octo unciarum pondus non illos sic et simpliciter, sed quod in ipsis est substantiae alimentum dandi capacis, respicere debet; secus offam ex unica uncia panis cum libra aquae ebulliti sumere non liceret; quod (ut notat Gury *n.* 501) omnino repugnat.

3993. *Quid igitur dicendum de pane sic cum aqua ebullito* (*it. pancotto*)*?* Theologi communiter dicunt quod, quamvis octo unciae ex pane, oleo et sale absque ebullitione cum aqua sumi possint; ebullitione secuta, eas amplius sumere non licet; sed solum quinque panis uncias, aqua, oleo et sale non computatis; vel si haec computentur, duodecim unciae permitti possunt, quia ebullitio efficit ut offa maius nutrimentum praebeat. Cf. Viva (*Prop.* 31 *Alex. VII* 12) et Escobar etc. Sed Capellmann (*Med. past. C. II in fin.*) hanc rationem recise impugnat inquiens: « Panem « ex decoctione cum aqua immutationem chymicam inire plane « non negatur. Haec vero immutatio consideranda est quasi « initium digestionis, quia non differt ab ea immutatione, quae « initio digestionis efficitur. Inde vero materia alimentaris nullo « prorsus modo augescit ». Addit, satietatis quidem sensum (cito evanescentem) esse paullo maiorem, sed nutrimentum esse prorsus aequale, sive panis cum aqua coquatur, sive panis et aqua seorsim sumantur. Sic quoque senserunt plures theologi antiqui (v. g. Bossius, Leander, Pasqualigus), qui proinde panem quidem, oleum et salem; non vero aquam (quamvis ebullitam) ponderari debere existimarunt. Vide etiam Sporer (*l. c.* 31) et Potestas (*n.* 2889).

3994. **Regula II.** *Coenula quartae parti ciborum quos ieiunans in iusto prandio sumpsit, aequivalere potest.* Equidem non facile est quod prandium 32 cibi uncias (etiam diebus ieiunii) excedat; sed, si quis, v. g. propter status sumptuositatem vel extraordinarium appetitum, 40 cibi uncias in prandio sumere

soleret, utique 10 uncias in coenula sumere posset. De hac antiquissima regula, vide Ballerini (*Not.* 6 *ad n.* 497 *edit. IV*).

3995. **Regula III.** *Non unciis sed necessitati est attendendum; unde aliquod augmentum, necessitate excusatum, ieiunium non destruit.* Profecto hic maiori, ille minori nutrimento indiget. Ratione temperamenti, aetatis, sexus, assuefactionis, laboris et occupationis sive materialis sive mentalis, magnae differentiae inter individuum et individuum, casum et casum, intercedere possunt; et certe unicuique licebit tantam cibi quantitatem sumere, quanta exigitur ut proprii status officia adimplere possit. Differentia quoque fieri potest inter Quadragesimam et vigilias infra annum; ieiunium enim quadragesimale (utpote longum et continuum) difficilius sustinetur, et ex hoc ipso coenula paullo abundantior aliquibus permitti valet. Ita Gousset (*I* 297), cum quo S. Lig. (*n.* 1025) quasi omnino cohaeret. Laymann (*IV VIII, I*, 9) scripsit quod « causa augendi coenulam esse potest « corporis teneritudo vel assuefactio, qua ratione interdum « personis nobilioribus plus permitti potest; vel occupatio diu- « turna, qua ratione assiduis litterarum studiosis plus conce- « ditur ». Haec verissima sunt. Qui tamen necessitate compulsus quantitatem in primis duabus regulis indicatam *valde* excederet; non quidem peccaret; sed (N. B.) non ieiunaret. Mortificatio quidem, sed non ieiunium (in sensu Ecclesiae) tunc locum habere posset.

3996. Denique circa coenulam notandum, valde diffusam esse consuetudinem, notabiliter illam augendi in vigilia Nativitatis Domini. Alicubi nonnihil augmenti usuvenit in Coena Domini, et in vigiliis Paschatis et Pentecostes. Vide S. Lig. (*n.* 1024, 1025).

3997. ***Quid de crustulo theologico?*** Circa *crustulum theologicum,* quod mane sumi solet, Gury (*n* 492) dicit: « Totalis « cibi illius quantitas duarum unciarum pondus excedere non « deberet ». Sed apud nos praxis timoratorum est, ut solum panis uncia cum dimidio (si cafaeo intingatur) sumi possit. Et, si de potione chocolati ageretur, tunc chocolatum (non adhuc aquae infusum) simul cum pane ponderari deberet; ita ut uncia cum dimidio non superetur. Haec doctrina traditur a S. Lig. (*n.* 1023) et confirmatur, quia, proposito dubio: An permitti possit, ut mane diebus ieiunii in parva quantitate sumatur cafaeum aut cocholatum cum frustulo panis, ut fit in regione Canadensi? S. Poenitentiaria (21 *Nov.* 1845) respondit: eos qui talem usum sequuntur non esse inquietandos. Gury (*Cas. cons.*

n. 465) dicit, non licere hunc usum introducere ubi non est. Optime. Illi tamen, qui sine huius crustuli praesidio ieiunium tolerare nequirent, illud sumere nedum possent sed deberent, etiam ubi consuetudo non adesset; et confessarii tunc male mererentur de ieiunio si crustulum istud interdicerent, ut rectissime notat Ballerini (*n.* 493 *not.* 6).

3998. ***Ultra has comestiones earumve limites potestne aliquid aliud sumi?*** R. Nihil aliud (nisi iusta causa excuset) sumi potest, quod aliquam substantiam nutritivam habeat, exceptis tantummodo illis potionibus, quae non sunt contra famem, sed contra sitim (ut aqua et vinum); vel ad digestionem adiuvandam (ut *caffè*), aut refrigerationem procurandam (ut aqua ex cedro, *it. limonata*) de se principaliter deserviunt. Gousset (*n.* 303). Neque officit si forte vinum non ad sitim sed ad famem sedandam sumeretur: id enim esset quidem contra ieiunii meritum et finem legis, sed non contra legem. S. Lig. (*n.* 1022) aquam ex cedro concedit etiam congelatam, it. *sorbetto di limone.* Potiones autem, quae contra famem, seu ad nutriendum, communiter adhibentur (ut potio lactis, chocolati etc.), interdicuntur; et cum hac limitatione intelligi debet effatum: *liquida non frangunt.*

§ II.

De hora refectionis.

3999. *Hora refectionis caditne sub praecepto?* Affirmative. Olim prandere non licebat nisi post solis occasum. Deinde statutum fuit tempus medium inter meridiem et occasum. Hodie conceditur, ut circa meridiem refectio peragatur. Imo S. Lig. (*n.* 1016) dicit: « Omnibus licitum est anticipare infra horam « (*ante meridiem*), etiam sine causa ». Plus autem anticipare certe non licet, nisi propter aliquam necessitatem (v. g. propter hospites, negotium, iter suscipiendum etc.). Patet ex responso Benedicti XIV (*apud Acta I pag.* 423 *n. III*). Quaelibet tamen anticipatio (etsi sine causa) probabiliter culpam venialem non excederet; prout dicunt theologi multi apud S. Lig. (*l. c.*). Prandium autem ultra meridiem differre (tunc enim onus ieiunii magis sentiretur) nihil mali esset. *Scavini* (*I* 274).

4000. *Sed quid si quis prandium quidem differret, sed coenulam, v. g. circa meridiem perficeret?* R. Sine causa id non licet (etsi solum sub levi interdicatur); iusta autem subsistente causa,

prorsus licet. Qui itaque ratione officii, negotiorum aut assuefactionis, sub vespere prandere solent, non sunt inquietandi si prius (v. g circa meridiem) refectiunculam, loco coenulae, faciant. Gury (*n.* 505), Gousset (*n.* 350) etc. Idque iam decisum fuit a S. Poenit. (19 *Ian.* 1834) apud Acta (*I*, *pag.* 424).

§ III.

De qualitate alimentorum.

Imprimis distinguendum est inter ieiunium strictum et mitigatum.

4001. *Quando stricti ieiunii obligatio adest, quid tunc de qualitate alimentorum?* Tunc neque sagimen, neque laridum, neque lac, neque butyrum, neque ova, eorumve albumen, neque cibi qui ex his conficiuntur, adhiberi possunt. In Decreto (*Can. VI Dist. IV*) dicitur: « Par est ut quibus diebus (*ieiunii* « *quadragesimalis*) a carne abstinemus, ab omnibus quae se« mentinam carnis trahunt originem ieiunemus; a lacte vide« licet, caseo et ovis ».

4002. *Quid de ieiunio mitigato?* Propter indultum vel consuetudinem potest esse tale diversis modis; scilicet

4003. Interdum adest indultum pro adipe vel butyro, ut nempe adeps vel butyrum in quibusdam ieiunii diebus loco olei adhiberi valeat. Praeter dicta (*n.* 3956), notandum est, usum adipis vel butyri tunc licere non solum in prandio sed etiam in coenula, nisi in indulto posita fuerit restrictio, quod haec condimenta in unica comestione adhiberi possint. Ita declaravit S. Poenitentiaria, apud Acta (*I. pag.* 429). Notandum quod hodie, concesso adipe, butyrum quoque concessum intelligitur (V. App. in fine huius vol.)

4004. Tempore pestis dari solet indultum pro carnibus; et hodie etiam in Quadragesima, quibusdam diebus exceptis. Hoc in puncto notanda sunt sequentia.

4005. 1° Indultum pro carnibus in Quadragesima valet solum pro prandio (quoad ieiunantes). Attamen diebus Dominicis valet etiam pro aliis comestionibus; secluso autem indulto, his diebus non equidem esset ieiunandum, sed cibis esurialibus utendum esset. Cf. Bened. XIV Bull. *Prodiit iamdudum.* An autem tempore pestis indultum concedat usum carnis etiam in coena, ex tenore vel legitima interpretatione indulti ipsius colligendum erit.

4006. 2° Praescindendo a contraria consuetudine (cf. Gousset *n.* 307), promiscuitas carnium cum piscibus, in quadragesima aliisque diebus ieiunii, omnibus districte vetatur. Hoc vetitum in quadragesima extenditur etiam ad dies Dominicos, et tempore quoque pestis urget. Quid si pisces, aut salsurae (vulgo *salse*) ex piscibus, ad modum condimenti adhiberentur? Pisces certe (quales sunt etiam testacea marina *it. cappe, ostriche, telline, patelle, granchi, canolicchi etc.*) ne hoc quidem modo cum carnibus commisceri possunt; et idem dic de pisciculis sale siccatis. S. Poenit. apud Acta (*I.* 428, 12, 13). Salsuras tamen ex piscibus non interdici respondit eadem S. Poenit. (14 *Iun.* 1880) Episcopo Aquae Statiellae, ut fidem facit Ephemeris l'*Avvisatore Eccles.* (*An. III pag.* 121). Quid si quis solo carnis iusculo (*minestra col brodo*) uti vellet et de caetero pisces comedere? Vetitae promiscuitatis legem non infringeret. Sic etiam nihil vetat quominus dispensatus ad ova et lacticinia, cum his cibis (non vero cum carne) pisces immisceat. S. Poenit. (*l. c. pag.* 429, 14 *et pag.* 423 *VI*).

4007. 3° Pro carnium indulto Ecclesiae visitatio singulis hebdomadis iniungi solet. Quum agatur de re quae levis videtur; quum insuper culpa mortalis communi Christifidelium sensu in hoc non deprehendatur, dicendum est (contra aliquos) id sub gravi non praecipi. De vero tamen praecepto non est ambigendum; quandoquidem Congregatio S. Officii indultum concedens de piis quidem operibus consilium, sed de Ecclesiae visitatione praeceptum imponit. Cf. Scavini (*I* 396) et Gury (*Cas. consc. I* 492).

4008. Interdum adest indultum pro lacticiniis, quo nomine non solum lac, caseus et butyrum, sed ova quoque (nisi expresse excipiantur) intelliguntur. Gury (*n.* 504). Hoc etiam indultum datur solum pro prandio. Distinctio tamen fieri debet inter indultum et consuetudinem. Alicubi enim (speciatim in locis montuosis) ex consuetudine permittitur caseus; sed lac et ova interdicta remanent. Alicubi (speciatim in quibusdam Germaniae locis) lac et ova permittuntur etiam in coenula; imo licet quoque mane parum lactis cafaeo infundere. Alicubi demum conceditur quidem omnibus, sive ab Episcopo sive a Parocho, lacticiniis utendi licentia; sed ita ut praesumpta non sufficiat, sed expressa esse debeat. Attamen petitionis defectus gravem culpam non constitueret. Cf. Scavini (*I* 272 *not.* 3 *et* 266), Gury (*n.* 499 *not. b*), Capellmann (*Medic. past. De praec. ieiun.*).

4009. Dicunt theologi quod lacticinia ex lege generali (Cf. *n.* 4001) vetantur in Quadragesima (inclusis diebus Dominicis); non vero in vigiliis aliisque ieiunii diebus extra Quadragesimam. Sit; sed consuetudines locales et indulta leges generales ita immutant, ut in multis locis valde strictius in quibusdam vigiliis quam in ordinariis Quadragesimae diebus ieiunandum sit. Si itaque petas: Quando ieiunandum? Ieiunium talis et talis diei estne strictum? Estne mitigatum? Quo modo mitigatum? Respondendum est: Inspice kalendarium: vide indulta: observa tui loci legitimas consuetudines.

4010. Caeterum, sicut multi a ieiunio excusantur (ut infra videbimus); ita aliqui, salva ieiunii obligatione, lacticiniis vel etiam carnibus vetitis propter iustas causas uti possunt. Hinc qui bonis prandiis sunt assueti, si forte pisces comparare nequirent solisque fere herbis et leguminibus uti cogerentur, ad multos dies sic transigendos adstringi nequirent; unde tunc in Quadragesima identidem usus lacticiniorum aut etiam carnium vetitarum (deficiente indulto) iisdem permitti posset. Scavini (*n.* 391). Casus iste contingere potest speciatim in montanis locis, quando propter nivem accessus ad civitates diu impeditur.

§ IV.

De gradu culpae in violatione ieiunii.

4011. Recolendum quod ieiunium violari potest dupliciter; nempe 1° sumendo cibum ultra comestiones permissas earumque terminos; 2° utendo cibis vetitis in comestionibus permissis.

4012. *Quid de gradu culpae si agatur de cibis esurialibus?* Ex hoc capite ad peccatum mortale constituendum ordinarie quatuor unciae (quae notabile nutrimentum suppeditant) exiguntur et sufficiunt. Gury (*n.* 494). Minus sufficit si de ovis, de lacticiniis; et minus adhuc si de carne agatur; haec enim magis nutriunt. Exiguissimae refectiones levem culpam in se constituunt; sed, si saepius in die repetantur, in materiam gravem coalescere et peccatum mortale constituere possunt; ut patet etiam ex Prop. 29 ab Alex. VII damnata, quae dicebat: « In « die ieiunii qui saepius modicum quid comedit, etsi notabilem « quantitatem in fine comederit, non frangit ieiunium ». Tunc tamen quantitas aliquantulum maior exigitur, si inter comestiunculam et comestiunculam notabilis adsit distantia, ut puta,

si quis frustulum mane et aliud vespertinis horis sumat. Viva (*Prop. cit. VIII*).

4013. *Quid de gradu culpae si adhibeantur cibi vetiti in comestionibus permissis?* Sub mortali lex obligat ad servandam non solum quantitatem, sed etiam qualitatem alimentorum; et quidem ita ut, si carnes et lacticinia vetentur, peccatum mortale non solum in comestione carnis (supposita semper materiae gravitate iuxta dicta *n.* 3958), sed etiam in usu lacticiniorum, reponi debeat. Gury (*n.* 502). Commixtio etiam carnium cum piscibus (quando carnes permittuntur) sub gravi vetatur. *Bened. XIV apud Acta* (*I* 423 *I*).

§ V.

De numero peccatorum in violatione ieiunii.

4014. Videndum est an solum circa quantitatem, an vero etiam circa qualitatem alimentorum, ieiunium violetur. Loquendo de violatione ieiunii circa solam quantitatem, qui post unam plenam refectionem, aliam similem faceret, ieiunium prorsus destrueret; unde iam lege ieiunium servandi amplius obstringi nequiret; et sic, si iterum manducaret, minime peccaret. Culpa itaque ieiunium ita infringentis unica esset.

4015. Loquendo autem de violatione ieiunii etiam circa qualitatem, theologi dicunt, peccata esse plura si carnes aut lacticinia vetita pluries in die sumantur; qui enim carnem prima vice manducavit, adhuc remanet adstrictus lege carnem non manducandi iterum; unde si iterum manducet, iterum peccat.

Id certe verum est si initio diei non fuerit concepta intentio utendi carne in singulis refectionibus; at vero, si quis mane statuisset totaliter frangere illius diei ieiunium, bis quidem peccasset quoad speciem (aliud enim est frangere ieiunium circa alimentorum quantitatem, et aliud circa qualitatem); sed putarem, peccatum esse unicum numero, quia per modum unius id apprehenditur; unde si poenitens in confessione diceret v. g. *Talem vigiliam non observavi, et carnem manducavi* (*it. feci da grasso*), crederem sufficienter se accusasse. Ratio autem quod post primam comestionem abstinere deberet a secunda et tertia, per se non sufficit ut peccatum fiat multiplex, iuxta regulam datam (*n.* 2358). Adde quod plures huiusmodi generis comestiones intercessisse iam subintelligeretur.

PUNCTUM II.

De non ieiunantibus.

4016. Non ieiunantes heic intelliguntur qui, quamvis solis ieiunantium cibis utantur, tamen circa horum ciborum quantitatem ieiunantium regulas servare non tenentur, et proinde quando et quantum volunt manducant. Hi profecto plurimi sunt; multo enim facilius a lege ieiunii, quam a lege abstinentiae a carnibus, Christifideles excusantur.

§ I.

De casibus in quibus ieiunii obligatio non adest.

4017. Magna distinctio fieri debet inter casus, in quibus Christifideles a ieiunio eximuntur vel excusantur totaliter, ita ut ne vigiliarum quidem occurrentium infra annum ieiunium servare teneantur; et casus in quibus partialiter dumtaxat (v. g. a solo Quadragesimae, exceptis quibusdam diebus, ieiunio) excusentur. Excusatio totalis difficilior est et minorem extensionem habet; partialis vero est facilior latiusque patet.

4018. *Quaenam personae a ieiunio eximuntur vel excusantur totaliter?*

I. *Iuvenes antequam vigesimum primum annum compleverint.* Theologi rationem adducunt, quia iuvenes non solum ut se conservent, sed etiam ut crescant, maiori indigent alimento. Sed haec ratio (quae caeteroquin est fundamentalis) quoad solas vigilias infra annum universaliter non satis concluderet; neque militaret pro iis qui ante XXI annum augmentum perfectum assequuntur, quod in foeminis omnibus accidit. Plena ratio itaque desumitur ex consuetudine, quae universaliter et firmissime (seclusa obligatione speciali ex voto vel professione religiosa) omnes utriusque sexus Christifideles ante annum XXI completum a ieiunii lege eximit.

4019 II. *Senes sexagenarii.* Utique ieiunium speciale incommodum senibus afferre debet. Isti (etsi bonis dentibus non carerent) in prandio cibum abundanter sumere nequeunt; illum enim propter virium calorisque defectum digerere non possent; unde aliis refectionibus indigent; multo magis quia, si mane non ientarent, stomachi debilitas augeretur, et sic in prandio cibi

appetentiam magis magisque amitterent. Adde quod senum robur tantillum atque adeo illusorium est, ut quid minimum sufficiat ut senex deiiciatur, atque irreparabili virium amissioni morbisque facile lethalibus exponatur. Sed hae quoque rationes pro solis vigiliis infra annum non satis efficaces essent, nisi subintraret consuetudo, quae sexagenarios absolute et totaliter a ieiunio excusat. Quod autem haec consuetudo vere subsistat, fatentur theologi. Vide Roncaglia (*De III praec. q. II, II* 4), S. Lig. (*n.* 1036), Gury (*Cas. consc. I* 469), Scavini (*I* 278) etc. Idque videtur iuxta sensum Ecclesiae, quandoquidem Pius V interrogatus an senes sexagenarii, etsi robusti forent, a ieiunio excusentur, respondit excusari; ut dicunt Salmant. (*XXIII, II* 130). Certe haec sententia est tutissima in praxi; passim enim ab auctoribus probatur; et plures censent sufficere quod annus sexagesimus sit incoeptus, ut videre est apud Dianam (*IV, VI R.* 5 *et* 8), Tamburini (*D.* 4° *Ecc. praec. X.* 5), Ballerini, Scavini etc., dicentes quod in favorabilibus annus incoeptus habetur pro completo.

4020. Notandum quod Religiosi et quilibet ieiunia perpetua voverint, iuxta plures, excusantur et ipsi anno sexagesimo (nisi explicite aliud intenderint); in iuvenibus enim pietas, in senibus vero infirmitas praevalet. Potestas (*n.* 2892), et S. Lig. (*III* 1038).

4021. III. *Infirmi supra recensiti n.* 3964 et seq.

4022. IV. *Mulieres gravidae.* Consuetudo est ut a quovis ieiunio excusentur. Sed quid si ieiunarent? R. Si sint debiles, vel faciles ad abortiendum, iamque quintum praegnationis mensem attigerint, graviter peccarent si quadragesimam integram ieiunare vellent. Si tamen unam vel alteram vigiliam ieiunarent, non essent culpandae; imo ad ieiunium tenentur si adhuc incertae sint utrum conceperint; in tali enim dubio consuetudine non excusantur; et aliunde, si foemina sana ieiunet, nullum neque pro se neque pro foetu periculum subit, si in praegnationis initio adhuc sit. Id tamen intellige, nisi ex propria experientia abortus periculum subesse noverit.

4023. V. *Mulieres lactantes.* Istae quoque omnino excusantur: pro duobus enim (nempe pro se et puero) comedere debent; unde et ipsae 1° peccarent si quadragesimam integram ieiunarent; 2° peccarent etiam si lactis inopia laborarent, aut si puer esset infirmus, et nihilominus vigilias infra annum occurrentes ieiunare vellent.

4024. VI. *Milites.* Laboriosis enim exercitiis quotidie subiiciuntur, atque insuper consuetudine excusantur.

4025. VII. *Qui artes graviter laboriosas exercent.* Eugenius IV declaravit quod « artifices laboriosas artes exercitantes et « rustici.... non tenentur ieiunare » (apud S. Lig. *n.* 1042). Idque valet etiam si forte aliquis artifex extraordinario robore praeditus, sat commode ieiunare posset; consuetudo enim hanc exemptionem huiusmodi laborantibus generalem reddidit; unde scripsit Gury (*Cas. consc. I.* 470): « Consuetudo eximit generatim « a ieiunio eos omnes qui huiusmodi artes exercent ». Ex hoc capite excusantur fossores (*i vangatori*); ligna scindentes (*spaccazocchi*), laborantes in fodinis et fusoriis; fabri ferrarii, murarii, lignarii, carpentarii, aerarii, vitrarii, cuprarii; agricolae; operarii apud agricolas; hortulani, sulphur molentes; silicibus vias sternentes; typographi praelum versantes; in fornacibus aut furnis laborantes; laterarii; lapicidae (*scarpellini*); baiuli (*facchini*); remigantes; figuli; tinctores; (si per se ipsos laborent); cannabem purgantes (*canapini*); lanam carminantes; tornatores (*tornitori*); cultros acuentes (*arrotini*); muros dealbantes; templa ornantes (*addobbatori*); coriarii; pistores; laniones (si per se ipsos laborent); cribratores; stabularii; inservientes infirmis in magnis hospitalibus; longum iter, v. g. 20 chilom. pedibus conficientes, quamvis robusti assuetique itineri essent et via bona foret (secus enim minus sufficeret); venatores; pastores gregem ducentes; piscatores; aurigae; epistolas in magnis civitatibus ex publico diribitorio huc illuc deferentes; testarum connectatores; muliones; coqui (si valde laborent); calceos consuentes; pannorum purgatrices (*lavandaie*); fila serica trahentes (*lavoranti nelle filande*); scamna paleâ operculantes; textrices etc.

4026. Hi omnes a ieiunio quidem excusantur, sed oportet ut non iam una vel altera hora dumtaxat, bene vero tota vel fere tota die (seu quantum satis) laborare soleant. Attamen non sunt scrupuli iniiciendi si aliquo die minus laborent aut prorsus otiosi remaneant; quandoquidem, propter laborem antecedentium et subsequentium dierum, necessitas vires reficiendi et conservandi eos satis excusat. Si tamen diu otiosi remaneant, tunc ieiunare debent, nisi ex alio capite excusentur.

4027. Quae dicta sunt de exercentibus artes valde laboriosas, ad alios qui parum defatigantur (v. g. barbitonsores) non sunt extendenda, ut patet ex prop. XXX, XXXI damnatis ab Alex. VII quae dicebant: « Omnes Officiales, qui in Repubblica cor-

« poraliter laborant, sunt excusati obligatione ieiunii, nec debent « se certificare an labor sit compatibilis cum ieiunio ». — « Ex- « cusantur a praecepto ieiunii omnes illi qui iter agunt *equi- « tando,* utcumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, « et etiamsi iter unius diei conficiant ». Sed de his infra (*n.* 4033).

4028. *Quid de eo qui causam ieiunium impedientem sine necessitate apponat*? Theologi recentiores rigidissimi sunt, adeo ut aliqui nequidem concedant ut pia peregrinatio suscipi possit, si propter illam ieiunium servari nequeat. Sed ego distinguendum esse censeo. Si causa consistat in omissione medii, quod suapte natura ad ieiunium servandum adhiberi deberet (ut puta, si vir nobilis piscem aliosve cibos esuriales tempestive ad prandium parandum non emeret), utique tunc contra ieiunii legem delinquitur. Si vero causa consistat in re, quae cum ieiunio accidentalem dumtaxat relationem habeat (ut puta, si quis die ieiunii, solo etiam recreationis fine, iter suscipiat, ad venandum proficiscatur, aut folle ludat); tunc cum Metina aliisque (apud Sanchez *Dec. I, XV* et Croix *III, II* 1334) censeo contra ieiunii legem peccatum non adesse (saltem si raro id fiat, ut dicit Viva Prop. *XXXI* Alex. *VII*), nisi in ipsius legis fraudem labor assumatur. Imo si quis opus pium magnaeque mortificationis ad declinandum ieiunium assumeret, adhuc damnandus non esset. Et sane (ait cl. Ballerini *I.* 110) quis damnabit eum, qui, ne ieiunet, infirmorum peste laborantium servitio per Quadragesimam se dedicaret?

4029. *Quaenam personae non difficiliter excusari possunt a ieiunio, sed non facile totaliter?*

I *Senes ante annum sexagesimum.* Aliquos citius senescere, patet evidenter. Foeminae ordinarie sicut citius adolescunt, ita citius senescunt. Hinc multi censent, foeminas quinquagenarias generatim excusari posse ratione senectutis; imo non deesse sive foeminas sive viros, qui anno quadragesimo vel etiam prius hac de causa excusari queunt. Lessius (*IV, II* 41) Sanchez (*Consil. V, I* 4), Ballerini (*not. ad n.* 509). Quoad foeminas aliqui obiiciunt quod minori cibo indigent, unde commodissime et quin famem patiantur ieiunare possunt. Sed respondendum, id non esse verum generaliter; et in praxi foeminas, quae a ieiunio eximi optant, esse illas quae ieiunando famem patiuntur; quaeque proinde indigent abundantiori aut saltem frequentiori alimento, quod ratione senectutis illis negari non debet. Quum tamen exemptionis a ieiunio ante annum sexagesimum generalis

consuetudo non adsit; hinc a solo gravi incommodo exemptionis ratio peti debet; unde neque foeminas quinquagenarias, neque alios ante annum sexagesimum iam senes, excusarem totaliter; non raro enim vigilias infra annum occurrentes, aut etiam aliquos interpolatos quadragesimae dies (saltem grossiori modo) sat commode ieiunare possunt. Reapse Sanchez, qui theologorum foeminas quinquagenarias excusantium dux est, evidenter non de aliquibus diebus sed de integro Quadragesimae ieiunio loquitur inquiens (*De Matr. VII, XXXII* 17): « Nec ulla illis « *longa* inedia est iniungenda ». Dixi *grossiori modo;* idque declarabitur infra (*Punct. IV*).

4030. II. *Pauperes.* Si famem pati soleant (sive mendicent sive prae verecundia a mendicando abstineant) certe a quovis ieiunio excusantur. Idem dic de iis qui, quamvis famem non patiantur et vulgariter pauperes non dicantur, tamen solo pane (forsan furfuroso) et allio aliisve miserrimis cibis absque offa (*menestra*) vescuntur. Hos ad ieiunium (etsi solum unius diei) cogere duritiem saperet; unde totaliter excusari debent. Si autem, praeter dictos cibos, etiam offam et vinum habeant; tunc (nisi alia incommoda superaddantur) ad vigilias infra annum atque aliquos interpolatos quadragesimae dies; sed non ad totum quadragesimale ieiunium, adstringuntur. Salm. (*n.* 133), Croix (*n.* 1321), Gury (*n.* 507).

4031. III. *Qui, ientando, abundanter vesci sunt assueti.* Servare ieiunium usque ad meridiem specialem et vere extraordinariam difficultatem personis huiusmodi afferre solet. Utique sola gulositas aut aliqua molestia non excusat; sed, si stomachus naturaliter vel propter diuturnam assuefactionem (quamvis initio forte fuerit vitiosa) abundanti ientaculo indigeat; tunc excusatio legitima, saltem quoad longum quadragesimae ieiunium, aderit; quoad alias vero vigilias decidendum erit ex circumstantiis. Ita Tamburini (*X* 29), Croix (*n.* 1324) et Bonacina, qui (*P. ult. n.* 15) scripsit: « Medina ait, magnam difficultatem, « quae ieiunando sentitur, non excusare a ieiunio, nisi etiam « ieiunium sanitati noceat. Sed hoc mihi non probatur, dum « magna difficultas aequivalet magno incommodo ».

4032. IV. *Qui cum sola coenula esuriali noctu somnum capere nequeant;* nec isti ordinem invertere (nempe prandium cum coena commutare) tenentur. Croix (*n.* 1325), Tamburini etc.

4033. V. *Qui in artibus vel officiis non valde quidem (ordinarie) defatigantibus occupantur, sed ita ut ieiunii pondus non semper sat facile sustineant.* Tales sunt, v. g. aurifices; horo-

logiarii; inaurantes; statuarii; pictores; vernice pingentes; pileos conficientes; sartores; barbitonsores; telegraphistae; ex ebano opera conficientes; villici *(fattori)*; mercatores; proxenetae; caupones; viridarii vel horrei vel cellae vinariae custodes; bibliopolae; dulciariorum pistores *(pastellieri; caffettieri)*; venditores; pharmacopolae; medici; famuli; inservientes alicui infirmo; scribae et secretarii; ministri; missionarii; concionatores; confessarii; parochi; cantores; advocati; iudices; professores; magistri; scholarii etc. Quoad istos sumendum est consilium ex circumstantiis. Vide, v. g. an sint robusti, an vero debiles. Vide an die ieiunii ita laborent ut valde defatigentur, prout interdum contingit villicis, mercatoribus, proxenetis, cauponibus, viridiarii vel horrei vel cellae vinariae custodibus, famulis, missionariis etc. Vide an nocte quoque (et maxime pluribus noctibus consecutivis) laborent; prout potest contingere sartoribus, telegraphistis, cauponibus, venditoribus, *caffettieri*, pharmacopolis, medicis, obstetricibus, famulis, missionariis, parochis etc. Vide an prandium ad unam vel alteram horam post meridiem protrahatur (prout contingere solet alicubi quoad omnes artifices et officiales), maxime si de longis diebus aestivis agatur et mane valde diluculo surgant; neque dicas collationem serotinam tunc mane peragi posse; hi enim artifices coenare assueti et post vespertinum laborem cibo indigentes, absque coena somnum male capere poterunt. Vide an, deficiente labore corporis, adsit magnus et diuturnus labor mentis, qui nobiliores cerebri spiritus consumit, cibique restaurationem exposcit; prout contingere potest speciatim professoribus, scholariis etc. (1). Vide an occupatio sit continua per multas horas, et stomachum defatigans; prout potest contingere scribis, secretariis, confessariis, magistris etc. Vide an, inspecto solo labore aliquorum dierum sat facile quidem ieiunium tolerari possit; sed virium extenuatio ex hoc ieiunio proveniens periculum ingeneret ne labores sequentium dierum sustineri nequeant; prout speciatim missio-

---

(1) Marc (*n. 1239*) dicit: « Scholastici excusantur si per quinque saltem « horas studiis necessariis seu a magistris iniunctis vacent ». Magna distinctio fieri debet inter studium serium (mente ad cogitandum valde se applicante) et studium superficiale. Primum valde facilius excusat; quandoquidem (ut doctus medicus dicebat) unica hora studii serii exhaurit vires tantum quantum octo horae laboris corporalis (v. g. fabri vel fossoris). Applicatio mentis atque etiam vita sedentaria morbos nervosos, infirmitates stomachi et vescicae, aliaque incommoda producere solet. Vide Descuret (*Medicina delle pass. C. XVI Maniera di studiare*).

nariis, monialium confessariis, praedicatoribus in Quadragesima (maxime si in fine exercitia spiritualia populo dare debeant) contingere potest. Caeterum, loquendo etiam de eadem arte vel officio, magnae differentiae adesse possunt inter casum et casum. Sic, v. g. concio quadragesimalis, etiam quotidiana, fere nihil erit consideranda si concionator praeparatione non indigeat et in dicendo parum agitetur, aut valde sit robustus. Idem dic de illis professoribus, qui lectionem iam centies repetitam recitant. Secus, si magno studio indigeant, aut valde agitentur debilesque sint etc.

4034. Bona regula erit etiam sequens: Qui, ientando, magnam cibi quantitatem sumere solent (ut supra dixi), a quovis ieiunio, si labor notabilis adiiciatur, facile excusantur. Quoad illos vero, qui simplici et ordinario caphaeo uti solent, distingui debet. A vigiliis infra annum occurrentibus difficile excusabuntur; facile vero (intellige semper si notabiliter et diu quotidie defatigentur) a ieiunio quadragesimali: quatenus illud (saltem partialiter) omittere, aut grossiori quodam modo (de consilio confessarii) servare poterunt.

4035. Aliam regulam optimam tradit etiam Tamburini (*De* 4° *Eccl. praec. X* 15) inquiens, ieiunare non debere illum cui ieiunium « operationes eius ordinarias impedit, ita ut, consueto « suo modo operandi, eas continuare commode cum ieiunio ne« queat. Hinc si scholasticus ex ieiunio capite dolere soleat, vel « quomodocumque cum difficultate studeat; si mulier ex debili« tate ieiunii servitia domus incommode operetur; si vir quili« bet suum officium artemque ieiunando difficulter exerceat, etc.; « ex hoc capite a ieiunando legitime excusabuntur ».

4036. VI. *Complexione et stomacho debiles, quique lentis morbis laborant in gradu remissiori.* Hi de facili a ieiunio quadragesimali (saltem partialiter) excusantur, sed non aeque ab aliis vigiliis, maxime si ovis et lacte vesci queant; nisi tamen eo die hemorragiis aut stomachi perturbationibus subiiciantur. Idem dic de iis qui cibis esurialibus nimis cito satiantur, et post breve tempus stomachum vacuum cum magna molestia et fame sentiunt. Isti enim ad minus aliquid inter refectionem et coenulam sumere poterunt.

4037. VII. *Maritus, qui propter ieiunium uxori suae* (*expresse aut interpretative petenti*) *maxime si illa in periculo incontinentiae versaretur, debitum reddere nequiret.* Porro id contingere quidem potest propter ieiunium quadragesimale, sed non propter simplicem vigiliam. Dantur casus rari, in quibus

etiam uxores propter ieiunium minus aptae evadere possunt et maritis displicere aut etiam in illis suspiciones atque zelothypiam ingerere; sed frequentius accidit quod aliis de causis ad pacem cum viris servandam a ieiunio plus vel minus abstinere coguntur. Sola tamen mariti prohibitio (nisi aliae malae consequentiae superaddantur) non sufficeret; quia magis Deo quam hominibus parendum est.

4038. VIII. *Puellae et viduae maritum quaerentes, si propter ieiunium venustatem ita amissurae essent, ut res huiusmodi matrimonio obstare serio posset.* De isto casu post Sanchez (*De Matr. IX, III* 12) recte sic scribunt Salmant. (*XXIII, II* 127): « Hoc, licet ab aliquibus ieiuniis continuatis excuset, non « tamen ab omnibus; quia semel aut iterum in hebdomada ieiu« nare, notabilem deformitatem causare nequit ».

4039. IX. *Illi, quibus ieiunium spiritualiter, potius quam prosit, obsit; quatenus ieiunando vivissimis carnis tentationibus exponantur.* Theologi censent, causam istam non esse sufficientem ut quis a ieiunio excusetur, quia (dicunt) ageretur de conatu diabolico ut Christifideles a ieiunio avertantur, et non desunt media quibus carnis tentationes superentur. Sed haec dicta non satis convincunt. Ieiunium continuatum fibras ita relaxare potest, ut non iam conatus diabolicus, sed verissimum phaenomenon physicum vehementissimos carnis motus causet; idque magnam individui debilitatem indigitat, quae in foeminis histericis frequens est, atque (praescindendo etiam a tentationibus) sufficit ut diuturni ieiunii obligatio adesse nequeat. Caeterum, si ageretur de persona sana et robusta, utique alia media adhiberi deberent ut tentationes superentur; sed, si haec non sufficerent et lapsus (praeter consuetum) locum haberent; tunc etiam causa sufficiens ieiunium intermittendi non deesset; si enim pericula corporalia aut spiritualia aliena (ut dixi supra *n.* 4037) a ieiunio excusant, cur magnum periculum spirituale proprium excusare non poterit?

§ II.

Qui ratione aetatis, laboris, aut infirmitatis a ieiunio excusantur, ad quid tenentur?

4040. Isti comedere quidem possunt quantum et quoties volunt; sed circa ciborum qualitatem ieiunantibus se conformare debent; unde, si ieiunantes carnibus aut lacticiniis vesci ne-

queant, eiusmodi epulae non ieiunantibus quoque interdictae remanent. Excipe nisi infirmitas (aut labor) talis esset, ut hae quoque epulae necessariae forent. Si tamen lacticinia sufficerent, carnes sumi nequirent.

4041. *Quando ieiunantes lacticiniis aut carnibus ex indulto in prandio uti possunt, tunc licentne semper huiusmodi cibi excusatis a ieiunio ratione aetatis, laboris aut infirmitatis?* Affirmative. Ita (24 *Febr.* 1819 *et* 16 *Mart.* 1882 *apud Acta XIV* 568) declaravit S. Poenitentiaria; quae tamen monuit (27 *Maii* 1863) hanc decisionem non valere pro Regnis Belgii et Hollandiae, ubi, permissis carnibus (feria 2ª, 3ª et 5ª in Quad.) pro unica comestione, in aliis comestionibus quoad non ieiunantes ova dumtaxat permittuntur, nisi ratione infirmitatis carnes quoque eis concedi debeant. Hoc porro et non alio sensu intelligi debet praedicta declaratio, ut constat etiam ex epistola E.mi Barnabò 8 mart. 1864 (apud *Monit. Eccl. V* 1 *pag.* 403).

4042. *Promiscuitas carnium cum piscibus diebus ieiunii vetaturne etiam non ieiunantibus?* Id non ita pridem sub lite erat; sed hodie certum est. Congregationi S Officii propositum fuit dubium, utrum obligatio de non miscendis piscibus cum carne diebus quadragesimae attingat omnes, qui *vi indulti* carnibus vesci possunt; vel solummodo eos, qui ieiunant? S. Congreg. (23 *Iun.* 1875 *apud Acta XV* 144) respondit: Affirmative quoad primam partem; negative quoad secundam. Et S. Poenitentiaria ad quaesitum: Utrum in diebus ieiunii tempore Adventus a Pio VI praescripti, permissis tamen lacticiniis, cui *propter infirmitatem* licitus est usus carnium, interdicta sit promiscuitas carnis et piscium? Die 8 *Ian.* 1834 respondit: Affirmative, nempe non licere eiusmodi promiscuitatem. Consonat aliud decretum Congreg. S. Officii 24 martii 1841 sequentis tenoris: « An lex de non permiscendis licitis et interdictis epulis « eos etiam respiciat, qui ad unicam comestionem non tenen« tur, uti iuvenes antequam tertium compleverint septennium, « aliique rationabiliter ab eadem excusati ob impotentiam vel « laborem? Eminentissimi decreverunt: Non licere ». (*Apud* « *Acta l. c.*).

§ III.

An qui ieiunium totaliter aut perfecte servare nequit, partialiter aut eo modo quo potest illud servare debeat?

4043. R. Haec perfecte ieiunandi impotentia provenire potest 1° ex ieiunii diuturnitate; 2° ex ciborum quantitate; 3° ex ciborum qualitate.

4044 Quoad *ieiunii diuturnitatem:* qui totius Quadragesimae ieiunium sustinere nequit, diebus quibus potest (iuxta prudentis confessarii iudicium) ieiunare tenetur. Si tamen certus esset non posse ieiunare per maiorem Quadragesimae partem, et, dubitando an posset necne quoad reliquam partem, in angustias perplexitatis incideret, tunc certe a toto excusaretur. Cf. Viva (*Pr. LIV Inn. XI n.* 16).

4045. Quoad *ciborum quantitatem:* si leve augmentum sufficiat (v. g. coenula paullo abundantior, aut bucella panis ante meridiem eo quod prandium nimis retardet) tunc ieiunium substantialiter non vitiatur, unde idem augmentum sumi et ieiunium servari debet. Hinc scripsit Sanchez (*Consil. V, I, IV* 3-4): « Confessarius necessitati provideat cum minima legis iactura: « ut si fuerit satis ut horam praeveniat, vel nocturnam refe- « ctiunculam indulgentius faciat, debeat hoc concedere, et non « ex toto ieiunium relaxare ». Si vero leve augmentum non sufficiat, tunc ieiunium substantialiter destruitur; et sic non erit cur taliter indigenti quidquam obligationis quoad ciborum quantitatem remaneat; unde quantum et toties quoties voluerit comedere poterit. Idem dic si quis sive culpabiliter sive inadvertenter duas copiosas refectiones iam fecerit; aut mane abundanter ientaverit, neque a prandio et coena abstinere queat. Haec semper intellige *quoad ciborum quantitatem;* obligatio enim abstinendi a carnibus (vel lacticiniis, si haec quoque vetentur) remanebit. Attamen, si ex indulto vel consuetudine carnes aut lacticinia ieiunantibus in prandio permittantur, iis qui non ieiunant, eiusmodi epulae (iuxta dicta § praeced.) toties quoties comedunt permittuntur, dummodo a ieiunio propter laborem aut infirmitatem, non vero (si quid opinor) si, propter dictas refectiones sive culpabiliter sive inadvertenter factas, excusantur.

4046. Quoad *ciborum qualitatem,* pariter videndum an carnium vel lacticiniorum indigentia talis ac tanta sit, ut iam

substantia ieiunii destruatur. Sic, v. g. qui mane indigeret lacte atque in prandio carnibus, et in coena cum solis cibis esurialibus stare nequiret, ille profecto tanto nutrimento indigeret ut ieiunium pro ipso prorsus evanesceret. Idem dic de eo cui propter seriam infirmitatem, occurrente vigilia, carnes necessariae essent; non enim scrupulose inquirendum foret an carnes pro solo prandio concedi et de caetero ei vetari debeant. Si vero circumstantiae ita sint dispositae ut ciborum vetitorum usus ieiunium substantialiter non vitiet; tunc, iis adhibitis, adhuc ieiunandum erit. Exempla. Titius ieiunii pondus tolerare potest dummodo vetitis lacticiniis in prandio utatur. S. Lig. (*III* 1037 *in fin.*). Caius ieiunium quadragesimale perficere potest dummodo in prandio carnes (supponitur hic quod indultum non adsit) adhibeat. Croix (*III, II* 1325). Sempronius quadragesimam perfecte observare potest, dummodo mane in caphaeo tantillum lactis infundat. Livius propter malefirmam salutem est dispensatus ad carnes; sed, his adhibitis pro unica comestione, de caetero satis commode ieiunare potest. Cf. Bened. XIV (*De Syn. VII, III*) et Acta (*I* 423 *II*).

Quid si tempore pestis aut alterius morbi concessus fuisset usus carnis non solum in prandio, sed etiam in coena? Practice in indultis clare exprimi solet quod Christifideles nedum quoad carnes sed etiam quoad ieiunium dispensantur. Caeterum qui sive ex dispensatione sive ex necessitate posset uti carnibus etiam in coena; iam ex hoc ipso a ieiunio (quod nimis substantialiter vitiatum esset) exemptus esse videretur.

§ IV.

Quid in dubio an ieiunandum vel a carnibus abstinendum sit?

4047. *Quid de dubitantibus utrum hodie sit vigilia de praecepto, vel utrum mediae noctis punctum (a quo vigilia incipit) advenerit, vel utrum annus vigesimus primus completus fuerit?* Inquisitiones discretas (si possint) prius facere debent; sed postea, si forte dubium directe solvere nequeant, propter principium quod in dubio possidet libertas, illud indirecte solvere, et sic ad libitum comedere possent. Ad iudicandum autem an sufficienter inquisitum fuerit, circumstantiae considerandae sunt; maiores enim inquisitiones necessariae essent, v. g. si dubium Quadragesimam respiceret; et minores sufficerent si dubitaretur

an hodie sit vigilia, vel adeps permittatur, quo casu sufficere videtur si apud familiares aut vicinos aliqua inquisitio fiat. In genere loquendo, quo maior est rei gravitas, gradus dubii, facilitas et commoditas inquirendi, eo strictius et diligentius inquirendum est. In quovis casu, vide utrum sic inquisieris ut iuxta sensum communem satis excuseris. Cf. Sanchez (*Dec. I, IX* 25 *X* 5).

4048. *Quid de dubitantibus utrum in hac vigilia adeps, butyrum, aut lacticinia adhiberi queant, et inquisitiones fieri nequirent, vel istae dubium non solverent?* Casus iste est diversus a praecedenti; et videtur standum esse praesumptioni. Adipe scilicet, butyro etc. uti poterunt, si casus in quibus haec vetantur sint rari et exceptionales; quando enim ex indulto vel consuetudine regula generalis sit ut haec liceant, iam possidet libertas, et exceptio probari debet. Si vero casus, in quibus haec interdicuntur, multi essent; tunc (si faciliter cibi stricte esuriales adhiberi possent) a parte tuta stare oporteret. Attamen qui sic in dubio huiusmodi cibis utitur, forte peccat minus eo, qui de prohibitione certus sit; unde de casu simili scripsit S. Augustinus (*De fid. et opere XIX* 35): « Venialiter (*idest excu-* « *sabiliter*) ibì quisque fallitur ». Et, tali dubio subsistente, incommodum minus a quavis culpa excusare potest; aegre enim quis incommoda subit cum periculo ea subeundi frustra.

4049. *Quid de serio dubitantibus quod ieiunium* (*et idem dic de usu ciborum esurialium*) *ipsorum sanitati graviter nocere possit?* Ieiunare non tenentur; non solum enim certitudo, sed etiam periculum sanitati propriae graviter praeiudicandi, a ieiunio excusat. Cavendum tamen ab hallucinatione; et curandum ut dubium prudenter solvatur, maxime si agatur de ieiunio quadragesimali, aut si quis totaliter ab omnibus ieiuniis se eximere velit. Optima dubii solutio habetur ab experimento: nemo tamen adeo experiri tenetur, ut experimentum ipsum periculosum sit; et qui iam in antecessum experientiâ novit ieiunium sibi graviter nocere, denuo experiri non tenetur, nisi conditiones esse mutatas evidenter dignoscat. Bona regula esse potest si medici consilium exquiratur. Oporteret tamen ut medicus vir probus et catholicus esset; si enim esset de illis qui omnes (et maxime istas de abstinentia et ieiunio) Ecclesiae leges odio habent; tunc solius confessarii consilium exquirere melius foret. Verum est quod Benedictus in Bulla *Non ambigimus* exigit utriusque medici consilium; sed hoc statutum fuit tamquam regula servanda in dispensationibus concedendis, non vero tam-

quam necessarium ut hic vel ille a ieiunio naturaliter excusatus iudicari possit; ad huiusmodi enim excusationem quaelibet probabilis ratio sufficit; unde scripsit S. Lig. (*n.* 1033): « Si « quis sibi persuadeat.... ex probabili ratione ieiunium graviter « nociturum, ieiunare non tenetur ». Hinc ne confessarii quidem consilium exigitur absolute; et vir prudens, qui ex ieiunio grave nocumentum timeret, non esset inquietandus si, etiam confessario non interrogato, ieiunium omitteret. Id autem multo facilius concedi debet quoad vigilias infra annum occurrentes; non enim tenentur christifideles sacerdotem quaerere toties quoties, occurrente vigilia, ieiunium eo die tolerare non posse sibi videntur. Cf. Frassinetti (*not.* 91).

Dices: Si non solum certitudo, sed etiam dubium ne ex ieiunio nocumentum suboriatur, sufficit ut quis excusetur; tunc ad quid dispensationes? R. Dispensationes (praeterquam quod maiorem conscientiae tranquillitatem suppeditant) deserviunt pro casibus, in quibus, attenta qualitate nocumenti vel gradu nimis remisso dubii, seclusa dispensatione, excusatio, saltem totalis, non haberetur. Diana (*IV, VI, LXXIII* 2).

4050. *Quid de dubitantibus utrum sexagesimum annum attigerint?* Iuxta plures, adhuc ieiunare tenentur; quia possidet lex. At vero cum mica salis id intelligi debet; huiusmodi quippe senes non raro aequiparandi sunt iis qui dubitant utrum ieiunium ipsorum sanitati grave nocumentum allaturum sit; unde a ieiunio (saltem quadragesimae integrae) ut plurimum excusari poterunt.

4051. *Quid de dubitantibus utrum ratione laboris excusentur?* Responsio est ut supra; si enim, attentis communiter contingentibus aut particularibus circumstantiis, serio et graviter timeri debeat ne ieiunium tali labori coniunctum magnum aliquod praeiudicium allaturum sit; id satis est; quandoquidem Ecclesia neminem magnis periculis exponere intendit.

§ V.

Quid de ieiuniis in uno loco vigentibus et non in alio?

4052. Stante ieiunio huiusmodi, dubia exurgere possunt quoad peregrinos, scilicet illos qui a patria discedunt, quin extra patriam domicilium constituant. Casus autem contingere potest diversis modis; discessus enim contingere potest in fraudem legis (scilicet ex unico motivo evitandi incommodum ieiunii), vel sine

malitia ista. Item ieiunium potest esse in patria et non extra patriam ; vel e converso non in patria sed solum extra patriam; vel denique tam intra quam extra patriam.

4053. *Quid si, absque fraude legis, a patria, ubi ieiunatur, quis migret alibi ubi non ieiunatur?* Si in patria ieiunaretur ex lege generali, et extra patriam ieiunium non servaretur propter religionis diversitatem (eo quod civitas, v. g. ab Ethnicis vel Haereticis habitaretur): id certe nullam excusationem constitueret, nisi Catholici quoque illuc a ieiunio exempti censerentur. Supponendo itaque vel quod ieiunium in patria esset mere particulare, vel quod contra legem generalem extra patriam adesset legitimum privilegium aut legitima consuetudo non ieiunandi ; tunc videndum an discessus a patria ante diem ieiunii, simulque reditus tali die iam elapso; an vero sive discessus sive reditus intra eundem diem accidat. In prima hypothesi nulla difficultas, et peregrinus ad nihil tenetur. In secunda autem, dum ille erit extra patriam, certe neque ieiunare neque a carnibus abstinere obligabitur; dum vero erit in patria, patriae ipsius lege tenebitur, nisi ex recessu iusta ratio se eximendi efformata fuerit. Haec iusta ratio esse posset non solum defatigatio itineris, sed etiam 1° Ieiunium iam fractum extra patriam, rediens enim, ieiunio iam fracto, quomodo eo die ad ieiunandum teneri posset? 2° Praevisio facultatis eo die ieiunium frangendi; contradictionem enim implicat quod, qui scit eo die, propter mox futurum discessum, sibi licitum esse ieiunium frangere, ad ieiunium teneatur. Ille itaque poterit manducare quantum voluerit, in primo casu coenando, et in secundo ientando. Praescindendo autem ab his rationibus, legi patriae suae tenebitur, ut dixi; unde in patria debebit 1° abstinere a carnibus; 2° etiam ieiunare casu quo, unica comestione non adhuc violata, in patriam rediret; contra haec enim ex discessu nulla ratio constitueretur vel constituta fuisset. Ita docent theologi passim.

4054. *Quid si quis a patria, ubi non ieiunatur, migret alibi ubi ieiunatur?* Videndum an ex lege locali, an vero ex lege generali extra patriam ieiunetur. In primo casu ieiunare non tenebitur, quia peregrini ad leges particulares locorum ubi transeunt, non obligantur. Tenebitur e contra in secundo, quia peregrini extra patriam privilegiis patriae frui non possunt. Quod autem dicitur de ieiunio, de aliis quoque abstinentiis et legibus quibuslibet dici debet. Hinc Belgae, qui (propter penuriam ciborum esurialium) ab abstinentia sabbati eximuntur, si extra

patriam degant, a carnibus in sabbato abstinere tenentur. Scavini (*I* 396).

4055. *Quid si quis migraret extra patriam, sed tam in patria quam extra patriam ieiunium servaretur?* Hic (uti patet) non est sermo de ieiunio quod lege Pontificia eodem tempore tam in patria quam extra patriam vigeret (quod utique semper servandum esset); bene vero de ieiuniis vel mere dioecesanis, vel pontificiis quidem sed ita ut diversis diebus in diversis locis vigeant. Si agatur de ieiuniis mere dioecesanis, Gury (*I* 95) censet (contra S. Lig. *I* 156 *in fin.*) peregrinum ad nihil teneri; legibus enim territorialibus dioecesis suae non tenetur quia est extra dioecesim; legibus autem alterius episcopatus pariter non tenetur, quia non est subditus. Si vero ageretur de ieiunio lege Pontificia diversis diebus in diversis locis observando; tunc peregrinus, qui iam ieiunasset in patria sua, alibi quoque ieiunare non teneretur. Hinc Italus, qui in patria ieiunavit in pervigilio S. Petri, non tenetur iterum ieiunare in Gallia, ubi hoc ieiunium ad sabbatum sequens transfertur (*Gury I* 95). Et idem dicerem de Gallo qui in Italia ieiunasset. Ratio est quia qui praecepto iam satisfecit, non tenetur iterum satisfacere.

4056. *Sed quid de discessu in fraudem legis?* Qui ex unico fine evitandi incommodum ieiunii (et idem dic de aliis legibus v. g. sanctificandi aliquod festum etc.) alibi se confert, hodie a theologis communiter excusatur, quia (dicunt) utitur iure suo; et sic docet etiam S. Lig. (*I* 152 *et III* 1046). Attamen, quoad alias leges, fatentur excipi debere casum reservationis et impedimenti clandestinitatis in matrimonio ex decretis Urbani VIII et Clementis V. Haec doctrina probabilitate extrinseca (et quidem magna) certe non caret; sed sensui communi timoratorum Christifidelium cohaerere non videtur, et Benedictus XIV (*De Syn. XIII, IV* 10) tenuit sententiam contrariam, atque subiunxit: « Neque hodie fas esse videtur ab hac sententia recedere », quia scilicet praedicta Decreta non iam de exceptionibus, sed solum de regulae generalis (quod fraus et dolus nemini patrocinari debet) applicatione ad casus particulares, intelligi possunt. Vide etiam De Luca (*De Matr. I* 8).

§ VI.

Quid de dispensatione a ieiunio?

4057. Parochi non solum declarare hunc vel illum a ieiunio excusari; sed vere (in casibus particularibus) dispensare pos-

sunt; idque quamvis facilis ad Episcopum aditus pateret. Sic dicunt passim cum S. Lig. (*n.* 1032), qui subdit, capellanos quoque (scilicet parochorum vicarios) dispensare posse, nisi parochi expresse repugnent.

4058. Possunt etiam dispensare cum suis subditis (et adhuc cum semetipsis) praelati Religiosorum, etiam non supremi, eorumque vicarii. S. Lig. (*l c.*).

4059. Superior qui dubitat an causa adducta ad dispensandum sufficiat, aliquod pium opus ad modum commutationis iniungat; sed de caetero subditum tranquillum relinquat, et non dicat: conscientiae tuae rem hanc remitto.

4060. Confessarii neque dispensandi neque commutandi ullam habent facultatem; ad illos enim pertinet solum iudicáre an poenitens ad ieiunium teneatur, an vero a ieiunando excusetur. Attamen, si poenitens bona fide existimet sufficere si grossiori modo aut partialiter tantummodo ieiunet; tunc confessarius prudentiam adhibeat, et de facili illum in sua bona fide relinquat, ne forte admonitus omnia ieiunia culpabiliter omittat. Ita theologi unanimiter cum S. Lig. (*n.* 1049 *in fin.*).

ARTICULUS III.

DE ANNUA CONFESSIONE.

4061. I. Praeceptum confessionis annuae obligat solum si peccatum mortale commissum fuerit; Christus enim non venialium sed mortalium dumtaxat confessionem praecipit; Ecclesia autem non facit novum praeceptum, sed solum determinat tempus intra quod adimpleri debeat, ne scilicet confessio ultra annum differatur.

4062. II. Hoc praecepto tenentur etiam pueri non adhuc ad Communionem admissi, dummodo tali discretione polleant, ut peccatum mortale committere possint, illudque reapse commiserint.

4063. III. Pro his pueris annus ita computari debet, ut saltem ultra annum a primo peccato mortali commisso confessio non procrastinetur; postea autem annus vel ab ultima confessione, vel a ianuario ad decembrem, vel a paschate ad pascha computari potest; Ecclesia enim circa hoc nihil determinavit; sed dixit solum: « Omnis utriusque sexus fidelis postquam « ad annos discretionis devenerit, omnia sua peccata solus con- « fiteatur fideliter saltem semel in anno » (*Concil. Later. IV Can.* 21).

4064. IV. Haec obligatio est gravis.

4065. V. Qui facit confessionem sacrilegam aut invalidam, praecepto non satisfacit. Cf. S. Lig. (*VI* 662).

ARTICULUS IV.

DE COMMUNIONE PASCHALI.

4066. *Undenam praeceptum communionis paschalis?* Ex dicto Concil. Later., quod post verba supra citata dixit: « su-« scipiens reverenter, ad minus in pascha, eucharistiae sacra-« mentum, nisi forte de proprii sacerdotis consilio ob aliquam « rationabilem causam ab eiusmodi susceptione duxerit absti-« nendum ». Patet etiam ex Trid (*XIII*, *IX*).

4067. *Qui sacrilege communicat satisfacitne praecepto?* Negative. Patet ex prop. LV ab Innoc. XI damn. quae dicebat: « Praecepto communionis annuae satisfit per sacrilegam « Domini manducationem ».

4068. *Ad communionem paschalem quinam tenentur?* Illi omnes qui proprio parocho vel superiore (prout de iure) ad sacram mensam admissi fuerint. Si alicubi non sit mos ut parochi ad primam communionem pueros admittant, tunc pueri communicare debent quando pervenerint ad aetatem, in qua huius sacramenti cognitionem et gustum habeant (*Rit. Rom.*); qua de re iudicium ad parentes et confessarium spectabit, ut dicit Cat. Rom. (*II*, *IV* 61). Benedictus XIV (*De Syn. VII XII*) adhuc melius rem hanc declaravit inquiens: « Non omnis « discretio, quae sufficiens habetur ad se expiandum sacramen-« tali confessione, satis est ad rite percipiendam eucharistiam, « cuius excellentia maiorem exigit in suscipiente iudicii matu-« ritatem, ut debita religione ac reverentia ad eam accedat. « Quo vero aetatis anno eam maturitatem advenisse sit praesu-« mendum, non potest certa regula definiri, cum alii tardius « alii citius perfectum rationis usum rerumque spiritualium « intelligentiam assequantur: id autem intra decimum et deci-« mum quartum aetatis annum communiter evenire, notat « Suarez ».

4069. *Quid si, existente consuetudine ut parochus pueros ad primam communionem admittat, adsint in eius paroecia iuvenes, qui decimum quintum vel decimum sextum annum iam habeant, et adhuc ad sacram mensam non fuerint admissi?* R. Dari potest aliquis casus exceptionalis, in quo pa-

rochus alicui iuveni hanc admissionem ultra quartumdecimum annum differat iusta de causa (v. g. quia nuper ad eius paroeciam devenerit et adhuc convenienti instructione careat, bonusque parochus illum prius instruere velit, veritus ne, sicut accidere solet, postea catechismum derelicturus sit); et, quatenus certe vel probabiliter res ita se habeant, talis iuvenis ad communionem adhuc non tenebitur. Si vero iam certe constet, factum huiusmodi ex mera parochi incuria aut cerebrositate provenire; tunc iuvenis communicare debebit; haec enim parochi incuria aut cerebrositas communionis annuae legem, et ius quod habent fideles sacramentis participandi, destruere nequit. Frassinetti (*I not.* 93). In casu tamen ad Episcopum recurrendum.

4070. *Quid de semifatuis?* Si tam parum intelligant, ut culpae gravis capaces non sint, hac lege non tenentur. D'Annib. (*I* 191). Attamen, si decenter et reverenter accedant, communicare possunt. S. Lig. (*VI* 303).

4071. *Quid de iis qui ex morbo (etsi mortis non periculoso) ieiuni stare nequeant, atque (ut ita dicam) quovis momento ad modum cibi vel potus aliquid sumere indigent?* Praeceptum communionis annuae (utpote divinum) praecepto ieiunii (utpote ecclesiastico) praevalere videtur. Hoc tamen intellige nisi res ita componi posset ut statim post mediam noctem communio fieret, et nisi scandalum subsequeretur. Caeterum (propter magnam dissensionem hoc in puncto apud theologos) de vera obligatione satisfaciendi praecepto paschali in tali casu non satis constaret. Cf. Monit. Eccl. (*V. I pag.* 211).

4072. *Quid de surdis-mutis a nativitate qui in scholis instituti non sint?* De his magna hodie quaestio agitatur, et D'Annibale (*III* 133) sentit solum in morte absolutione sub conditione eos donari posse; quum iam fere certum sit eos omnium rerum supernaturalium ignorantia laborare et fide actuali prorsus incapaces esse, prout Romae (*a.* 1854) senserunt quatuor Cardinales, viginti Episcopi, et plus quam viginti surdorum-mutorum institutores. Attamen ego dicerem (cum Lambert eleemosynario Imp. instituti sordorum-mutorum Parisiis), hos surdos-mutos nedum in morte sed etiam in paschate ad communionem accedere atque admitti posse, dummodo reverenter accedant. Rationes sunt sequentes 1° Ipsi per baptismum fideles sunt et sacramentorum capaces; 2° Sacramentum eucharistiae ad sui validitatem nullum suscipientis actum exposcit; unde antiquitus infantibus quoque administrabatur; 3° Surdi-muti absque ulla irreverentia, imo devote (panem a pane distinguentes), ad sa-

cram mensam accedere solent; 4° Ecclesiae praxis semper fuit ut eucharistia iisdem concederetur; et hodie quoque haec praxis servatur; 5° Surdi-muti cognitionem (quamvis confusam) habent Dei (nempe magni et supremi domini); idque testati sunt plurimi ex ipsis, qui postea in litteris eruditi fuerunt; 6° Bonum a malo distinguunt, et familiari educatione cognoscunt quae fieri et quae evitari debeant; secus a Deo poenas luituri; unde legis quoque aliquam cognitionem habent; 7° Sicut cognoscunt die Veneris et sabati carnes comedi non posse, quia secus Deus offenderetur; ita nil vetat quominus cognoscant in paschate ad sacram mensam esse accedendum. Quae cum ita sint; eccur huius sacramenti et praecepti capaces non erunt? Ita sentiunt S. Lig. (*VI* 303), Laymann (*V, IV, IV* 5), et novissime Roetti (*Dei sordo-muti*). Caeterum (quum hoc etiam in puncto theologi valde discrepent) obligatio poterit etiam non imponi.

4073. *Quid de obsessis a daemone?* A communicandi lege hi certe (seclusa irreverentia) non excipiuntur.

4074. *Intra quale tempus communio annua praecipitur?* Intra quindenam paschalem; sed alicubi maior datur latitudo; ita ut nempe tempus paschale vel totam quadragesimam comprehendat, vel usque ad Pentecosten protrahatur.

Aegroti quoque communicare debent; quatenus parochus iisdem eucharistiam intra quindenam deferre tenetur; ut dicit Rituale. Ex consuetudine tamen (saltem apud nos) praeceptum istud intelligitur dumtaxat de aegrotis ex morbo chronico vel insanabili; non vero de aliis qui post quindenam ad paroeciam se conferre poterunt.

4075. *Quid si confessarius, ob bonum poenitentis, aut necessitatem reparandi prius aliquod scandalum, poenitenti ipsi intra quindenam accedenti absolutionem differret, vel utcumque praeciperet ut solum transacto tempore paschali communicaret?* Confessarius non solum si poenitens non esset satis dispositus, sed etiam sola ratione remedii, ita se gerere posset. Cautissime tamen apud nos (speciatim quoad viros, et maxime in civitatibus) id fiat; maximum enim adesse solet periculum ne poenitens, transacta quindena, de paschate (utinam pro eo solo anno!) amplius non cogitet.

4076. *Qui praevidet, fore ut intra quindenam communicare nequeat, teneturne praevenire?* Negative (attento solo praecepto ecclesiastico communicandi intra quindenam); tempus enim obligationis a prima die quindenae incipit; unde Communio anticipata non esset adimpletiva praecepti, bene vero esset quasi Missa

quae, pro die Dominico, sabato praecedenti audita fuisset. S. Lig. (*VI* 298). Qui itaque sic anticipasset, si postea intra quindenam communicare posset, ad hoc teneretur. Gury (*Cas. cons. I* 455).

4077. *Qui, incoepta iam quindena, praevidet fore ut in fine quindenae communicare nequeat, antequam impedimentum superveniat teneturne praecepto satisfacere?* Affirm.; non secus ac qui praevideret, se non posse die festo audire ultimam Missam, unam ex aliis audire teneretur.

4078. *Differre sine ulla excusatione communionem ultra quindenam (quamvis de unico die ageretur) essetne culpa gravis?* Gury (*Cas. I* 456) id pro certo habet. Idem dic de illis, qui ultima die quindenae ad confessionem quidem accederent: sed ita ut ad absolutionem, et consequenter ad communionem, prorsus atque scienter indispositi essent.

4079. *Qui intra quindenam non communicavit, teneturne postea in paroecia communicare?* De hoc magna quaestio inter theologos agitatur. Sed, communi christifidelium sensui inhaerendo, dici debet quod praeceptum communionis paschalis, quindenâ quoque transactâ, obligare pergit; secus enim 1° Qui infirmitate aliove impedimento detenti intra quindenam non communicaverint, communicare non tenerentur; 2° Parochi morosos inepte sollicitarent ut praecepto satisfaciant; 3° Non perciperetur cur Romae reservatione et excommunicatione mulctentur qui, elapsâ quindenâ, in contumacia perseverant. Attamen obligationem istam non ultra aliquot menses extenderem; postquam enim multum temporis a paschate elapsum fuerit, satisfactio praecepti paschalis non amplius intelligitur; et qui, v. g. sequenti mense decembris communicaturus accederet et diceret se pascha facere, ridiculus evaderet. Equidem multi opinantur quod praeceptum Ecclesiae sit duplex; nempe 1° de communione paschali; 2° de communione annua (in paroecia); sed haec interpretatio non est usu recepta et plures graves theologi illam reiiciunt, ut videre est apud S. Lig. (*VI* 297). Dicendum est potius quod communio annua ad praeceptum divinum pertinet, cui in quavis ecclesia satisfieri potest.

4080. *An sub gravi communio paschalis in propria paroecia fieri debeat?* Affirmative. Plures tamen censent non esse mortale si quis uno vel altero anno alibi communicaret (*Lehmkuhl n.* 1206). Finis huius praecepti est 1° ut pastores saltem semel in anno oves suas agnoscant et sciant quinam satisfaciant et quinam non; 2° ut mutua fidelium eiusdem paroeciae

aedificatio foveatur; 3° ut unusquisque minus subiiciatur tentationi negligendi hoc sacramentum.

4081. *Qui in ecclesia cathedrali communicat satisfacitne praecepto?* Negative; et quidem etsi manu Episcopi eucharistiam reciperet. S. Lig. (*VI* 300).

4082. *Quid de sacerdotibus?* Si Missam celebrent, in propria paroecia communicare non tenentur.

4083. *Quid de famulis monasteriorum?* Communicare possunt in ecclesia monasterii, dummodo 1° actu inserviant et sub religiosorum obedientia vivant; 2° intra monasterii septa (nempe *clausuram*) resideant. Ita Benedictus XIV (*Notif. LV* 7).

4084. *Quid de iis qui intra quindenam ad modum viatici intra propriae paroeciae limites communionem sumpserint?* Non tenentur postea (si convalescant) in ecclesia communicare. Gury (*Cas. I* 553).

4085. *Quid de iis, qui tempore paschali a sua paroecia absunt?* Ad illam redire tenentur ut praecepto satisfaciant, dummodo sat commode possint. Si vero non possint, tunc in alia ecclesia (quam ordinarie ad libitum eligere valent) intra quindenam communicare debent. Communione autem facta, si praeter praevisionem (non adhuc finita quindena) domum redeant, iterum communicare non tenentur. S. Lig. (*n.* 300) et Gury (*Cas.* 454). Vagi autem communicare possunt ubi volunt; nisi alicubi adesset consuetudo ut ipsi et advenae in cathedrali communicare deberent. *Rituale.*

4086. *Qui in paschate sacrilege communicavit, teneturne iterum ad paroeciam se conferre ut rite communicet?* Praecepto quidem non satisfecit (ut dixi) iterumque communicare debet; sed non est necesse ut iterum in paroecia communicet. Gury (*l. c.* 450).

4087. *Quisnam a communione facienda in paroecia dispensare potest?*

Non solum Pontifex et Episcopus, sed etiam parochus concedere potest ut aliquis extra paroeciam communicet. Et notandum quod licentia praesumpta (si facile peti nequeat expresse, vel si utcumque vere praesumi debeat) sufficit. S. Lig. (*l. c.*).

4088 *Quid de illis qui tempore paschali, v. g. apud Religiosos, confessionem faciunt, et dicunt non esse possibile quod in propria paroecia communionem sumant?* R. Si exhortationibus induci nequeant ut humanum respectum vincant et propriam paroeciam adeant vel saltem licentiam a proprio parocho petant; eis permitti debet (intellige apud nos in his miserrimis

temporibus) ut ubi volunt communicent. Licentia, sin minus parochi saltem episcopi, pro casibus huiusmodi praesumi debet; illius enim denegatio non in aedificationem sed in destructionem esset; multas quippe animas in totalem perditionem absque ulla utilitate coniiceret; quandoquidem rigor, qui olim ad legem tuendam deserviebat, hodie legi ipsi iam pene collapsae (intellige apud nos in civitatibus, non vero ruri) nullum fulcrum praestaret. Ita sentiunt Gousset (*II* 226) et Frassinetti (*I not.* 92). Licentia autem multo facilius praesumi posset si quindena iam elapsa fuisset; et adhuc magis si quis bona fide intra quindenam iam alibi communicasset.

ARTICULUS V.

DE DECIMIS SOLVENDIS.

4089. I. Decimarum (seu primitiarum) solutio, ubi sint in usu, sub gravi obligatione cadit.

4090. II. Decimae possunt esse 1° *mere sacramentales et personales,* solvendae scilicet a solis parochianis intuitu sacramentorum quae percipiunt: 2° *Fundiariae sacramentales* seu ecclesiasticae: 3° *Fundiariae dominicales,* seu laicae. Fundiariae afficiunt fundos et solvendae sunt a dominis fundorum. Distinguuntur autem inter sacramentales et laicas, secundum quod *in origine* ecclesiasticae (provenientes scilicet a lege Ecclesiae), aut laicae fuerint.

4091. III. Solvendae sunt in natura, neque sine Ecclesiae consensu possunt in pecunia commutari.

4092. IV. Si decimae, v. g. in tritico, debeantur, Ecclesia nec optimum exigere potest, nec pessimum acceptare tenetur.

4093. *Ad quid tenentur in conscientia Christifideles in Italia occasione legis civilis, quae nuper decimas sacramentales suppressit et dominicales commutationi subiecit?* Hac de re habemus instructionem S. Poenitentiariae (2 *Sept.* 1887), ex qua sequentia transcribo:

« Ordinarii.... fideles edoceant, ius percipiendi decimas Ec-
« clesiae a potestate civili auferri minime potuisse, ideoque
« fideles ad eas solvendas non secus atque antea omnino teneri,
« nec quemquam ab onere et obligatione huiusmodi liberari,
« nisi per solam ecclesiasticam auctoritatem posse ».

« Igitur quo facilius pateat fidelibus via suae consulendi con-
« scientiae, seseque ab onere decimarum solvendarum in perpe-

« tuum liberandi, iidem Ordinarii eos excitabunt, ut ad iustam « decimarum redemptionem, vel etiam, ubi casus ferat, ad ae« quam super illis compositionem admitti petant ». (*Notandum quod compositionis peractae Episcopus nequit dare testimonium in scriptis, nisi forte omnino exigeretur; quo etiam casu generice tantummodo testari posset N. N. nullum debitum habere erga Ecclesiam propter talem vel talem decimam. Hoc tamen intellige, si agatur de illis decimis, quarum commutatio iuridice peti nequit, secus enim dicendum erit ut infra*).

« Qui decimas nec redemerint, nec super illis ullo modo se « composuerint et cathedrali aut quibuscumque aliis ecclesiis « vel personis, quibus legitime debentur, integre persolvere « noluerint, non absolvantur, nisi plena restitutione secuta; « salvis tamen regulis a probatis auctoribus traditis circa illos, « qui inopia aut paupertate laborant ».

4094. *Quum praedicta lex civilis, quoad illas decimas, quae dominicales appellantur, ius tribuat, ut dixi, ad commutationem (sive in canonem pecuniarium cum hypotheca, sive, si debitor ita malit, in schedulam debiti publici), etiam iudicialiter et coactive exigendam, dummodo intra tempus lege concessum petatur, possuntne parochi aliique decimantes huiusmodi commutationem sic exigere?* Propria auctoritate certe nõn possunt, agitur enim de alienatione. Ecclesia tamen ope S. Poenitentiariae concedere solet Episcopis id specialiter petentibus facultatem sequentis tenoris: « Sacra Poenitentiaria, « mature perpensis expositis, Ven. in Christo Episcopo N. facul« tatem communicat, attenta legis coactione, acceptandi com« pensationes, quae loco decimarum assignentur, emissa ab eo « meliori modo quo poterit protestatione, per hanc acceptionem « minime lapsa censenda esse iura Ecclesiae; necnon tole« randi ut per eos quorum interest, iudicialiter agatur contra « decimarum debitores ad effectum de quo in precibus, praevia « generali declaratione per ipsum Ven. Episcopum evulganda, « id fieri ad vitanda maiora mala. In reliquis standum esse « Instructioni diei 2 Sept. 1887. Contrariis quibuscumque non « obstantibus ». Vide supra (*n.* 4093).

4095. *Parochi aut alii ecclesiastici, qui decimis sacramentalibus privati fuerunt, possuntne compensationem illam, quam ipsum Gubernium in quibusdam casibus assignat, acceptare?*

« R. Posse titulo merae compensationis pro damno sibi al« lato, ob impeditam decimarum exactionem, percipere pensio« nes a Gubernio assignatas, facta tamen prius sive ab Ordinario

« in communi, sive a quolibet ex dictis parochis seu ecclesia-
« sticis viris in particulari, protestatione per huiusmodi perce-
« ptionem nullo modo recognosci aut adprobari decimarum abo-
« litionem ». S. Poenit. (*Collect.* 20 *Mart.* 1885).

ARTICULUS VI.

DE NUPTIIS A PRIMA DOMINICA ADVENTUS USQUE AD EPIPHANIAM ET A PRIMA DIE QUADRAGESIMAE USQUE AD OCTAVAM PASCHATIS INTERDICTIS.

4096. *Quo sensu intelligendum est mandatum istud?* Distingui debet inter solemnitates nuptiarum, quae consistunt in benedictione nuptiali, in celebratione Missae *pra sponso et sponsa,* et in solemni traductione sponsae ad domum sponsi cum clamoroso apparatu, solemnibus conviviis etc.; et simplicem matrimonii celebrationem. Dictae solemnitates ita interdicuntur, ut Episcopus dispensare nequeat; simplex autem matrimonii celebratio permittitur; attamen solum iustis de causis ab Episcopo approbandis. Ita S. R. C. (*Decr.* 5275, 14 *Aug.* 1858).

4097. *Quaenam essent hae iustae causae?* 1° Urgente necessitate matrimonium celebrandi in periculo mortis; 2° Ad obtruncandum concubinatum vel meretricium, propitiâ hic et nunc se offerente occasione, et maxime si concubinarii in loco legitimi coniuges reputarentur; 3° Si, differendo matrimonium, periculum adesset ne iniuste impediretur; 4° Si sponsa advertisset se esse ex sponso gravidam, ut scilicet infamia et scandalum evitetur; 5° Denique generatim si ex dilatione matrimonii aliquod grave detrimentum sive spirituale sive temporale oriturum esset. *Baruffaldi* (*Tit. XLI n.* 198).

APPENDIX

in qua recentiora quaedam S. Sedis decreta exponuntur.

De usu adipis ex indulto et de usu butyri diebus vetitis.

4098. La S. C. dell' Inquisizione ha permesso che si possano usare *condimenti di grasso* nei giorni vietati, salvo poche eccezioni, fra cui i tre ultimi giorni della settimana santa.

Essendosi sollevato il dubbio, se sotto la denominazione di *condimento di grasso* si intendano solo i condimenti di lardo e di strutto puramente porcino, oppure grasso di qualunque animale, Monsignor Vescovo di Alessandria ha domandato una soluzione di questo dubbio all'autorità competente, dalla quale ha avuto la seguente risposta:

Ill.mo e R.mo Signore,

In risposta alla pregiata sua del 12 corrente diretta a Monsignor Commissario generale di questa Suprema, partecipo a Vostra Signoria che nella feria IV, 1 maggio 1889, propostosi il quesito se l'espressione *condimenti di grasso,* usata negli indulti per la quaresima e dei condimenti fra l'anno, dovesse intendersi del grasso *di qualunque animale,* gli E.mi Signori Card. Inquisitori generali miei colleghi risposero: *affirmative.*

Le auguro dal Signore ogni bene.

Di vostra Signoria,

Affezionatissimo nel Signore

R. Card. Monaco.

4099. In Congregatione Generali Sanctae Romanae et Universalis Inquisitionis habita feria IV die 13 Maii anni 1896, E.mi atque Rev.mi Domini Cardinales inquisitores generales sequens dubium expediendum susceperunt:

Utrum diebus ieiunio consecratis, in quibus Apostolica venia usus condimentorum ex adipe indulgetur, butyro quoque per modum condimenti uti liceat?

Atque omnibus sedulo perpensis, habitis etiam prae oculis latis antea a S. Sede hac super re decisionibus, decreverunt: *Supplicandum Sanctissimo pro gratia.*

Sequenti vero feria VI die 15 eiusdem mensis Sanctissimus Dominus Noster Leo divina providentia PP. XIII, in audientia R. P. D. Adsessori S. Officii impertita, benigne annuere dignatus est pro gratia, iuxta Em.rum Patrum suffragium.

IOSEPHUS MANCINI
S. Rom. et Univ. Inquisitionis *Not.*

De facultate Episcoporum dispensandi a lege abstinentiae a carnibus diebus vetitis.

Feria IV, die 5 Decemb. 1894.

4100. Cum recenter ad hanc Suprem. Congregationem S. R. et U. Inquisitionis a compluribus Episcopis pervenerint petitiones, quorum omnium una mens erat, abstinentiae legem, de qua valde solliciti sunt, magnis in populorum concursibus aegre admodum ac difficulter variis de causis posse servari et damno potius animarum quam saluti praebere occasionem, Eminentissimi ac Reverendissimi Domini S. E. R. Cardinales contra haereticam pravitatem in universa christiana republica Generales Inquisitores, in plenario comitio dictae feriae IV die 5 Decembris 1894, re integre proposita ac mature perpensa, decreverunt ut infra, scilicet:

Supplicandum Sanctissimo ut Episcopis aliisque locorum Ordinariis concedere dignetur facultatem anticipandi die sibi benevisa atque ob gravissimas causas etiam dispensandi super lege ieiunii et abstinentiae, quando festum sub utroque praecepto servandum Patroni Principalis aut Titularis, vel solemne aliquod festum item magno populorum concursu celebrandum, inciderit in ferias sextas aut sabbata per annum, excepto tempore quadragesimae, diebus quatuor temporum, et vigiliis per annum ieiunio consecratis; atque ut eadem anticipandi, seu etiam gravissimis de causis dispensandi, potestate uti possint pro diebus, quibus nundinae extraordinariae, magno item populorum concursu, habeantur.

Habita autem per R. P. D. Adsessorem S. O. relatione Sanctissimo Domino Nostro Leoni XIII, idem Sanctissimus Dominus praesens decretum ratum habuit et confirmavit ac omnibus et singulis locorum Ordinariis facultatem, de qua agitur, perpetuis futuris temporibus concessit ac attribuit, facta tamen in singulis casibus mentione apostolicae dispensationis.

IOS. MANCINI
S. R. et U. I. N.

Feria IV, die 18 martii 1896.

4101. Post latum fer. IV die 5 Decembris 1894 Supremae huius Congregationis S. O. Decretum, quod incipit *Cum recenter,* quo facultas fit locorum Ordinariis anticipandi in alium diem vel etiam, gravissimis de causis, dispensandi super ieiunii et abstinentiae lege, occasione solemnitatum, in vetitum aliquem diem incidentium, a pluribus locis, circa eiusdem Decreti genuinum sensum, dubia proposita fuere, quae sequuntur :

I. Utrum ad hoc ut Episcopus dispensare valeat ad tramitem dicti Decreti, necesse sit ut festum celebretur semper magno populorum concursu ?

II. Utrum Episcopus dispensare possit quando agitur tantum de festis duplicis praecepti; an etiam quando agitur de alio festo vel de alia catholica solemnitate, ex. g. de centenariis, de peregrinationibus et similibus ?

III. Quomodo sit intelligendus *magnus populorum concursus,* an populorum extraneorum, vel etiam eiusdem civitatis aut loci?

IV. Utrum inter causas gravissimas ob quas Episcopus non solum anticipare, sed etiam dispensare potest, assignari valeat grave periculum quod abstinentia anticipanda non observetur?

V. Utrum in diebus exceptis ieiunio consecratis vetitum sit Episcopis tantum dispensare super abstinentia; vel etiam illam anticipare ?

VI. Utrum ex rationabili causa possit Episcopus committere Parochis ut ipsi assignent diem in quo anticipari debeat abstinentia ?

Quibus dubiis ad examen sedulo vocatis, in Congregatione Generali habita feria IV die 18 Martii 1896, E.mi ac R.mi D.ni Cardinales Inquisitores Generales, praehabito voto DD. Consultorum, respondendum mandarunt :

Ad. I. — Affirmative.

Ad II. — Negative ad primam partem; affirmative ad secundam, modo adsit magnus populorum concursus.

Ad III. — Attentis omnibus intelligi potest etiam de concursu civitatis aut loci, facto verbo cum SS.mo.

Ad IV. — Affirmative, modo periculum sit generale.

Ad V. — Affirmative, scilicet utrumque vetitum est Episcopis.

Ad VI. — Affirmative.

Sequenti vero feria VI die 20 eiusdem mensis, SS.mus D. N. Leo divina providentia Papa XIII, in solita audientia r. p. d. Adsessori impertita, relatas Sibi E.morum Patrum resolutiones benigne adprobare et confirmare dignatus est.

I. Mancini Can. Magnoni
S. R. et U. I. N.

De crematione cadaverum.

4102. « 1. An licitum sit nomen dare societatibus, quibus propositum est promovere usum comburendi hominum cadavera? 2. An licitum sit mandare, ut sua aliorumve cadavera comburantur? — R. Ad 1.um Negative, et si agatur de societatibus massonicae sectae filialibus, incurri poenas contra hanc latas. Ad 2.um Negative. Factaque de his Sanctissimo Nostro Leoni Papae XIII relatione, Sanctitas Sua resolutiones E.rum Patrum approbavit et confirmavit, et locorum Ordinariis communicandas mandavit, ut opportune instruendos curent Christifideles circa detestabilem abusum humana corpora cremandi, utque ab eo gregem sibi concreditum totis viribus deterreant ». S. I. 19 Maii 1886.

De spirituum consultationibus.

4103. S. Poenit 1. Febr. 1882 declaravit assistentiam etiam mere passivam spirituum consultationibus et lusibus illicitam esse ratione scandali et periculi propriae salutis, quae numquam penitus absunt.

De vetita collectione intentionum Missarum pro vendendis libris aut ephemeridibus; et de obligatione tradendi Ordinario intentiones, quibus in fine anni non adhuc satisfactum fuerit.

4104. Vigilanti studio convellendis eradicandisque abusibus Missarum celebrationem spectantibus iugiter incubuit haec S. C., pluraque edidit decreta, quibus omne hac in re damnabile lucrum removeri voluit, piasque testantium voluntates et obstrictam benefactoribus fidem ad amussim servari religioseque custodiri mandavit.

Quapropter ad cohibendam pravam quorumdam licentiam qui *ad ephemerides*, libros aliasque merces facilius cum clero commutanda Missarum ope utebantur, nonnulla constituit, eaque, Pio PP IX fel. rec. approbante, edi et Ordinariis nota fieri curavit ut ab omnibus servarentur. Propositis namque inter alia sequentibus dubiis:

« I. An turpe mercimonium sapiat, ideoque improbanda et « poenis etiam ecclesiasticis, si opus fuerit, coercenda sit ab Epi« scopis eorum bibliopolarum vel mercatorum agendi ratio, qui « adhibitis publicis invitamentis et praemiis, *vel alio quocumque « modo*, Missarum eleemosynas colligunt, et sacerdotibus, quibus « eas celebrandas committunt, non pecuniam sed libros aliasve « merces rependunt?

« II. An haec agendi ratio ideo cohonestari valeat, vel quia, « nulla facta imminutione, tot Missae a memoratis collectoribus « celebrandae committuntur, quot collectis eleemosynis respon- « deant, vel quia per eam pauperibus sacerdotibus eleemosynis « Missarum carentibus subvenitur?

« III. An huiusmodi eleemosynarum collectiones et erogatio- « nes tunc etiam improbandae, et coercendae, ut supra, sint ab « Episcopis, quando lucrum, quod ex mercium cum eleemosynis « permutatione hauritur, non in proprium colligentium commo- « dum, sed in piarum institutionum et bonorum operum usum « vel incrementum impenditur?

« IV. An turpi mercimonio concurrant, ideoque improbandi « atque etiam coercendi, ut supra, sint ii, qui acceptas a fideli- « bus vel locis piis eleemosynas Missarum tradunt bibliopolis, « mercatoribus, *aliisque earum collectoribus*, sive recipiant, sive « non recipiant quidquam ab iisdem praemii nomine?

« V. An turpi mercimonio concurrant, ideoque improbandi et « coercendi, ut supra, sint ii qui a dictis bibliopolis, et merca- « toribus recipiunt pro Missis celebrandis libros aliasve merces, « harum pretio sive imminuto sive integro?

« VI. An liceat Episcopis sine speciali S. Sedis venia ex elee- « mosynis Missarum, quas fideles celebrioribus Sanctuariis tra- « dere solent, aliquid detrahere, ut eorum decori et ornamento « consulatur, quando praesertim ea propriis reditibus careant? »

In peculiari conventu anni 1874 S. C. resolvit:

« Ad I. Affirmative.

« Ad II. Negative.

« Ad III. IV. et V. Affirmative.

« Ad VI. Negative, nisi de consensu oblatorum ».

Sed cum postremis hisce annis constiterit, salutares huiusmodi dispositiones ignorantia aut malitia saepius neglectas fuisse, et abusus hac in re valde lateque invaluisse, E.mi Patres S. C. Tridentini interpretes ac vindices, rebus omnibus in duplici generali conventu mature perpensis, officii sui esse duxerunt, quod pridem decretum erat in memoriam plenamque observantiam denuo apud omnes revocare, et opportuna insuper sanctione munire.

Praesenti itaque decreto statuunt ut in posterum si quis ex sacerdotali ordine contra enunciata decreta deliquerit, suspensioni a divinis S. Sedi reservatae et ipso facto incurrendae abnoxius sit: clericus autem sacerdotio nondum initiatus eidem suspensioni quoad susceptos ordines similiter subiaceat, et inhabilis praeterea fiat ad superiores ordines recipiendos: laici demum excommunicatione latae sententiae Episcopis reservata obstringantur.

4105. Praeterea cum experientia docuerit, mala quae deplorantur ex eo potissimum originem viresque ducere, quod in quorumdam privatorum manus maior Missarum numerus congeritur quam

iusta necessitas exigit, ideo iidem E.mi Patres, inhaerentes dispositionibus a Romanis Pontificibus, ac praesertim ab Urbano VIII et Innocentio XIII in const. *Cum saepe contingat,* alias datis, sub gravi obedientiae praecepto decernunt ac mandant, ut in posterum omnes et singuli ubique locorum beneficiati et administratores piarum causarum *aut utcumque ad Missarum onera implenda obligati,* sive ecclesiastici sive laici, in fine cuiuslibet anni Missarum onera, quae reliqua sunt, et quibus nondum satisfecerint, propriis Ordinariis tradant iuxta modum ab iis definiendum. Ordinarii autem acceptas Missarum intentiones cum adnexo stipendio primum distribuent inter sacerdotes sibi subiectos qui eis indigere noverint: alias deinde aut S. Sedi, aut aliis Ordinariis committent, aut etiam, si velint, sacerdotibus aliarum dioeceseon, dummodo sibi noti sint, omnique exceptione maiores, et legitima documenta edant inter praefixum congruum tempus, quibus de exacta earumdem satisfactione constet.

Denique, revocatis quibuscumque indultis et privilegiis usque nunc concessis quae praesentis decreti dispositionibus utcumque adversentur, S. Congregatio curae et officio singulorum Ordinariorum committit, ut praesens decretum omnibus ecclesiasticis suae iurisdictioni subiectis, aliisque quorum ex praescriptis interest, notum sollicite faciant, ne quis in posterum ignorantiam allegare, aut ab huius decreti observantia se excusare quomodolibet possit: et insuper ut, sive in sacra visitatione sive extra, sedulo vigilent, ne abusus hac in re iterum inolescant.

Facta autem de his omnibus relatione SS.mo D. N. Leoni PP. XIII per infrascriptum S. Congregationis Praefectum, Sanctitas Sua hoc E.morum Patrum decretum ratum habuit, confirmavit atque edi mandavit, contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Datum Romae 25 Maii 1893.

ALOYSIUS *Card. E.pus Sabinensis Praefectus.*

L. SALVATI *Secretarius.*

FINIS VOLUMINIS TERTII.

INDEX

Sectio II. — De contractibus. . . . . Pag. 1
Articulus I. — De contractibus in genere. . . . » ibi
Punctum I. — Datur definitio contractus et praecipuae contractuum distinctiones indicantur. . . . . » ibi
Punctum II. — De validitate vel invaliditate vel rescindibilitate contractuum. . . . . » 2
Punctum III. — De contractibus sub conditione celebratis. . . . . » 4
Punctum IV. — De die et termino in contractibus. . » 8
Punctum V. — De obligationibus alternativis. . . » 9
Punctum VI. — De obligationibus in solidum. . . » ibi
Punctum VII. — De effectibus contractuum. . . . » 10
Punctum VIII. — Principia quaedam circa contractus onerosos exponuntur. . . . . » 11
§ I. — De aequitate servanda. . . . . » ibi
§ II. — De antistando evictioni. . . . . . . » ibi
Punctum IX. — De obligationibus praeparatoriis et subsidiariis. . . . . » 13
§ I. — De poena conventionali et harra. . . . . » ibi
§ II. — De fideiussione. . . . . » 14
§ III. — De pignore. . . . . » 17
§ IV. — De hypotheca. . . . . » 18
§ V. — De antichresi. . . . . » 20
§ VI. — De iuramento contractibus adnexo. . . . » ibi
Punctum X. — De modis quibus obligationes extinguuntur » 22
Articulus II. — De contractibus in particulari. . . » 25
Punctum I. — De contractibus onerosis. . . . . . » ibi
§ I. — De emptione - venditione. . . . . . . » ibi
A. — De natura emptionis - venditionis. . . . . » 26
B. — De re vendenda. . . . . » 28
C. — De pretio. . . . . » 35
D. — De venditione sub hasta. . . . . » 43
E. — De obligationibus venditoris et emptoris. . . » 47

F. — De venditione rescindenda. . . . . . . *Pag.* 49
G. — De vendentibus vel ementibus pro aliis, scilicet de commissionariis, seu (ut theologi dicunt) proxenetis, qui non pro se, sed pro aliis vendunt aut emunt. . » 50
H. — De cessione bonorum. . . . . » 53
§ II. — De permutatione. . . . . » 54
§ III. — De mutuo. . . . . » 55
§ IV. — De cambio. . . . . » 62
§ V. — De locatione — conductione. . . . . . » 63
A. — De locatione rerum. . . . . » ibi
B. — De locatione operarum. . . . . » 67
C. — De locatione operum. . . . . » 72
D. — De locatione et condunctione vecturarum. . . » 74
E. — De coloniis partiariis. . . . . » 75
§ VI. — De emphyteusi. . . . . » 79
§ VII. — De censu. . . . . » 81
§ VIII. De communione bonorum. . . . . . . » 85
§ IX. — De societate. . . . . » 86
A. — Exponuntur quaedam generalia. . . . . . » ibi
B. — Exponuntur aliqua in particulari circa societatem fraternam. . . . . » 92
C. — De societatibus circa animalia bovina. . . . » 93
D. — De societatibus circa animalia ovina. . . . » 95
E. — De contractu societatis circa animalia suina. . » 97
F. — De contractu societatis quoad bombyces et apes. » 98
Punctum II. — De contractibus gratuitis. . . . » ibi
§ I. — De promissione. . . . . » ibi
§ II. — De donatione. . . . . » 108
A. — De natura donationis. . . . . » 109
B. — De requisitis a parte solemnitatum. . . . » 110
C. — De requisitis ut a parte donatoris validitati et firmitati donationis nihil obstet. . . . . . . » ibi
D. — De requisitis ad donationum validitatem et firmitatem a parte donatarii. . . . . » 112
E. — De requisitis ad donationis validitatem et firmitatem a parte rei donatae. . . . . » 115
F. — De requisitis ut validitati et firmitati donationis nihil obstet a parte conditionum, quae forte apponantur. . . . . » 120
G. — De determinatione temporis in donationibus. . » 121
H. — De substitutionibus in donatione. . . . . . » 122
I. — De revocatione donationis ob causas supervenientes. » 123

K. — De donationibus conferendis aut reducendis in divisione haereditatis. . . . . *Pag.* 124
§ III. — De commodato. . . . . » 128
A. — De natura commodati. . . . . » ibi
B. — De obligationibus commodatarii. . . . . » ibi
C. — De obligationibus commodantis. . . . . » 130
§ IV. — De precario. . . . . » 132
§ V. — De deposito. . . . . » 133
A. — De natura depositi. . . . . » ibi
B. — De obligationibus depositarii et deponentis. . » 134
C. — Notantur aliqua in particulari de deposito mixto. » 136
§ VI. — De sequestro. . . . . » 138
§ VII. — De mandato. . . . . » 140
A. — De natura mandati. . . . . » ibi
B. — De requisitis ut mandatum sit validum. . . » ibi
C. — De obligatione et facultate mandatarii. . . . » 141
D. — De obligationibus et iuribus mandantis. . . » 142
E. — De modis quibus extinguitur mandatum. . . » 143
§ VIII. — De utili negotiorum gestione. . . . . » 144
§ IX. — De secreto. . . . . » 146
A. — De secreti natura. . . . . » ibi
B. — De malitia in secreti exploratione. . . . . » 147
C. — De malitia in secreti manifestatione. . . . » 148
D. — De malitia in secreti usu. . . . . . . » 149
E. — De gradu culpae in exploratione aut violatione secreti. . . . . » 150
F. — De causis excusantibus. . . . . » 151
Punctum III. — De contractibus aleatoriis. . . . » 154
§ I. — De ludo. . . . . » ibi
A. — Exponuntur quaedam generalia. . . . . » ibi
B. — De iniusta inductione ad ludendum. . . . » 155
C. — De vitio vel defectu vel inaequalitate praemii. . » 156
D. — De fraudibus aliisque perpetratis contra leges ludi. » 159
E. — De aequalitate peritiae inter ludentes. . . . » 161
§ II. — De sponsione. . . . . » ibi
Appendix. — De iocis bursae. . . . . » 163
§ III. — De sortibus et loteriis. . . . . . . » 164
§ IV. — De vitalitio. . . . . » 166
§ V. — De assecuratione. . . . . » 169
§ VI. — De transactione. . . . . » 172
Punctum IV. — De successionibus. . . . . . . » 175
§ I. — De quibusdam notionibus praemittendis. . . » ibi

§ II. — De successionibus ab intestato. . . . . *Pag.* 178
Quaestio I. — Successio ab intestato, seu successio legitima, quandonam locum habet? . . . . . » ibi
Quaestio II. — Quinam iure civili sunt incapaces succedendi ab intestato? . . . . » ibi
Quaestio III. — Quid de successione intestata iure repraesentationis? . . . . » 179
Quaestio IV. — Quid de successione intestata, si defunctus, nec coniugem nec filios naturales superstites reliquerit? . . . . » 180
Quaestio V. — Quid, iuxta leges civiles, de successione intestata filii naturalis, qui minime legitimatus fuerit? » 182
Quaestio VI. — Quid de iuribus coniugis superstitis in successione intestata coniugis defuncti? . . . » ibi
Quaestio VII. — Quandonam fiscus, seu publicum aerarium, succedit? . . . . » 183
§ III. — De testamento. . . . . » 184
Quaestio I. — Quid sit testamentum, et quaenam sint diversae eiusdem formae? . . . . . . » ibi
Quaestio II. — Quinam testamentum condendi sunt civiliter incapaces? . . . . » 187
Quaestio III. — Quaenam est differentia inter legatarios et haeredes? . . . . » 189
Quaestio IV. — Quaenam personae recipiendi per testamentum sunt civiliter incapaces? . . . . . » ibi
Quaestio V. — Quid de substitutionibus? . . . . » 191
Quaestio VI. — Quid de dispositionibus indeterminatis? » 192
Quaestio VII. — Quid de caducitate dispositionum testamentariarum, et quid in iisdem de iure repraesentationis et de iure accrescendi? . . . . . » ibi
Quaestio VIII. — Quid de dispositione conditionali aut pura et simplici? . . . . » 193
Quaestio IX. — Quid de dispositionibus factis ex causa falsa, vel a resciente postea se habere filios, vel a non cogitante de filiis futuris, vel ad finem turpem? » 197
Quaestio X. — Quid de parte disponibili, de legitima et de iuribus coniugis filiorumque naturalium in successione testamentaria? . . . . » 198
Quaestio XI. — Quid de interpretatione quoad dispositiones testamentarias? . . . . » 201
A. — Regulae generales. . . . . » ibi
B. — Regulae speciales. . . . . » ibi

Quaestio XII. — Quid de dispositionibus a testatore ipso revocatis? . . . . Pag. 205
Quaestio XIII. — Quid de executore testamentario? . » ibi
§ IV. — De aperitione successionis. . . . . . . » 207
Quaestio I. — Quid si ille, ad quem haereditas devolvi deberet, nec acceptet nec renuntiet? . . . . . » 208
Quaestio II. — Quid de renuntiatione haereditatis? . » ibi
Quaestio III. — Quid de acceptatione haereditatis? . » 209
A. — Quid de haereditatis acceptatione pura et simplici? » 210
B. — Quid de haereditatis acceptatione cum beneficio inventarii? . . . . » ibi
Quaestio IV. — Quid si haeres sit incertus, vel utcumque haereditas hic et nunc a nemine acceptetur vel administretur? . . . . » 212
Quaestio V. — Quid de divisione haereditatis? . . » ibi
Quaestio VI. — Quid de casibus qui post peractam divisionem accidere possunt? . . . . . . » 217
Quaestio VII. — Quid de divisionibus, quae interdum ab eo ipso fiunt, qui favore haeredum suorum de rebus suis disponit? . . . . » ibi
Monitum. . . . . » 219
§ V. — Exponuntur nonnulla, quae circa successiones, attento iure naturali aut canonico, sunt speciali animadversione digna. . . . . » ibi
Quaestio I. — Quid de testamento informi? . . . » ibi
Quaestio II. — Quid in conscientia quoad legitimam filiis relinquendam? . . . . » 221
Quaestio III. — Quid de iure canonico vel in conscientia de dispositionibus in favorem filii spurii vel utcumque illegitimi? . . . . » 222
Quaestio IV. — Quid in conscientia de successionibus quando vel solum matrimonium ecclesiasticum vel solum matrimonium civile contractum fuerit? . » 223
Quaestio V. — Quid de filiis masculis, qui, mortuo patre sine testamento, inhaerendo adhuc moribus antiquis, totam haereditatem paternam capiunt; et sororibus, quae dotem congruam occasione matrimonii iam habuerunt, nihil tribuunt: atque insuper, si forte ipsae recursum ad iudicem minitentur, abscondunt pecuniam, ne (dum iuxta leges hodiernas aequaliter cum ipsis dividere deberent) partem legalem integram obtinere valeant? Quid itaque in conscientia

de casu isto valde practico, qui speciatim apud agricolas communissime et frequentissime accidit? . Pag. 226
Quaestio VI. — Quid de commutationibus in legatis? . » 227
Quaestio VII. — Quid de dispositione testamentaria facta sub conditione, quae sit illicita, sed ab hodiernis legibus civilibus ut illicita non consideretur, sed potius positive approbetur? . . . . » 231
Quaestio VIII. — Quid de iure canonico circa executores testamentarios, et auctoritatem Episcopi exigendi rationem quoad legata pia et pias fiducias? . . » ibi
Quaestio IX. — Quum, iuxta legem civilem haeres qui inventarium legale non confecerit, teneatur solvere debita etiam ultra vires haereditatis, obligatio ista valetne etiam in conscientia? . . . . . . » 234
Quaestio X. — Quid, iuxta ius canonicum, de successionibus quoad clericos, quoad clericorum haeredes, et quoad religiosos? . . . . » 235
Quaestio XI. — Circa interpretationem dispositionum testamentariarum estne aliquid aliud notandum de iure canonico? . . . . » 236
Quaestio XII. — Qui testamentum olographum sibi damnosum destruit, estne iniustus et teneturne ad restitutionem? . . . . » ibi
Caput XII. — De octavo decalogi praecepto. - *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.* . » ibi
Caput. XIII. — De mandatis Ecclesiae. . . . . . » 245
Articulus I. — De abstinentia a carnibus diebus vetitis sine obligatione ieiunii. . . . . » ibi
Articulus II. — De ieiunio ecclesiastico. . . . . . » 257
Punctum I. — De ieiunantibus. . . . . » 258
§ I. De quantitate alimentorum. . . . . . . » ibi
§ II. — De hora refectionis. . . . . » 262
§ III. — De qualitate alimentorum . . . . . . » 263
§ IV. — De gradu culpae in violatione ieiunii. . . . » 265
§ V. — De numero peccatorum in violatione ieiunii. . » 266
Punctum II. — De non ieiunantibus. . . . . . » 267
§ I. — De casibus in quibus ieiunii obligatio non adest. » ibi
§ II. — Qui ratione aetatis, laboris, aut infirmitatis a ieiunio excusantur, ad quid tenentur? . . . . » 274
§ III. — An qui ieiunium totaliter aut perfecte servare nequit, partialiter aut eo modo quo potest illud servare debeat? . . . . » 276

§ IV. — Quid in dubio an ieiunandum vel a carnibus abstinendum sit? . . . . *Pag.* 277
§ V. — Quid de ieiuniis in uno loco vigentibus et non in alio? . . . . » 279
§ VI. — Quid de dispensatione a ieiunio? . . . . » 281
Articulus III. — De annua confessione. . . . . . » 282
Articulus IV. — De communione paschali. . . . » 283
Articulus V. — De decimis solvendis. . . . . . » 288
Articulus VI. — De nuptiis a prima dominica adventus usque ad epiphaniam et a prima die quadragesimae usque ad octavam paschatis interdictis. . . . » 290
Appendix. . . . . » 291
De usu adipis ex indulto et de usu butyri diebus vetitis. » ibi
De facultate Episcoporum dispensandi a lege abstinentiae a carnibus diebus vetitis. . . . . . . » 292
De crematione cadaverum. . . . . » 294
De spirituum consultationibus. . . . . » ibi
De vetita collectione intentionum Missarum pro vendendis libris aut ephemeridibus; et de obligatione tradendi Ordinario intentiones, quibus in fine anni non adhuc satisfactum fuerit. . . . . » ibi

Faventiae die 6 Junii 1897

Nihil obstat
IOSEPH CALDERONI
REVISOR EPISCOPALIS

Imprimatur
✠ IOACHIMUS CANTAGALLI
EPISCOPUS FAVENTINUS

3 5282 00175 9946

DATE DUE			

BX1759
B44x
Vol, 3

STACKS BX1759.B44x vol. 3
Berardi, Aemilio.
Examen confessarii et parochi, seu, Comp
3 5282 00175 9946